





Domus S.S. Adelhaidis et Caietani.

DE DIVINA VOLUNTATE
DE PRAEDESTINATIONE, ET GRATIA
PRAELECTIONES THEOLOGICAE

TIRONUM INSTITUTIONI ACCOMMODATAE

AUCTORE

D. MICHAELE ANGELO MARCHISIO

CONGREGATIONIS CLERICORUM REGULARIUM

SACRAE THEOLOGIAE PROFESSORE.

TAURINI MDCCLXXV.

EX TYPOGRAPHIA REGIA.

ILLUSTRISSIMO, AC REVERENDISSIMO DOMINO

D. ANTONIO ROMANO MALINGRI

A BAGNOLO

ARCHIEPISCOPO ARBORIENSI

EPISCOPO SANCTAE JUSTAE, S. R. E. VEXILLARIO

REGI A CONSILIIS

D. MICHAEL ANGELUS MARCHISIUS

CLERICUS REGULARIS

NEPOTI DILECTISSIMO

S. P.

Est hoc in more positum, Praesul illustrissime, ac nepos dilectissime, ut qui sub egregii Mecoenatis alicuius au-

ſpiciis opus vulgandum ſuſceperunt, ſuas illi nuncupationes ab eiuſdem laudibus ordiantur, & pro varia eorum, quibus libros inſcribunt, praeſtantia, ac dignitate, diverſa quiſque commendationum genera praedicanda deſumat. Neque ego hoc officium erga te negligendum duxiſſem, qui praeſtantiſſimas dotes tuas, morum praeſertim integritatem, ac ſingularem in omnes comitatem unus omnium maxime norim. Sed ſanguinis vinculum, quo ſum tibi junctus, & animus a quovis commendationis genere alienus, quem potiſſimum, ac ſemper in te animadverti, mihi in hac re ſilentium indixerunt. Quapropter hic tantum dicam, quae me in primis rationes impulerint, ut vigilias meas ad tuum potius, quam ad alienum nomen inſtituerem. Sedulam te ſemper in ſacris

disciplinis excolendis operam posuisse, jampridem compertum habebam. Sanctorum Augustini, & Thomae doctrinam tibi summopere in deliciis esse, eaque sola candidatos pastorali tuae sollicitudini commissos instrui te velle, non semel mihi verbis declarasti. Qua etiam me observantia, atque benevolentia fueris adhuc prosecutus, assiduis in me officiis significasti. Ut igitur tibi, Praesul amplissime, aliquod grati animi testimonium praeberem, hasce meas praelectiones Theologicas ad eorumdem principia apprime, ut opinor, exactas tibi potius, quam alteri dicandas existimavi, alia etiam, Deo opitulante, traditurus, quae ad sacram facultatem spectant, si & tibi jucundas, & tironibus, iis praesertim, qui tibi sunt crediti, utiles fore perspexero. Ceterum id unum te

oro, atque obteſtor, ut, quo tibi animo hi laborum meorum fructus exhibentur, eodem a te etiam excipiantur. Quod ſi obtinuero, non erit profecto, cur de fauſto operis mei exitu anceps haerere poſſim. Hac ſpe fretus vota Deo optimo maximo jugiter nuncupabo, ut te, illuſtriſſime, ac reverendiſſime Antiſtes, Eccleſiae, cui praees, utilitati ſoſpitem, & incolumem ſervet. Vale.

THEOLOGIAE CANDIDATIS

Quum Theologicis hiſce praelectionibus a me olim elaboratis poſtremam manum admoverem, typiſque mandare ſtatuerem, non ea profecto mens fuit, ut iis ſcriberem, qui in ſacris diſciplinis jam eſſent verſati. Iſtis enim clariſſimi viri, Melchior Canus, Petavius, Syrmondus, Natalis ab Alexandro, Serry, Berti, Chignoli, aliique magni nominis Theologi vigilias ſuas feliciter conſecrarunt: ſed eo ſpectabam duntaxat, ut tirones in ſacrae facultatis ſtudiis, quaſi *manu ducens*, ad ſublimiores ſenſim inveſtigationes praepararem. Quod ut facilius adſequar, oratoriae, quae hac aetate invaluit, diſſerendi methodo ſyllogiſticam rerum tractandarum rationem praeferendam cenſui. Hanc enim multo utiliorem eſſe, longa annorum ſeries in Congregationis noſtrae alumnis edocendis inſumta plane mihi demonſtravit. Quod ſi huiuſce rei quiſpiam rationes requirat, adeat *Volphium* (*a*), apud quem fuſa oratione traditas reperiet. Ne tamen methodi recens inductae tirones prorſus ieiunos dimitte-

(*a*) Logique ou reflexions ſur les forces de l'entendement humain chap. 4, §. 22.

rem, id etiam curavi, ut, quae in prima parte tractatus de Gratia tradidi, ea sin minus elegantiori stylo conscripta, ad eam saltem quamprime accederent. Si cui vero in harum dissertationum decursu quid minus comtum, castigatumque videatur, id eo mihi facilius a lectoribus indultum iri confido, quod multis ab hinc annis lumine omnino captus aliena ope semper indigeam: quae quamquam ab amicis sedulo praestetur, eo tamen difficillime adtingit, quo propriae auctoris industriae non magnum esset pervenire. Demum illud etiam atque etiam opto, ut diligentia mea Theologiae candidatis probetur, atque ad eam comparandam adiumento esse possit. Hoc si feliciter cedat, stimulus mihi erit ad nova in hoc studiorum genere subsidia proferenda.

MONITUM.

Theologiae candidatos monitos volo, ut, antequam hasce praelectiones versare aggrediantur, errores, qui passim irrepserunt, ipsi humaniter corrigant, atque emaculent ad normam emendationis in calce positae: qua cautione, si quid minus Theologice dictum excidisse videbitur, satis accurate ab auctore scriptum apparebit.

D. CAIETANUS PISANELLI

CLERICORUM REGULARIUM PRAEPOSITUS GENERALIS.

Hoc opus inſcriptum *de Voluntate Dei, Praedeſtinatione, & Gratia praelectiones Theologicae tironum inſtitutioni accommodatae* a R. P. D. Michaële Angelo Marchiſio noſtrae Congregationis Theologo compoſitum, & juxta aſſertionem Patrum, quibus id commiſimus, approbatum, ut typis mandetur, quod ad nos ſpectat, facultatem concedimus. In quorum fidem praeſentes literas manu propria ſubſcripſimus, & ſolito noſtro ſigillo firmavimus. Romae die 16 octobris 1773.

D. C. Pisanelli Praepoſitus generalis.

D. Nicolaus Lavaiani C. R. Secr.

INDEX QUAESTIONUM,

quae in hisce praelectionibus continentur.

Art.

TRACTATUS SECUNDUS


Di-

TRACTATUS TERTIUS

Con-

Con-

Arti-



TRACTATUS PRIMUS

CONTINENS PRAELECTIONES

DE DIVINA VOLUNTATE.



Theologicas institutiones de divina voluntate traditurus, illud unum mihi cordi esse profiteor, ut mea haec industria, quantum per vires jam jam labantes licuerit, studiosis Theologiae Candidatis inserviat, divinarumque rerum notitia eorum mentem informet. In id nostris utrinque laboribus una conspirantibus, illud profecto futurum arbitror, ut, quam aggredior tractationem, esto longe imparem, ac ferat argumenti sublimitas, ea tamen eximium nobis fructum in suscepti laboris praemium sit allatura. Nec enim jucundius quidquam, ac magis acceptum contingere mihi poterit, quam quod conatus meos fortunet supremum Numen, ut nemo eorum, quibus haec scribo, Theologum aliquando sapiat rudem, praeoccupatum, atque sanioris critices prorsus jeiunum.

Itaque Scholarum more universam tractationem in duplicem dissertationem distribuam. In prima divinam voluntatem quoad se considerabo, in secunda relate ad nos.

 DISSER-

DISSERTATIO I

de divina voluntate secundum se spectata.

QUAESTIO I

an in Deo sit admittenda voluntas, & quotuplex illa sit.

ARTICULUS PRIMUS

de exsistentia divinae voluntatis.

PROPOSITIO.

In Deo admittenda est voluntas.

Evincitur I; quia nihil tam antiquum est in sacris literis, nihil est apud traditionem tam solemne, ac vulgatum, quam Deo voluntatem proprie, ac formaliter talem inesse, ut palam fit ex illo psal. 113: *omnia, quaecumque voluit, fecit*; Sap. 12: *cum magna reverentia disponis nos: subest enim tibi, cum volueris, posse*; 1 Machab. 3: *Sicut fuerit voluntas in caelo, sic fiat*, Matth. 6: *Fiat voluntas tua*; Rom. 12: *ut probetis, quae sit voluntas Dei.*

Hinc concilia contra Monothelitas coacta passim hoc fidei dogma esse declararunt, gravissimisque censuris contra sentientes mulctarunt. Huiusmodi sunt synodi VI, VII, VIII oecumenicae, a quibus duae adsertae sunt in Christo voluntates, divina una, humana altera; quae quidem omnia, si quis de voluntate improprie tali velit intelligi, non erit audiendus.

2 Evincitur II argumento praecipuo, quod inter cetera adducit s. Thomas 1 *p. q.* 19 *art.* 1 *in corp.* In Deo est intellectus; ergo & voluntas. Antecedens est certum ex iis, quae docent Theologi in tractatu de scientia Dei. Consequentia probatur. In rebus naturalibus quaedam reperitur habitudo ad formam naturalem, quae est appetitus naturalis, ut, cum non habet ipsam, tendat in eam, & cum habet, quiescat in ea: ergo in entibus intelligentia praeditis admittenda pariter est habitudo ad formam intelligibilem, quae habitudo est inclinatio propriae naturae intelligentis, ac proinde voluntas; atqui Deus est natura intelligens: ergo & volens.

Con-

Confirmatur: quia quodvis ens eam habet ad propriam formam, seu bonum sibi conveniens proportionem, ut, quo modo aliqua perfectio, seu forma sibi convenit, ea etiam ratione in ipsam ens aliquam habeat inclinationem vel in ea sistendo, si habeat, vel quaerendo, si careat, ut ait s. Th. loco citato; atqui bonum Deo conveniens est propria ipsius essentia, idque non modo tantum naturali, sed intellectivo, seu, ut aiunt, intelligenti; cum se ipsum perfecte possideat se ipsum summe intelligens: ergo modo intellectivo in propriam essentiam dici debet inclinatus; atqui inclinatio in bonum intellectum, ac modo intellectivo in ipso quiescens est ipsa voluntas: ergo &c.

3 Evincitur quatuor aliis ratiociniis, quae profert D. Th. 1 *contra Gent. cap.* 71. 1 *Agens per voluntatem perfectius est agente per solam naturam*. Primum enim agit cum dominio, secundum sine ipso: primum ad finem se dirigit, alterum dirigitur. Deus igitur, utpote agens perfectissimum, per voluntatem agere debet. 2 Voluntas est facultas, qua quis bonum appetit, ac malum aversatur intellectualiter cognitum: haec autem facultas est perfectio *simpliciter* simplex: nec enim imperfectionem involvit in suo conceptu; aliunde melior est ipsa, quam non ipsa. Hac igitur carere nequit Deus: quaevis enim perfectio simpliciter simplex in Deo statuenda est, ut *in tract. de divinis attributis* demonstrant Theologi. 3 Deus liber est in operationibus *ad extra*; libertas autem in voluntate sita est: ergo &c. 4 Si Deo negetur voluntas, se ipsum summum bonum amare nequit, nec se ipso gaudere, quod sanus nemo dixerit.

Responsiones ad objecta.

4 Opponitur I: in Deo nullus est appetitus: ergo nec ulla voluntas: idem quippe reddunt voluntas, & appetitus. Insuper nullam Deus habet caussam finalem: ergo nec finem: obiectum enim voluntatis est finis.

Resp. ad 1. Concesso antecedente, nego consequentiam, ad cuius adjunctam probationem distinguo assumtum. Voluntas idem est ac appetitus relate ad bonum, quod non possidetur. Concedo. Relate ad bonum, quod possidetur. Nego: quoad hoc enim voluntas amoris, & dilectionis actum elicit, non appetitus.

Ad 2, concesso antecedente, distinguo consequens; Deus non habet finem in iis, quae vult, & sunt a se distincta, quia haec vult propter se ipsum, prout est illorum finis. Nego consequentiam. Non habet finem in eo, quod ipse primario vult, & est ipsemet Deus. Subdistinguo. Non habet finem in ratione caussae. Concedo. Per identitatem. Nego consequentiam. Finis est caussa finalis relate ad illa, quae sunt a se distincta: ad haec enim se habet per modum *caussalitatis*, non vero relate ad se ipsum. Porro cum Deus se delectatur, se amat, ac propria fruitur possessione, & idem sit cum objecto huiusmodi amoris, est finis sui ipsius, non caussalitate, sed identitate. Hinc, dum amat se ipsum propter se ipsum, verbum *propter* nullam denotat caussalitatem finis in Deo amante, sed solam Dei amantis, Deique amati, nec non rationis formalis amandi identitatem. Breviter: Deus non habet finem a se distinctum. Concedo. Indistinctum. Nego. Hic autem finis indistinctus relate ad se non est caussa finalis: ex dictis enim non se habet per modum caussalitatis.

Reponet forte quispiam, voluntatem moveri semper ab eo, quod vult, quod proinde nequit esse indistinctum ab ipsa voluntate.

5 Verum hoc facile refellitur iis, quae docet D. Thomas hic art. 1 ad 3: *Dicendum*, inquit, *quod voluntas, cuius objectum principale est bonum, quod est extra voluntatem, oportet, quod sit mota ab aliquo; sed objectum divinae voluntatis est bonitas sua, quae est eius essentia: unde cum voluntas Dei sit eius essentia, non movetur ab alio a se, sed a se tantum eo modo loquendi, quo intelligere, & velle dicitur motus.* Deus igitur nequit proprie moveri; quia quivis motus etiam intentionalis Deum dedecet: est enim *actus entis in potentia.* Si quo igitur modo Deus, dum se vult, dicitur moveri, in sensu improprio id debet intelligi, quatenus Deus est suum intelligere, suum velle, qui actus in Deo improprie dicuntur motus.

AP-

APPENDIX
an repugnet natura intelligens, ſed non volens.

PROPOSITIO.

Repugnat natura intelligens carens voluntate.

6 Evincitur propoſitio cum omnibus fere Thomiſtis. I Natura materialis (juxta Peripateticae ſcholae placita haec dici nemo non videt, ut morem Scholaſticis geramus) habet appetitum innatum, & naturalem ad propriam formam: ergo cum repugnet natura intelligens, quae modo perfectiori aliorum formas intelligibiles non appetat, repugnat natura intelligens, quae non habeat appetitum elicitum, ſeu voluntatem.

II Natura intelligens cognoſceret bonum ſibi conveniens; hoc autem bonum eſſet ab eadem appetibile: eſſet enim ipſi conveniens; ubi autem eſſet appetibile, tale eſſet, ut conveniens naturae intelligenti: atqui objectum appetibile a natura intellectuali illud intelligente, ut ſibi conveniens, proprium eſt appetitus eliciti, ſeu voluntatis: ergo &c.

Dices: *Incongrui nihil adverti in hoc, quod poſſibilis ſit natura cognoſcens bonum, etiam ut ſibi conveniens, quin illud amet.*

7 Sed contra, quia haec natura haberet tantum *inchoative* propriam perfectionem, aliunde, quia incapax eam appetendi, naturaliter propriae perfectionis complementum non poſſet appetere: quo nihil abſurdius.

Ulterius: haec natura eſſet a Deo condita proprium bonum cognoſcens, ac proinde excitans appetitum elicitum ad eiuſdem amorem: hic autem appetitus in illa creatura voluntate orbata repugnaret. Igitur haec natura excitaret appetitum chimaericum: quod repugnat.

Dices inſuper, non repugnare intellectionem ſine amore; ergo nec intellectum ſine voluntate. Item non repugnare *ſenſationem*, quam non ſequatur appetitus ſenſitivus; ergo idem dicendum de intellectu relate ad appetitum elicitum.

8 Reſp. ad 1. Diſtinguo anteced. Non repugnat intellectio practica ſine amore. Nego anteced. Speculativa. Subdiſtinguo, Sine amore erga aliquod bonum extraneum intellectui, quod proinde eſt objectum praxis, quia *factibile* Concedo anteced. Sine amore ad illud verum, quod eſt objectum proprium intellectus. Nego anteced., & conſequentiam.

Ad 2. Negatur consequens, & eidem adjuncta consequentia. Utraque responsio facile explicatur. Intellectus vocatur practicus, quoties excitat voluntatem ad agendum extra sphaeram objecti intellectus, ac proinde circa bonum aliquod *factibile*; dicitur autem speculativus, quoties ad id voluntatem non excitat. Porro quamvis tunc voluntatem non impellat ad bonum sibi (intelligo *intellectui*) extraneum inquirendum; tamen excitat semper voluntatem ad veritatem, quae est proprium objectum, ac bonum sibi conveniens in hoc sensu, quod voluntas appetit, ut ab intellectu veritas clarius semper, ac facilius attingatur. Hinc licet non omnis intellectio sit practica, quaevis tamen semper excitat amorem. Unde, quod opponitur secundo loco, eadem facilitate negavimus, qua fuit assertum: sensationem quippe internam, quae appetitum non excitet, quisquis in experimentum adduxerit, erit mihi magnus Apollo: qui enim aiunt, puram imaginationem veram esse sensationem, quin tamen excitet appetitum, cum ab aestimatione boni, & nocivi praescindat, hi toto caelo aberrant. Imaginatio enim in ludibriis somniorum passim delectat, quod certe non evenit, ubi nulla occurrat in appetitu excitatio.

Quaeres I, an Dei voluntas distinguatur ab eius essentia.

9 Resp. idem esse realiter divinam voluntatem, ac divinam essentiam, ac solam inter ipsas admitti distinctionem *rationis ratiocinatae*, seu virtualem, ut probant Theologi, maxime Thomistae, ubi de Dei simplicitate agunt. Si enim Dei voluntas ab eius essentia realiter distinguatur, Deus non erit actus purus.

Quaeres II, an voluntas in Deo se habeat per modum potentiae, a qua fluat volitio.

10 Resp. negative. Quemadmodum enim Deus est suum esse, ac proinde suum intelligere; ita pariter erit suum velle, ac proinde actus purus in ratione volitionis. Ratio haec desumitur ex Augustino lib. 7 de Trinit. cap. 1: *quia ibi est summe simplex essentia, hoc est illi esse, quod sapere.* Jam vero si Dei sapientia nullum habet principium, seu potentiam, a qua fluat, quia Deus est summe simplex, idem diserte probat, divinam volitionem esse ipsam Dei essentiam; unde, si intellectionem ab intellectu, volitionem a voluntate seiungimus, id tantum potest dici secundum modum *intelligendi, & significandi*, ut monet

D.

D. Thom. hic *q.* 41 *art.* 4 *ad* 3. Unum tamen non omiserim, quod licet eadem sit ratio intellectus, & voluntatis in Deo quoad identitatem cum eius essentia; aliquod tamen agnoscunt Theologi inter utrumque discrimen, nempe volitionem Dei non esse volitionem efficacem *omnis*, ut aiunt, *volibilis*, eodem modo, quo est efficaciter volibile, ubi omnis intellectio est judicative cognitio omnis intelligibilis, ea omni ratione, qua est judicative cognoscibile, secus autem actum esset de divina libertate, tum de eiusdem voluntatis rectitudine: posset enim velle contradictoria, uti ea potest cognoscere, quod a vero plane abhorret.

Quaeres, an in Deo sit appetitus innatus, aut elicitus.

11 Resp. 1, in Deo non esse admittendum appetitum innatum proprie talem. Responsio constat ex Divo Thoma in 3 *dist.* 37 *q.* 1 *art.* 2, nempe appetitum innatum esse *inclinationem in finem suum naturalem ex directione institutoris naturae*; Deum autem dedecet institutor propriae naturae, a quo dirigatur: ergo &c.

Quod autem aiunt nonnulli, Deum a se ipso dirigi posse, nimis frigide dictum videtur: si enim a se Deus in proprium finem dirigitur, debet certe dirigi per intellectum. Si autem per intellectum, jam nequit dici appepetitus innatus, sed elicitus.

12 Resp. 2, nullum in Deo defendi posse appetitum proprie talem, relate ad perfectiones intrinsecas, quod etiam relate ad bona extrinseca dicendum est. Prima pars facile probatur ratione D. Thomae hic, necnon in 1 dist. 45 art. 1 ad 1: *Dicendum, quod, quamvis in Deo dicatur esse voluntas, non tamen conceditur ibi esse appetitum, quia secundum Augustinum in psal.* 118 *appetitus proprie est rei non habitae; Deus autem totum bonum in se habet.* Secunda pars inde evincitur, quod appetitus innatus, utpote caecus, ac omni directione intellectus destitutus, Deum dedecet; tum quia hic appetitus fertur semper in aliquod bonum complens, aut perficiens propriam naturam: atqui Deo complementum nullum, nullaque perfectio derivatur a quovis bono extraneo, & creato: ergo &c.

Quod vero attinet ad appetitum elicitum, hunc etiam quoad bona laudata in Deo negamus; quia Deus, utpote omnia bona in se eminenter continens, bonum nullum appetere potest: quod enim appetitur, desideratur, quod autem desideratur, profecto non habetur; si autem aliquid

non habeatur, & simul optetur, eo caret ens illud optans: atqui nemo Theologus id de Deo dixerit: ergo &c.

Quid autem aiunt nonnulli, Deum nihil sibi posse optare, sed velle posse bonum aliquod creaturae, nullum nobis negotium facessit: nam concedimus, Deum id velle, sed negamus hanc volitionem esse appetitum: hic enim est motus aliquis tendens in rem, qua quis caret ex propria indigentia, non in aliud ob alius indigentiam.

Quaeres, an divinae volitioni suus possit statui actus primus.

13 Respondet Pasqualigus in hoc tractatu sectione prima disputatione 28 n. 8 intellectionem puram statui posse, ut actum primum, relate ad divinam volitionem, quae proinde quoad ipsam concipi poterit ut actus secundus. Huic porro sententiae lucem aliquam adferre conabor. Id, quod praecedit virtualiter volitionem, est intellectio: haec enim objectum proponit, in cuius virtute habetur actualis volitio. Haec igitur supponit intellectionem, tamquam actum primum virtualiter distinctum; ex quo consequitur volitio: quod totum significat prius cum fundamento in re concipi Deum intelligentem, deinde Deum volentem; unde intellectio, utpote necessario praeintellecta ad volitionem, erit actus primus ipsius, cum nihil aliud volitionem praecedat, quam intellectio

ARTICULUS SECUNDUS.

Quotuplex sit in Deo admittenda voluntas.

CAPUT I

de divisionibus divinae voluntatis.

Quamvis una sit tantum in Deo voluntas, imo unus, idemque actus volitionis, ipsa tamen pro vario ad creaturas respectu multiplex distinguitur a Theologis, quibus certe praeluserat Regius psaltes, inquiens psal. 110: *Magna opera Domini, exquisita in omnes voluntates eius.* Jam vero

14 I distinguunt Theologi voluntatem *beneplaciti* in Deo a voluntate *signi.* Prior juxta eos est ipsa Numinis interna volitio, qua aliquid vere, ac proprie vult, atque decernit. Posterior est signum aliquod exterius, quo declarat Deus se aliquid velle. Hinc quemadmodum principum leges dicuntur signa eorumdem voluntatis; ita praecepta

divina

divina ſigna ſunt divinae voluntatis; unde, ut patet; improprie, ac metaphorice dicitur voluntas, cum voluntatis ſignum non ſit ipſa voluntas.

Voluntas ſigni quintuplici modo dividitur, nempe in praeceptum, prohibitionem, permiſſionem, conſilium, & operationem, quae omnia ſubjecto carmine exhibentur:

Praecipit, & prohibet, permittit, conſulit, implet.

Solent autem hic Theologi in controverſiam adducere, num interdum voluntas ſigni cum voluntate beneplaciti conjungatur. Communis reſponſio eſt aliquando conjungi. Sic, quando Noë praecepta fuit arcae conſtructio, voluntas ſigni conjuncta fuit cum voluntate beneplaciti; ſejuncta ex adverſo, quando Abrahae praecepta fuit Iſaaci mactatio. Regula autem, cuius ſubſidio facile dignoſcatur, quando ſimul jungatur, non una aſſignatur a Theologis, quod certum eſt, ubi Deus operatur *ad extra*, ambae voluntates ſociantur: ubi agitur de malo culpae, nuſpiam voluntas ſigni copulatur cum voluntate beneplaciti: nam permiſſio mali non infert ipſius adprobationem. Voluntas beneplaciti apud nonnullos aliter explicatur, ut & voluntas ſigni. Aiunt autem voluntatem beneplaciti, vel aliquid efficere, vel non: ſi primum, vocant eam voluntatem beneplaciti *per modum efficaciae*; ſi ſecundum, voluntatem beneplaciti *per modum ſimplicis complacentiae*.

Quod attinet ad voluntatem ſigni, dicunt eſſe illam; quae metaphorice dicitur voluntas, quantumvis nobis innuatur aliquo ſigno externo, dari voluntatem aliquam in Deo, quae *de facto* non ſit. Adducunt etiam in exemplum juſſionem a Deo factam Abrahae de Iſaaci mactatione, quam certe interius, & efficaciter nolebat.

Signa autem divinae voluntatis penes ipſos ſunt illa, quae nobis ſignificant, aliquam eſſe in Deo volitionem. Haec, inquam, eſt aliquorum Theologorum expoſitio duplicis laudatae divinae voluntatis: aſt prior acceptio communior eſt poſt. *s. Th.* 1 *p. q.* 19 *art.* 11, nec non *art.* 2, tum etiam in quaeſtionibus diſputatis *q.* 23 *art.* 3 *in reſponſione ad 6.*

15 II Dividunt Theologi divinam voluntatem in antecedentem, & conſequentem, cuius notionem primus invexit Joannes Damaſcenus *lib.* 2 *de fide orthodoxa cap.* 29. Hanc porro pro partium ſtudio diverſimode explicant Doctores. Nonnulli voluntatem antecedentem eam volunt, qua media ad aliquem finem comparandum praeparantur;

con-

consequentem vero, quae versatur circa finem. Hoc sensu volunt Deo inesse voluntatem antecedentem salvandi omnes, quia omnium fuit Redemtor, & omnibus Sacramenta, atque auxilia praeparavit; consequentem vero huiusmodi salutis Deo negant, quia *de facto* Deus non vult efficaciter salutem omnibus impertiri: nec enim omnes salvantur.

Molinistae, seu qui Ludovici Molinae scientiae mediae primi adsertoris systema adoptarunt, censent voluntatem divinam antecedentem eam esse, quae meritorum nostrorum praevisionem praecedit; consequentem, quae huiusmodi praevisionem subsequitur.

Sunt qui cum D. Th. *hic q.* 19 *art.* 6 *ad* 1 antecedentem Dei voluntatem definiunt, qua Deus aliquid vult, nulla habita ratione circumstantiarum, ac proinde, quae versatur circa rem generatim, & per se consideratam, quavis praecisa ipsius circumstantia. Consequentem vero, qua aliquid vult omnibus suis circumstantiis, & adjunctis, ita dicam, indutum. Priori voluntate vult Deus omnium salutem per ipsos, posteriori autem gloriam electorum.

16 III Dividitur divina voluntas in absolutam, & conditionatam. Prima Deus aliquid vult, nulla adhibita conditione; secunda autem vult aliquid dependenter ab aliqua conditione. Primae exemplum sit decretum de mundo condendo; secundae autem volitio illa Dei de victoria regi Joas concedenda, si jaculo terram aliquoties percussisset, ut habetur 4 *Reg.* 13. Hanc Deo non repugnare probat D. Th. *in* 1 *dist.* 46 *q.* 1 *art.* 1 *ad* 2

17 IV Dividitur in necessariam, & liberam. Priori vult Deus objecta necessaria, quae aliter esse nequeunt; secunda res contingentes, quae aliter esse possunt. Sic prima voluntate vult Deus divini verbi productionem, secunda mundi conservationem.

18 V Dividitur in efficacem, & inefficacem. Prior semper sortitur effectum, posterior non semper impletur. Primi generis est voluntas consequens Dei salvandi omnes electos; secundi voluntas eius antecedens de omnium salute.

Hae sunt divisiones voluntatis divinae in Scholis vulgatae. An autem a nobis singulae sint adoptandae, illud est, in cuius examine nostra exercenda est industria.

CA-

CAPUT II.

An in Deo admittenda sit multiplex voluntatis divisio nuper explicata.

Quaeres, an recta sit divisio divinae voluntatis in voluntatem signi, & beneplaciti.

19 Resp. affirmative. Quod enim attinet ad voluntatem signi, neminem reperies Theologum ab Hugone a sancto Victore, & Magistro sententiarum ad nostram hanc aetatem, qui eam non admittat, id indigitante passim Scriptura, quae divina praecepta passim voluntates Numinis vocat, ut psal. 102: *notas fecit vias suas Moysi, filiis Israël voluntates suas.* Quod spectat ad voluntatem beneplaciti, liquida res est, significante Apostolo *Rom.* 12: *ut probetis, quae sit voluntas Dei bona, & beneplacens, & perfecta.*

Quaeres II, num voluntas signi superius relata sit admittenda.

20 Resp. affirmative. Ut enim recte ratiocinatur D. Th. *in* 1 *dist.* 45 *art.* 4, signum divinae voluntatis vel eam exprimit, prout hominem dirigit ad aeternam salutem tanquam ad finem, vel secundum exsecutionem huiusce directionis: si primum jam occurrunt praecepta, consilia, & prohibitiones; si secundum vel aliquid Deus in nobis operatur, quo directio ad salutem impleatur, & ecce *operatio*; vel aliquam operationem permittit ab ordine salutis alienam, & tunc occurrit *permissio.* Brevius, ac mea quidem sententia facilius rem eamdem hac alia ratione evincit Angelicus Doctor. Vel divinae voluntatis signum praesentia respicit, vel futura: si primum, vel bonos attingit, vel malos; si bonos, est *operatio*, si malos, *permissio*: vel ordinem habet ad futura, & tunc relate ad bonos est *praeceptum*, vel consilium, relate ad malos *prohibitio.* Ratiocinium hoc adducit etiam D. Bonaventura *in compendio Theologico lib.* 2 *cap.* 22.

Quaeres, quid sentiendum sit de voluntate antecedente, & consequente.

21 Resp. 1, divisionem divinae voluntatis in antecedentem, & consequentem legitimam esse. Probatur. Quia eam adoptarunt veteres Ecclesiae Patres, ut Chrysostomus homil. 1 in epist. ad Ephes., & Damascenus lib. 2 de fide. Prioris verba haec sunt: *Voluntas prima est, ut ne, qui non peccaverunt, pereant; voluntas secunda, ut, qui mali sunt facti, pereant.*

pereant. Alterius autem haec alia: *Sciendum est Deum antecedente voluntate velle omnes homines salvari, . . tanquam bonus; peccantes vero puniri vult, tanquam justus. Prima illa voluntas antecedens dicitur, & beneplacitum, quod ex ipso est.*

Resp. 2, voluntatem antecedentem a consequente non distingui per hoc, quod prima quamlibet meritorum praevisionem praecedat; secunda vero eamdem praevisionem subsequatur. Probatur. Quia, ut docet D. Thomas *I ad Annibaldum dist. 46 q. unica art. 2 ad 1*, praedestinatio includit voluntatem salutis non solum antecedentem, sed consequentem: atqui praedestinatio ex dicendis *in tract. de praedest.* merita nostra praevisa praecedit: est enim voluntas Dei efficax de finali perseverantia aliquibus concedenda, quae certe gratia finalis non cadit sub merito: ergo haec voluntas praecedit meritorum praevisionem, & tamen est consequens: ergo &c.

23 Resp. 3, voluntatem antecedentem a consequente distingui per hoc, quod per primam Deus objectum velit, nulla habita circumstantiarum ratione, ac proinde in se generatim spectatum, ac non omnibus suis circumstantiis indutum. Probatur ratiocinio s. Th. hic art. 6 ad 1: *Tertio secundum Damascenum intelligitur* (intellige illud Apostoli 1 ad Timoth. 2: *Deus vult omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*) *de voluntate antecedente, non de consequente, quae distinctio non accipitur ex parte voluntatis divinae, in qua nihil est prius, nihil posterius, sed ex parte volitorum: unumquodque enim, secundum quod bonum est, sic est volitum in Deo. Aliquid autem potest esse in prima sui consideratione, secundum quod absolute consideratur bonum, vel malum, quod tamen, prout cum aliquo adjuncto consideratur, (quae est consequens consideratio eius) e contrario se habet: sicut hominem vivere est bonum & hominem occidi est malum secundum absolutam considerationem; sed si addatur circa aliquem hominem, quod sit homicida, sic bonum est eum occidi, & malum est eum vivere; unde potest dici, quod judex justus antecedenter vult hominem vivere, sed consequenter vult homicidam suspendi. Similiter Deus antecedenter vult omnem hominem salvari, sed consequenter vult quosdam damnari secundum exigentiam suae justitiae.* Eadem repetit in epist. 1 ad Timoth. cap. 2 lect. 1, ubi adducit exemplum mercatoris, *qui vult omnes merces suas salvas facere absolute, & voluntate antecedente; sed, si consideret salutem mercium per comparationem ad alia, non vult omnes merces suas salvare, scilicet*

licet quando cum salute mercium sequitur submersio navis; & haec voluntas est consequens. Sic in Deo &c.

Dicent scientiae mediae Fautores, D. Thomam longe aliter sentire in 1 dist. 46 art. 1, ubi ait: *voluntas consequens praesupponit praescientiam operum*: ergo voluntas antecedens, & consequens distinguuntur per hoc, quod prima non supponit merita praevisa, secunda utique.

Sed contra: minus enim fideliter recitatur D. Thomae testimonium. Ibi enim haec scribit: *eo quod praesupponit praescientiam operum, non tanquam caussam voluntatis, sed quasi rationem voliti*; id est, voluntas consequens huiusmodi praescientiam supponit, non quasi quod opera, quae praevidentur, sint caussa voluntatis consequentis, sed quia non potest homo esse objectum, ita dicam, terminativum voluntatis consequentis, nisi supponatur affectus hac, vel illa circumstantia, ac proinde, nisi Deus illum consideret cum circumstantia bonorum, vel malorum operum, quae consideratio vocatur praescientia, non eo sensu, quo illam explicant Molinistae, sed alio inferius explicando.

24 Ex dictis nonnulla consectaria libet hic cum pluribus Theologis deducere. Primum, quod Dei voluntas antecedens ex parte objecti, quod antecedenter vult, est voluntas *secundum quid*; voluntas vero consequens relate ad objectum, quod vult consequenter, est voluntas *simpliciter*. Huius consectarii auctorem profero D. Thomam hic art. 6 ad 1: *Neque tamen id, quod antecedenter volumus, simpliciter volumus, sed secundum quid; quia voluntas comparatur ad res, secundum quod in se ipsis sunt, in se ipsis sunt in particulari; unde simpliciter volumus aliquid, secundum quod volumus illud, consideratis omnibus circumstantiis particularibus, quod est velle consequenter, & in parte, quod quidquid Deus simpliciter vult, fit, licet illud, quod antecedenter vult, non fiat.* Et in 1 dist. 27 q. 1 art. 1 in corpore: *dicendum, quod quidquid Deus vult voluntate consequente, totum fit, non autem quidquid vult voluntate antecedente, quia hoc non simpliciter vult, nec perfecte, sed secundum quid.* Alterum hinc sequitur non minus certum, nempe voluntatem antecedentem immerito dici ab aliquibus inefficacem, cum sit efficax eo modo, quo se habet voluntas, videlicet secundum quid. Constat hoc ex D. Th. in 1 dist. 46 q. 1 art. 1 in corpore: *Si in homine tantum natura ipsius consideretur, aequaliter bonum est omnem hominem salvari; quia omnes conveniunt in natura humana: & cum omne bonum sit voli-*

volitum a Deo, hoc etiam Deus vult, & hoc vocatur voluntas antecedens, qua omnes homines salvos fieri vult, & eius voluntatis effectus ipse est ordo naturae in finem salutis, & promoventia in finem omnibus communiter promta tam naturalia, quam gratuita. Igitur huiusmodi voluntas effectus plurimos praestat relate ad salutem, quam vult Deus: male ergo vocatur a nonnullis inefficax. Non negaverim tamen quod, cum huiusmodi voluntas omnes effectus non inferat ad consummatam objecti exsecutionem, seu ad certam salutis adsecutionem, non negaverim, inquam, ipsam non esse efficacem *simpliciter*, sed tantum *secundum quid.*

Quaeres, an admittenda sit divisio divinae voluntatis in absolutam, & conditionatam.

Ante responsionem vos monitos velim, a Theologis voluntatem conditionatam distingui in *subjective*, & *objective* talem. Subjective talis est, qua Deus aliquid vellet, si aliqua conditio interretur, sed *de facto*, & absolute non vult; seu est suspensio quaedam voluntatis dependens ab aliquo eventu futuro. Voluntas conditionata objective illa dicitur, qua Deus de facto aliquid vult, sed illud esse vult sub aliqua conditione.

25 Jam vero respondetur 1 contra nonnullos Thomistas, decreta omnia conditionata a divina voluntate ablegantes, admittendam esse huiusmodi divinae voluntatis divisionem. Sententiam nostram aperte probant Scripturae, ut illud 1 Reg. 13: *Si non fecisses, jam nunc praeparasset ... regnum tuum super Israël in sempiternum.* 3 Reg. 3: *Si autem ambulaveris in viis meis, & custodieris praecepta mea, & mandata mea, sicut ambulavit pater tuus, longos faciam dies tuos.* 4 Reg. 13: *Si percussisses quinquies, aut sexies, sive septies, percussisses Syriam usque ad consumtionem.* Ierem. 38: *Si profectus exieris ad principes Regis Babylonis, vivet anima tua, & civitas haec non succendetur igni.* Haec porro, aliaque sexcenta Scripturae testimonia, voluntatem Dei conditionatam passim indigitantia, durius, imo inepte is interpretabitur, qui ea de decretis absolutis velit intelligi.

Accedit 2 loco auctoritas D. Thomae, qui post veteres Ecclesiae Patres, & antiquiores Scholae Magistros in 1 *dist.* 46 *art.* 1 *ad* 2 voluntatem Dei circa omnium salutem conditionatam vocat inquiens: *voluntas antecedens*

potest

potest dici conditionata, nec tamen est imperfectio ex parte voluntatis divinae.

26 Resp. 2, voluntatem subjective conditionatam non esse admittendam in Deo, sed tantum objective talem. Probatur prima pars: quia, cum Deus futura etiam apprime sciat, cum omnia sint ipsi praesentia, & mihi dictu, & vobis creditu difficile fuerit, divinam voluntatem quoad illa suspensam haerere, ac ab eventu futuro pendere, tum quia illusorium prorsus esset decretum conditionatum subjective in Deo, quo ipse suspensus haereat propter conditionem ab ipso pendentem, nec uspiam ab eo ponendam. Sane, si Deum fingamus ita pro hominum salute decernentem: *Volo omnium salutem, si gratiam finalem habuerint, quae tamen nuspiam a me aliquibus concedetur:* certe ludrica esset, ac prorsus inepta haec Dei voluntas.

His adde, quod Deus est actus purissimus; quaevis igitur suspensio ab ipso est excludenda: sed huiusmodi est voluntas subjective conditionata: ergo &c.

Secunda autem pars facile suadetur, quia non alia videtur fuisse Dei voluntas Israelitas ab hostibus defendendi, si mandata eius servassent, nec diis alienis cultum praestarent, *nisi objective* considerata: conditio enim se tenebat ex parte objecti. Idem hic de eius voluntate circa omnium salutem: haec autem voluntas objective considerata, ut jam dixi cum *D. Th. n.* 25, imperfectionem nullam involvit, quinimo videtur aptissima ad supremum Dei dominium explicandum, cuius praecipuae partes sunt fines aliquos creaturis constituere, quos ipsae obtinuerint, si ea praestiterint, quae ab eo sunt decreta ad huiusmodi finis assecutionem. Nihil igitur vetat, quin huiusmodi voluntates Deo tribuamus, quibus Deus non ita se gerat, ut nonnulli cavillantur, si res ita continget, hoc decernam; sed istud decerno non alio modo volens eventurum, nisi hoc, vel illo.

27 Ex his inferunt nonnulli, quod, si conditio pendeat a *solo* Deo, voluntas nulla hoc modo conditionata statuenda est in Deo, quia ludrica esset, & inepta: Deus enim tunc vellet fieri, quod non vult, quia nollet conditionem ponere, a qua prior voluntas penderet; si autem conditio pendeat etiam a creatura, admittendas tunc esse aiunt in Deo voluntates hoc sensu conditionatas, quod quidem, esto aliis verbis, idem omnino est, ac decreta conditionata Deo attribuere.

Quaeres,

Quaeres, sit ne in Deo voluntas libera, ac necessaria.

28 Resp. affirmative, quod constat ex numero 17: cum enim creaturae contingenter exsistant, Deus autem necessario; alio profecto modo se se Deus velle debet, alio creaturas: ergo istas libere, se ipsum necessario: ergo in Deo duplex statuenda voluntas praefata.

Quaeres, an recta sit divisio divinae voluntatis in efficacem, & inefficacem.

29 Resp. ex dicendis infra, ubi de efficacia divinae voluntatis lucem mutuandam esse ad huiusmodi quaesiti solutionem.

QUAESTIO II

de divinae voluntatis objecto.

Quamvis passim in Scripturis significetur Deum, nedum se ipsum, verum etiam creaturas ipsas amare, ut liquet Sap. 11: *diligis omnia, quae sunt*; tamen merito disputant Theologi, an ita Deus amet alia objecta a se, ut amat se ipsum, ac proinde, sitne Deus solum divinae voluntatis objectum. Porro huiusmodi difficultas solvi facile nequit, nisi notiones objecti materialis, & formalis saepe a Theologis repetitae in memoriam revocentur.

Objectum itaque formale voluntatis illud vocant, quo per se primo movetur voluntas, ac proinde propter quod cetera quis amat, illudque amatur propter se. Materiale illud dicunt, quod non propter se, sed propter illud amatur. Hoc autem aliud est primarium, secundarium aliud. De singulis examen instituemus

ARTICULUS PRIMUS

de objecto formali divinae voluntatis.

PROPOSITIO.

Sola divina bonitas est objectum formale divinae voluntatis.

30 Evincitur propositio cum Divo Thoma, & ceteris Theologis contra nonnullos censentes, objectum voluntatis divinae non esse bonitatem divinam, sed bonitatem complectentem tum creatam, tum divinam, evincitur, inquam

quam vulgatis Scripturae testimoniis. Proverb. 16 habemus: *Universa propter semetipsum operatus est Dominus : impium quoque ad diem malum*; Apocal. 22; *Ego sum alpha, & omega, principium, & finis*; Isaiae 43 : *Omnem, qui invocat nomen meum, in gloriam meam creavi illum*; Rom. 9: *Quod si Deus volens ostendere iram . . . . sustinuit in multa patientia vasa irae, apta in interitum, ut ostenderet divitias gloriae suae in vasa misericordiae*. Demum Ephes. 1 : *Praedestinavit nos in adoptionem filiorum . . . in laudem gloriae suae*. Deus igitur creaturam rationalem condidit in gloriam suam, peccatores *sustinuit* ad ostendendas divitias gloriae suae, & in gloriae suae laudem electos praedestinavit, eumque ob finem impios etiam esse permittit ad justitiae suae severitatem ostendendam: ergo singula, quae vult Deus, non propter bonitatem in genere vult, sed propter se ipsum.

31 Evincitur II auctoritate D. Augustini lib. 1 de doctrina christiana cap. 3 sic aientis: *Quomodo ergo diligit? ut nobis utatur; an ut fruatur? Sed si fruitur, eget bono nostro; quod nemo sanus dixerit; . . dixit enim Propheta . . . Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges : non ergo fruitur nobis, sed utitur . . . Sed neque sic utitur, ut nos: nam nos res, quibus utimur, ad id referimus, ut Dei bonitate perfruamur, Deus vero ad suam bonitatem usum nostrum refert.* Atqui ex eodem s. Doctore *ibid. cap.* 4 frui est amore alicui rei inhaerere propter se ipsam; uti autem, quod in usum venerit, ad id, quod amat, obtinendum referre: ergo Deus vere non amat creaturam propter se ipsam, sed propter se.

32 Evincitur III rationibus D. Th. hic. Objicit lib. 1 s. Doctor hanc difficultatem: *Volitum movet volentem; si igitur Deus vellet aliquid aliud a se, movebitur eius voluntas ab aliquo alio, quod est impossibile*. Deinde sic respondet: *Dicendum, quod in iis, quae volumus propter finem, tota ratio movendi est finis; & hoc est, quod movet voluntatem: unde cum Deus alia a se non velit, nisi propter finem, qui est sua bonitas, non sequitur, quod aliquid aliud moveat voluntatem eius, nisi sua bonitas : & sic sicut alia a se intelligit intelligendo essentiam suam, ita alia a se vult volendo bonitatem suam.* Et 1 contra Gentes: *Principale volitum est caussa volendi; si igitur aliquid aliud vellet Deus principaliter, quam se ipsum, sequitur, quod aliquid sit ei caussa volendi, sed suum velle est suum esse: ergo aliquid ei esset caussa essendi.* Nunc sic arguitur. Objectum formale motivum divinae volun-

luntatis juxta D. Thomam est Deo caussa volendi: ergo si bonitas creata sit objectum formale, motivum ipsius erit ipsi caussa volendi; atqui id repugnat: ergo &c. Tum quia, ut auctor est idem Angelicus praeceptor *q. 20 art. 2*, in hoc secernitur amor noster a divino, quod, licet nostro bonum alicui velimus, amor tamen huiusmodi non est caussa huius bonitatis; ubi ex adverso Dei amor est *infundens, & creans bonitatem*: ergo si amat alia a se, ipsa amat, quia bonum suum ipsis communicat. Ergo vult se ut finem, alia ut ad finem (sunt verba s. Doctoris hic q. 19 art. 2) *in quantum condecet divinam bonitatem etiam alia ipsam participare*.

33 Evincitur IV rationibus simul congestis: I Deus non amat creatam bonitatem propter ipsam, ac proinde ut formale motivum eodem actu, quo amat se ipsum, nec actu distincto: ergo &c. Antecedens probo quoad primam partem, quia bonitas creata, & divina sunt diversa objecta formalia: porro cum actus ab objectis specificentur, ubi ista diversa sunt, diversi sunt etiam actus. Secunda autem pars eiusdem antecedentis inde probatur, quod actus, quo Deus amaret creaturas propter ipsas seiunctim ab eo actu, quo se propter se ipsum diligeret, esset actus, quo Deus amaret creaturam sistendo in ipsa, tamquam in fine sine ulla subordinatione ad Deum, tamquam ad ultimum finem; atqui amor huiusmodi in Deo repugnat: ergo &c....

Huius autem ratiocinii vim non enervant, qui censent actum huiusmodi, quo Deus amat creaturam propter ipsam, dirigi in Deum per alium amorem, quo se ipsum diligit: nam inde sequitur, actum illum in se esse defectuosum, atque inordinatum, utpote extranea indigentem directione.

Ulterius. Vel ille actus dirigeretur in Deum necessario, vel contingenter. Si primum: ergo cum ex se sit ordinatus in Deum, non exigit alium actum, quo in Deum dirigatur; si secundum: ergo intrinsece non est ordinatus in Deum; unde ex hac parte imperfectus est, & defectibilis.

II Ut auctor est Augustinus, si, quando Apostolus inquit ad Philemonem, *ego te fruar in Domino*, particulam illam *in Domino* non addidisset, constituisset in Philemone propriam beatitudinem: ergo si Deus amat creaturas propter ipsas, jam ipsis non utitur, sed fruitur, ac proinde in ipsis propriam beatitudinem statuit.

III Quia divina volitio est infinita; eius igitur objectum specificum est sola bonitas divina, cum bonitas creata finita sit, & imperfecta.

IV

IV si secus res esset, creatura esset caussa finalis, motiva relative ad divinam voluntatem, quod absurdum est.

Responsiones ad objecta.

34 Opponitur I. Deus ex Augustino lib. 11 de civ. Dei, cap. 21 lucem fecit, quia bona est: ergo bonitas creata esse potest caussa motiva divinae voluntatis: ergo &c.

Praeterea creaturas possibiles Deus amat amore *simplicis complacentiae*, nec tamen iis utitur: ergo ipsarum bonitate fruitur, ergo amat ipsas propter ipsas.

Demum Deus amat creaturam rationalem amore amicitiae, qui est dilectio personae propter ipsam: ergo &c.

Resp. ad 1., verbum *quia* non designare caussalitatem, sed conditionem, ut lux a Deo fieret: si enim mala futura fuisset, nusquam Deus eam condidisset.

Ad 2. Distinguo anteced.. *Nec tamen iis utitur*, sed simul ipsis uti potest, eaeque ad gloriam suam conducent, si eas Deus velit exsistere. Concedo. Nec ipsis uti potest. Nego. Hinc pariter neganda est consequentia.

Ad 3. Concedo Deum amare justos amore amicitiae; verum amor huiusmodi non exigit, ut justus diligatur propter se ipsum: sufficit, ut Deus amet justum propter illud bonum, atque felicitatem, quam in ipso Deo consequitur. Motiva autem huiusmodi sunt exempli caussa participatio divinae naturae, quam per gratiam habitualem justus obtinet, aeterna beatitudo, quam ipsi largitur. Hinc vulgata est distinctio finis *cuius gratia*, & *finis cui*. Primo modo non diligit Deus creaturam, nec ipse ad dilectionem creaturae requiritur; cum creatura non sit motivum formale divini amoris: aliunde ad amorem amicitiae sufficit, ut Deus creaturam non amet ob commodum aliquod, quod sibi a creatura possit obvenire. Secundo modo utique quatenus amor ipsius ad creatura utilitatem conducit juxta illud Augustini lib. 1 de doctrina christiana cap. 3: *Ille igitur usus, qui dicitur Dei, quo nobis utitur, non ad eius, sed ad nostram utilitatem refertur; ad eius autem tantummodo bonitatem.*

35 Opponitur II. In Deo dantur virtutes morales, ut justitia, misericordia, &c.: ergo earum objectum formale motivum esse debet bonitas creata, cum bonitas divina sit tantum objectum virtutis Theologicae; tum quia aliena

miseria sublevanda est objectum misericordiae; non vero justitiae, cuius objectum est jus suum cuique reddere: ergo ista esse debent objecta formalia huiusmodi virtutum etiam in Deo. His adde, quod, si actus omnes virtutum in Deo, ac proinde Dei voluntas solam semper habeat pro objecto formali divinam bonitatem, solus semper erit in ipso actus caritatis, nullusque alterius virtutis actus. Demum merita sunt aliquid creatum, & tamen divinam movent voluntatem ad praemium Sanctis ex justitia conferendum: ergo &c.

Resp 1, improprie Deo virtutes tribui: virtus enim a vi dicta est; vis autem ad bonum in Deo esse nulla potest. Ne tamen difficultatem declinare voluisse videamur.

Resp. 2. Distinguo anteced. Dantur virtutes morales in Deo . . . indistinctae tum inter se, tum a caritate, quae pariter est a Deo indistincta. Conc. antec. Distincta. Nego antec., & distinguo consequens. Si huiusmodi virtutes reipsa & specie essent in Deo distinctae. Concedo consequent. Si secus. Nego. In Deo ob summam ipsius simplicitatem, atque perfectionem unicus est actus, qui primario est actus caritatis, secundario est actus misericordiae, justitiae, &c. Porro huiusmodi denominationes sortitur ex diversitate objecti terminativi: prout enim divina bonitas Deum movet ad miseriam humanam sublevandam, Deus vocatur misericors, prout ab eadem bonitate movetur ad praemia largienda, ipsius voluntatis actus vocatur justitia.

Ad 2. Aliena miseria sublevanda est objectum misericordiae, non justitiae, ubi misericordia non sit justitia. Conc. antec. Ubi misericordia, justitia, &c. sint idem, ac proinde sint primario caritas, & secundario justitia, misericordia &c. Nego anteced. & dist. consequens. Si misericordia in Deo sit praecise misericordia, justitia praecise justitia. Concedo consequent. Si in Deo sit primario caritas, & secundario justitia, aut misericordia pro diversitate objecti terminativi. Nego consequentiam.

Ad 3. Distinguo sequelam. Solus semper erit actus caritatis praecise talis. Negatur. Solus erit actus primario caritatis, secundario justitiae, & misericordiae, &c. Conceditur. Certe actus caritatis, qui sit virtutis infinitae, non est limitatus, ut actus caritatis creaturae, sed est primario actus caritatis, deinde aliarum virtutum.

Ad 4. Nego maiorem. Deus enim tunc movetur a bonitate divina ad aequitatem cum justis, & iniquis servandam

dam: nam merita sunt caussa praemii, eo quod jus aliquod habent in ipsum. Hoc porro jus vel est in eum, qui praemium confert, vel in solum ipsum praemium. Primum contingit, quando jus aliquod obstringit v. g. judicem ad tale praemium conferendum, quod a lege sancitum est, qua ligatur judex. Secundum vero, quando praemium conferens legi nulli subjicitur, sed potius eiusdem voluntas est caussa juris illius, quod quis habet ad praemium; unde ipsius volitio est justa praecise, quia rem sic agendam vult, ac judicat. Jam vero priori modo merita creata divinam voluntatem non movent ad praemii collationem, sed ex adverso divina voluntas a sola propria bonitate adstringitur, & movetur, nedum ad praemia conferenda, sed etiam ad ipsa merita caussanda, ac ipsis concedendum jus illud ad praemium, quin tamen ab ipso jure, vel a meritis Deus adstringatur. Quod ut penitus intelligatur, notatum velim, altaque mente repositum, quod praemium, prout est active, a Deo non caussatur, nec pendet a meritis, cum actio Dei conferentis meritum cum jure ad praemium sit prorsus gratuita, sed pendet a meritis, prout passive recipitur in creatura, quatenus merita sunt caussa, cur justus praemium obtineat, quod Deus voluit ipsi conferre, quando eidem largitus est meritum.

ARTICULUS TERTIUS

De objecto materiali divinae voluntatis.

CAPUT I.

An Deus velit, & amet seipsum, & alia a se.

PROPOSITIO I.

Deus amat, & vult se ipsum, & quidem primario.

36 Evincitur propositio vulgatis Scripturae testimoniis. Matth. 3: *Mihi bene complacui*; Isaiae 45: *mihi curvabitur omne genu*; Deuteron. 32: *Videte, quod ego sim solus*: atque hic Deus gloriae suae augmentum quaerit, ac dignitatis manifestationem, quod summum est amoris erga se indicium: ergo &c.

Huc accedit, quod, uti prima veritas est objectum materiale primarium divini intellectus, ita & summa bonitas erit pariter objectum primarium divinae voluntatis. Tum quia, ut docet D. Th. *lib.* 3 *contra Gent. cap.* 18, motivum primarium divinae voluntatis est etiam id, quod voluntas primario vult: atqui ex superioribus constat, Deum esse motivum primarium propriae voluntatis: ergo erit pariter id, quod ipsa prius vult.

Et sane, si alte, ut par est, de Deo sentiendum, perfectius nullum objectum materiale primarium eidem possumus adsignare, quam ipsam eius essentiam.

Demum nemo est, qui se sponte non amet, utpote objectum cuique intime praesens: ergo, cum divina voluntas sit etiam ab essentia divina indistincta, istam certe Deus amabit; aliunde, cum nullum sit dignius divini amoris objectum, quam essentia divina, haec erit ipsius objectum primarium.

PROPOSITIO II.

Deus vult, & amat creaturas.

37 Evincitur propositio. Jeremiae 31 habemus: *Perpetua caritate dilexi te*; Sap. 11: *Diligis omnia, quae sunt . . . Domine, qui amas animas*; Joan. 16: *Pater amat vos*; 1 Joan. 3: *Videte qualem caritatem nobis dedit Deus, ut filii Dei nominemur, & simus.* Mitto illud Augustini lib. 1 de Genes. ad liter. cap. 8: *Duo sunt, propter quae amat Deus creaturam suam, ut sit, & maneat.* Mitto pariter testimonia Leonis Magni *sermone de natali Domini*, Bernardi *lib.* 5 *de considerat. cap.* 4, ne abeat in immensum nostra haec disputatio, & solum adducam rationes aliquas ex ipsis sacris literis deductas. *Psal.* 144 legimus: *Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione*; Act. 17: *In ipso vivimus, movemur, & sumus.* Ergo vita nostra, cibus, potus, conservatio a Deo sunt: ergo Deus amat creaturas suas, cum bona illis velit, & conferat. Ulterius: *Proverb.* 23 Deus inquit: *Fili praebe mihi cor tuum*: vult igtiur cor hominis, Genes. 1: *Vidit Deus cuncta, quae fecerat, & erant valde bona*: ergo, cum bonum sit voluntatis objectum, & creaturae bonae sint, has etiam a Deo amari dicendum est.

Ex

Ex his, aliisque rationum momentis certissime stat, Deum diligere alia a se; cui quidem sententiae, quae est etiam D. Thomae hic *q.* 19 *art.* 2, nemo non utroque pollice subscribet.

Responsiones ad objecta.

38 Opponitur contra primam propositionem. Amor est ad alterum; item abstrahit a bono praesenti, unde differt a gaudio: ergo Deus amare nequit se ipsum, utpote a se indistinctum, ac proinde sibi intime praesentem.

Resp. ad 1 partem antecedentis cum distinctione. Si agatur de amore amicitiae, & concupiscentiae. Concedo. Si de amore complacentiae. Nego. Secunda autem pars antecedentis negatur cum consequentia. Utriusque responsionis vas mihi, ac sponsor est Angelicus praeceptor; prioris quidem *lib. I contra Gent. cap.* 91, ubi ait: *Amor est virtus unitiva; quanto ergo id, unde amans est unum cum amato, est intensius, tanto est amor intensior*; alterius vero est etiam *lib. I. contra Gent. cap.* 91: *Quanto est magis intimum amanti, tanto amor fit firmior.*

39 Opponitur contra secundam, & quidem primo Deus abunde sufficit ad proprium amorem, quin creaturae dicantur ipsius objectum: ergo &c.

2 Velle Dei est ipsum esse Dei: ergo, dum vult, vult tantum se ipsum. Ita sibi difficultatem opponit D. Thomas hic *q.* 19 *art.* 2.

3 Deus vult omnia propter se: ergo vult tantum se ipsum.

4 Voluntas amando perficitur aliquo modo a proprio objecto: ergo Deus amans creaturas ab iis etiam perficitur; atqui id repugnat enti perfectissimo: ergo &c.

5 Matth. 19: *Unus Deus bonus est*: ergo se solum amat.

6 Similitudo est fundamentum amoris; sed creaturae nullam habent cum Deo similitudinem: ergo &c.

Resp. ad 1 cum D. Th. hic ad 3: *Dicendum, quod ex hoc, quod voluntati divinae sufficit sua bonitas, non sequitur, quod nihil aliud velit, sed quod nihil aliud velit, nisi ratione suae bonitatis.* Hinc concesso antecedenti negatur consequentia; quia Deus, quae amat, amat propter se.

Ad 2 respondet D. Th. hic ad 1, quod, licet velle Dei terminatum ad Deum sit ipsa Dei essentia, ipsum tamen, ut terminatum ad creaturas, est tantum essentia

Dei ex parte *volentis*, non ex parte *voliti*, quod cum sit bonitas Dei participata, amatur a Deo; quia Deus amando seipsum, amat etiam id, quod suae bonitatis est particeps.

Ad 3. Concesso antecedenti, nego consequentiam; quia inde probatur tantum divinam bonitatem esse solum objectum motivum divini amoris, non vero quod alia non amet: sic omnia propter se ipsum operatus est Deus; & tamen creaturae sunt objectum materiale divinae omnipotentiae; quia sunt ab ipso.

Ad 4. Distinguo anteced. Quando objectum perficere potest voluntatem. Concedo. Aliter. Nego antec., & consequentiam, &, concessa minori sublumta, nego eidem adnexam consequentiam. Voluntas creata perficitur aliquo modo a propriis objectis; quia perfectio unius objecti, non est perfectio alterius, nec ipsa ab unius perfectione satiatur. Ast bonitas divina, utpote cuiusvis bonitatis rationem continens, ita complet, ac, ita dicam, perficit voluntatem divinam, ut haec ulterius perfici nequeat.

Ad 5. Deus bonus est simpliciter; alia autem sunt bona, quatenus sunt Dei participationes, ac proinde sub eo respectu a Deo diliguntur.

Ad 6. Nego minorem. Creaturae enim sunt effectus, & participationes, uti modo dicebamus, Dei ipsius, sed effectus, & participationes aliquam habent cum caussa, a qua profluunt, similitudinem, ac proinde ut tales amantur a Deo: in eo vero, quo a praefata similitudine deficiunt, a Deo non amari ultro concedimus.

Cetera, quae adhuc adversus propositionem hanc possent urgeri, facile solvas, modo pro certo teneas, Deum a se ipso satiari, sed insuper amare creaturas, non tanquam bonas sibi ipsi, sed quia iis vult bonum, seu quia, dum eas vult, vult se ipsum tanquam bonum, quod creaturis communicat.

CA-

CAPUT II.

Quomodo Deus velit se ipsum, & alia a se.

PROPOSITIO I.

Deus amat seipsum necessario.

40 Evincitur propositio I: quia Deus est summum bonum adaequans virtutem omnem amandi, quae in Deo est: nequit igitur proponi voluntati secundum rationem aliquam, a qua possit terminari actus aliquis oppositus amori.

II Velle Dei est ens prorsus necessarium: se igitur amat Deus necessario: si enim habere debet objectum sui amoris, & quidem necessarium, nec dignius, nec propinquius potest adsignari prae semetipso.

III Spiritus sanctus est ens necessarium; atqui Spiritus sanctus est amor Dei erga se ipsum: ergo amor huiusmodi est necessarius.

IV Fatentur omnes, amorem Beatorum erga Deum esse necessarium; quia Deus est summum bonum ab ipsis clare visum: ergo id potiori jure dici debet de Dei amore, cum Deus, nedum se videat, sed etiam se comprehendat.

PROPOSITIO II.

Deus amat amore simplicis complacentiae creaturas possibiles, & quidem necessario.

41 Evincitur prima pas contra plures Thomistas, aliosque etiam extra scholam Thomistarum. Amor simplicis complacentiae, ut distinctus ab amore absoluto, & efficaci, ille est, quo Deus in creaturarum bonitate duntaxat sibi complacet, quin eas aliquando velit esse; atqui hoc amore amat creaturas possibiles, idest creaturas, quae considerantur praecise, ut intrinsece possibiles, ac a Deo distinctae, non prout in Deo continentur: ergo &c. Minor probatur. Creaturae possibiles habent veritatem objectivam, qua a Deo cognoscuntur: ergo etiam bonitatem, qua a Deo amantur: aeque enim ens quodvis bonum est, ac verum, cum utrumque attributum sit *transcendentale*: sed amor huiusmodi Dei nequit dici efficax, cum has

crea-

creaturas non extrahat e statu possibilitatis: ergo erit amor simplicis complacentiae.

Praeterea id, quod amatur juxta adversarios a Deo, est exsistentia: ergo, cum in creaturis possibilibus reperiatur etiam ratio exsistentiae possibilis, haec certe a Deo amari poterit. Dixi *juxta adversarios*: nam id aliunde falsum est, ut patet in omnibus, quae optamus, non quia exsistunt, sed propter eorum bonitatem. Atque inde aliud duco ratiocinium ad thesis nostrae confirmationem. Deus non amat peccatum, licet habeat rationem exsistentiae: ergo ratio, cur aliquod sit bonum, non est, quia exsistit, sed quia eius exsistentia est bona. Ergo, cum aeque essentia possibilis bona sit, ac essentia exsistens, quia utraque habet rationem entis, cum essentia talis non sit, quia exsistit, sed quia his pollet attributis, ac proinde habet entis proprietates, cuiusmodi est bonitas; sequitur essentiam possibilem amari posse a Deo.

42. Evincitur II. Amor simplicis complacentiae tendere potest in bonum duntaxat possibile; aliunde bonum duntaxat possibile terminare potest huiusmodi amorem: igitur ex nullo capite repugnat. Prima pars antecedentis probatur ex Angelico hic *q.* 25 *art.* 2. Amor praecedit desiderium: ergo si desiderium supponit bonum non exsistens, & amor praecedit desiderium, amor complacentiae ferri certo potest in objectum non exsistens: ergo in objectum possibile. Tum quia si omnis amor supponeret objecti exsistentiam, vix posset assignari discrimen amoris a gaudio.

Secunda pars inde evincitur, quod nulla adest necessitas, ut bonum voluntati repraesentetur tanquam exsistens, ut haec in ipsum feratur amore complacentiae: eo enim modo, quo bonum per scientiam simplicis intelligentiae, non propositum ut exsistens, a Deo amari potest affectu efficaci, quo redditur exsistens, ita amari poterit a Deo simplici complacentia bonum possibile, quamvis non repraesentatum ut exsistens.

43. Evincitur nunc secunda pars. Deus non potuit creaturas possibiles amare, & non amare: ergo eas amat necessario. Probatur antecedens. Deus, utpote immutabilis, eodem se semper modo habuit. Entia possibilia, utpote nunquam exstitura, eodem modo nunc sunt, ac fuerunt, nec aliter esse possunt: ut talia enim sunt semper possibilia: ergo cum Deus nequeat e non diligente denomina-

ri

ri diligens creaturas possibiles, nisi nova aliqua relatio oriatur inter ipsum, & entia possibilia; haec autem relatio oriri non possit, ubi eadem semper extrema esse debeant; patet, Deum non potuisse diligere, & non diligere possibilia, sed, si diligit, semper debuisse diligere, ac proinde necessario; quod erat ostendendum.

Alia solent adduci in rei huius confirmationem; puta, Deum amare necessario propriam suam omnipotentiam: ergo etiam huius objectum, cuiusmodi sunt res possibiles omnes.

Insuper a Deo amari necessario bonum; possibilia autem bona esse. Haec, inquam, & alia plura possent in probationem adduci; sed rationem adductam abunde sufficere arbitror.

PROPOSITIO III.

Deus amat libere creaturas exsistentes.

44 Evincitur; quia passim innuunt scripturae, ut psal. 93: *Deus ultionum libere egit*; Ephes. 1: *Qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suae . . . . haec omnia operatur unus atque idem Spiritus sanctus, dividens singulis, prout vult.* In quae verba Ambrosius lib. 2 de fide, inquit: *Hoc est pro libero voluntatis arbitrio, non pro necessitatis obsequio.* Hinc s. Thomas hic q. 19 art. 3 ait: *Cum bonitas Dei sit perfecta, & esse possit sine aliis, cum nihil perfectionis ex aliis accrescat, sequitur, quod alia a se eum velle non sit necessarium absolute; est tamen necessarium ex suppositione: supposito enim, quod velit, non potest non velle, quia non potest voluntas eius mutari.*

Accedit ratio, quia quae exsistunt, vel exsistent, Deus vult duntaxat, prout ab ipso ad propriam bonitatem, ut in finem ordinantur: ergo, cum a Deo ad proprium finem non ordinentur necessario, sed libere, qua de caussa non exsistunt necessario, sed libere; ideoque vocantur entia contingentia; ea non necessario, sed libere Deus amare debet, & velle.

PRO-

Naturae mala, & poenae vult Deus per accidens tantum, non per se: mala vero culpae non vult neque per se, neque per accidens positive, sed tantum permissive.

45 Evincitur prima pars, quod nempe velit Deus mala naturae, ut monstra, aliosque naturae defectus; & mala poenae, cuiusmodi sunt angustiae omnes, quibus nos premit, contra Coluthianos apud Augustinum haeresi 65. Sic Deuter. 12 legimus: *Congregabo super eos mala*; Amos 3: *Si erit malum in civitate, quod non fecerit Deus*; Isaiae 45: *Ego Dominus faciens pacem, & creans malum*; Ecclesiastici 11; *Bona, & mala, vita, & mors, paupertas, & honestas a Deo sunt.*

Ratio id etiam suadet: quia, cum per peccatum deordinationes plures obveniant, ad Deum spectat, ut caussam primam, eas iterum per punitionem ordinare. Tum, quia si aliquem vult naturae defectum, eum dirigit ad maiorem in aliis defectibus naturae illustrationem.

46 Evincitur secunda pars: quia mala huiusmodi non aliam ob caussam vult Deus, nisi quia primario intendit bonum aliquod, quod ipsa consequuntur.

47 Evincitur tertia pars contra Manichaeos, Lutherum, & Calvinum: quia nihil frequentius est in scripturis, in quibus habemus psal. 5: *Non Deus volens iniquitatem tu es*; Sap. 14: *Odio sunt Deo impius, & impietas eius*; Habacuc. 10: *Respicere ad iniquitatem non poteris*; & Rom. 9: *Numquid iniquitas est apud Deum? Absit*. Tum quia Deus vult necessario se ipsum: ergo nequit velle peccatum; secus vellet contradictoria.

48 Evincitur quarta pars: quia, ut optime notat D. Augustinus Enchiridii cap. 11: *Deus usque adeo omnipotens, & bonus, ut de malo etiam bene faciat*; & cap. 27: *Melius judicavit de malis bene facere, quam nulla mala esse permittere*: igitur Deus & peccata permittit; & huiusmodi permissio eum non dedecet, cum bona ex peccatis etiam deducat.

His adde, quod Deus, cum sit omnipotens, potest peccata impedire efficaciter: cum igitur ea non impediat, dum potest, permittit eo vel maxime, quod omnia suaviter disponit; ideoque libera creaturis rationalibus permittit arbitria.

49 Opponitur contra primam propositionem. D. Thomas de *potentia q.* 10 *art.* 2 ad 5 docet, Spiritum sanctum procedere a Patre, & Filio libere per amorem: amor igitur Dei erga se ipsum liber est, non necessarius. Ulterius. Perfectior est amor *liber*, quam *necessarius*, cum modus agendi necessario imperfectior sit modo agendi libere: ergo &c.

Resp. ad 1. Distinguo anteced.: & *libere* juxta D. Thomam idem reddit ibidem ac *voluntarie*, *spontanee*, & non *coacte*. Concedo. Libertatem veram indifferentiae. Nego. Probat enim s. Doctor non esse coactam Spiritus sancti processionem, quia per amorem fit; quod autem per amorem procedit, nullam supponit coactionem.

Ad 2. Distinguo anteced. Perfectior est amor liber, v. g., ubi objectum sit limitatum, nec proinde continens omnem boni rationem. Concedo. Ubi objectum voluntatis capacitatem adaequet, & compleat ob universam boni rationem, quam continet. Nego anteced., & consequentiam.

50 Opponitur contra secundam. 1 s. Thomas 1 p. q. 5 art. 1: *Res qualibet in tantum bona est, in quantum est perfecta; in tantum autem est perfecta, in quantum est actu.* Ergo, cum res possibilis non sit actu, bona non est; ac proinde nequit a Deo amari.

2 Deus non vult bonum aliquod creaturae possibili, secus eam vellet exsistere: ergo eam non amat; cum amare idem sit, ac velle bonum alicui.

3 Aperta est Doctoris Angelici sententia 1 *p. q.* 19 *art.* 3: Deum nihil velle extra se necessario; cum bono nullo finito allici possit necessario voluntas perfectissima Dei.

4 Vel amor possibilium in Deo esset necessarius, vel liber. Non primum, quia Deus se solum amat amore necessario: non secundum, quia amor Dei liber solum nobis revelatione innotescere potest, aut effectu; nullum vero effectum, revelationem nullam de tali amore habemus: ergo &c.

Resp. ad 1. Distinguo anteced. Si sermo sit de perfectione *actuali.* Concedo, rem non esse perfectam huiusmodi perfectione, in quantum est actu. Si sermo sit de perfectione in potentia objectiva. Nego anteced., & distinguo consequens. Res possibilis, cum non sit actu, non est bona bonitate actuali, Concedo consequentiam. Bonitate possi-

possibili. Nego consequentiam. Si enim Deus velle non possit, nisi rem, quae sit actu, probari nuspiam poterit Deum velle omnium salutem, cum plures damnentur, ac proinde eorum salus nuspiam sit actu.

Ad 2 duplex habete responsum. I Transmisso antecedenti, distinguo consequens. Eas non amat amore efficaci. Concedo consequentiam. Amore simplicis complacentiae, qua eam approbat bonitatem, quae in creaturis possibilibus supponitur. Nego consequentiam.

II Distinguo antecedens. Non vult aliquod bonum in potentia creaturae possibilis, quatenus ei largitur attributa essentialia, ac proinde essentiam, non exsistentiam. Nego antecedens. Non vult bonum actu, quatenus eidem non impertitur exsistentiam. Concedo anteced., & nego consequentiam.

Ad 3 distinguo... idque docet s. Thomas loquendo de amore efficaci. Concedo. De amore simplicis complacentiae. Nego antecedens: & hoc sensu bonum finitum nequit necessario divinam voluntatem allicere. Hinc negatur consequentia: cum enim in Deo summa sit voluntatis cum intellectu conjunctio, & concordia; ubi intellectus divinus rem bonam esse cognoscit, judicio huiusmodi stare debet necessario voluntas, qui quidem assensus, & approbatio est amor complacentiae; atqui creaturas possibiles novit Deus esse bonas: ergo &c.

Ad 4 resp. Deum amare res possibiles eo modo, quo in se sunt; sed res possibiles in se necessario tales sunt, ac immutabiles: nam consistunt eae in non repugnantia ad exsistendum, & consensione attributorum, quae aliter se habere nequeunt: ergo Deus eam attributorum consensionem, eam ad exsistendum non repugnantiam amore necessario prosequitur.

51 Opponitur contra tertiam. Deus, ut summum bonum, est necessario sui diffusivus: ergo nequit amare libere creaturas exsistentes. Praeterea sequeretur divinam voluntatem, ut libere creaturas aliquas amantem, ad harum potius, quam ad illarum amorem determinari ab ipsis, quod nemo dixerit.

Resp. ad 1. Distinguo anteced. Est necessario sui diffusivus in actu primo. Concedo. In actu secundo. Nego anteced., & consequentiam.

Ad

Ad 2 negatur sequela: Deus enim ad hujusmodi amorem determinatur a propria cognitione, objectum ipsi proponente.

52 Opponuntur contra quartam 1 Scripturae testimonia, in quibus aliquid mali videtur Deus praecipere, ac proinde velle positive, ut Jacobi mendacium, Semei maledictionem in David, Isaaci occisionem: item passim ibidem inducitur corda indurans, & excaecans.

2 Augustinus Enchiridii *cap.* 16 videtur docere a Deo intendi nonnulla bona, quae malum tamquam medium supponunt, ut cordis ad Deum conversio per poenitentiam, quae supponit peccatum.

Idem Augustinus docet passim, Judam electum esse ad Christum prodendum, uti alios Apostolos ad ipsius nomen propagandum.

3 Deus subtrahendo gratias validiores scit hominem peccaturum: ergo, dum eas subtrahit, vult peccatum.

Resp. ad 1, nonnulla mala indigitari in scripturis, quia a Deo permissa fuerunt, non quasi quod Deus illa mandaverit: si enim mandasset, qui ea admisere, nullius criminis rei essent.

Praeterea aliqua a Deo dicuntur intenta, & praecepta; quia Deus aliqua voluit positive, ex quibus mali homines occasionem peccandi desumunt; vel demum, quia videns impios, ad aliquem reatum jam determinatos, ad unum potius, quam ad aliud ob fines sibi peculiares eos ferri decernit; quomodo aiunt gravissimi Theologi, se se gessisse, dum jussit Semei, ut David malediceret.

Jacob autem, ut gravissimi Theologi post Augustinum sentiunt, mendax non fuit; quia tempore colloquii cum patre Isaac primogenitura jam a Deo in eum fuerat translata.

Similiter Isaac occisio peccatum non erat: Deum enim vitae, & mortis dominum esse, nullus est, credo, qui ignoret.

Demum, quando in sacris literis dicitur Deus corda peccatorum indurare, vel excaecare, intelligendum id est negative, quatenus a Deo uberiora subtrahuntur auxilia; non vero positive.

Ad 2 dico, Augustinum in Enchiridio velle tantum bona a Deo intendi, praescindendo a peccato, quod supponunt. Hinc poenitentiam ut bonam intendit, sed non intendit peccatum, quod illa supponit.

Ad

Ad alterum eiusdem s. Doctoris testimonium dic, Judam fuisse a Deo electum ad Christi mortem procurandam electione consequente praevisionem nefandae proditionis ab ipso perficiendae.

Ad 3, concesso antecedenti, nego consequentiam: haec enim subtractio vel est in poenam peccati praecedentis, vel dic, Deum ad gratiam efficacem conferendam non teneri: aliunde homines, dum peccant, possunt peccatum vitare: cum aliquod Dei auxilium eisdem praesto sit; Deus ergo est nuspiam caussa peccati.

Quaeres, an Deus amet se ipsum amore proprie tali.

53 Resp. affirmative cum D. Thoma hic *q.* 2 *art.* 1. Nam ex dictis in Deo habetur voluntas: ergo amor: atqui huiusmodi amor versari debet circa objectum praecipuum divinae voluntatis, cuiusmodi est Deus: ergo &c. Probatur consequentia; quia amor est actus praecipuus voluntatis: ab eo enim ortum habent omnes actus voluntatis, sive ii tendant in bonum, sive a malo declinent. Si enim bonum prosequuntur, vel in ipsum tendunt desiderio, vel spe, vel gaudio. Porro nemo desiderat, sperat, nisi quod amat; nec consequenter quis guadet de eo, quod non amat: si vero a malo declinent, per eos certe nemo malum oderit, & ab ipso fugiet, nisi quia opponitur bono, quod amat. Jam vero sic arguitur. Amor ex dictis est actus praecipuus divinae voluntatis: ergo ubi habebitur voluntas, ibi erit etiam amor. Ergo uti habetur in Deo intellectio, qua praeditus est intellectus; ita, cum in Deo sit voluntas, amor etiam ipsi inesse debet. Prima autem minor subsumta cum adjecto consectario sponte fluit ex dictis.

54 Dices. Amor proprie talis abstrahit ab objecti sui possessione; atqui Deus praescindere non potest ab objecti sui, nimirum propriae bonitatis, possessione, cum sit per essentiam a Deo possessum: cum ipso enim identificatur: ergo &c.

Respondetur, & simul firmatur responsio ad quaesitum distinguendo maiorem. Amor abstrahit ab objecti sui praesentia, vel absentia, quatenus est actus, quo voluntas fertur in bonum, quin ad ipsum requiratur objecti praesentia, vel absentia. Concedo maiorem. Quatenus exigat, ut objectum consideretur praecisum a praesentia, vel absentia. Nego maiorem. Secus enim amari non posset id, quod

quod possidetur, nec amor augeri ex objecti praesentia, quod tamen experientia falsum prodit. Et concessa minore, nego consequentiam. Quemadmodum in objecto primario divini amoris habetur ratio boni possessi, & ratio boni summi, & infiniti, quin haec ratio exigat praecisionem a ratione rei possessae; ita quamvis Deus praecipui boni possessione fruatur, potest tamen etiam rationem summi boni attingere, ac proinde actus idem simplicissimus, quo delectatur in propriae bonitatis praesentia, & quem idcirco vocamus gaudium, erit etiam amor, quia ipso se respicit Deus, tamquam summum bonum; nec in eo difficultatem inveniet, nisi qui velit nodum in scirpo quaerere: Deus enim unico, ac perfectissimo voluntatis suae actu se se attingit, ac respicit ea omni ratione, qua potest. Ergo huiusmodi actus, prout attingit rationem summi boni, erit amor; prout attingit rationem summi boni possessi, erit gaudium. Nec enim satis intelligo, cur huiusmodi actus dicendus sit gaudium, quia attingit rationem possessi; non amor, dum attingit rationem boni. Hoc autem totum sola distinctione rationis absolvitur, quin ulla in actu divinae voluntatis occurrat distinctio virtualis: uti enim haec non admittitur inter divinam bonitatem, & eius praescientiam; ita nec est admittenda inter rationes amoris, & gaudii. Ulterius. Uti potentia nostra ad amorem virtualiter non distinguitur a potentia ad fruitionem; ita cum Deus sit actus purissimus, amor eius erit etiam idem virtualiter cum gaudio.

Quaeres II, an amor Dei erga se ipsum sit amor caritatis, an benevolentiae, an demum concupiscentiae.

55 Respondetur, amorem Dei erga se ipsum vocari posse amorem amicitiae, ac caritatis modo latiori, non vero in pressiori significatione: nam amicitia hoc modo sumta involvit necessario mutuam benevolentiam, ac proinde pluralitatem amorum; atqui inter Deum, & se ipsum non occurrit mutua benevolentia, nec proinde amor amantis, & amor redamati, ut patet: ergo &c.

Ulterius. Caritas infert unionem quamdam effectivam: ergo supponit extrema, quae in Deo amante se ipsum nemo assignabit. Si autem modo latiori huiusmodi amorem quis sumi velit, profecto Dei amor erga se ipsum caritas erit & benevolentia: nam hoc modo sumtus erit amor, exigens tantum personarum distinctionem, non vero voluntatum amantis, & amati: unde, cum amor huiusmodi, esto unicus, &

 indivi-

indivisibilis sit, tamen ille, quo omnes personae omnibus bonum volunt, ut bonum singularum, ac proinde sit omnium unio affectiva, vocari potest amicitia, seu benevolentia, & caritas, eoque sensu intelligendum erit illud I Joan. 4: *Deus caritas est*. Si autem sumatur hoc modo, facile secundum aliquam rationem amorem concupiscentiae ipsum etiam nuncupabo: cum enim Deus, & persona idem sint: nec enim distinctio mediat inter Deum, & personalitates, sed inter istas solum non poterit Deus amans personalitates non amare se ipsum, ut bonum proprium, quod est amor concupiscentiae. Breviter. Amor Dei erga se ipsum est amor *eminentialis*, rationes omnes, quae in caritate, amicitia, concupiscentia, reperiuntur, perfectissime continens; ideoque juxta diversas rationes huiusmodi denominationum capax.

CAPUT III

an Deus necessario velit optimum, & num amet omnia aequaliter.

§. I

an Deus necessitate aliqua sit determinatus ad optimum.

Si divinam voluntatem ut perfectissimam consideremus, eam semper ad optimum determinatam fidenter pronunciabimus: at ex adverso, si eamdem ut liberam, atque omnipotentem spectemus, longe aliter sentiendum videtur, ut constabit ex sequenti propositione.

PROPOSITIO.

Nulla necessitate Deus tenetur ad optimum faciendum.

56 Evincitur propositio; quia, ut optime innuit D. Th. in 2 *dist.* 44 *art.* 1 & 2, necnon *in praesenti quaestione* 25 *art.* 6, iis, quae Deus fecit, alia meliora tum in bonitate essentiali, tum in accidentali ab ipso condi possunt, & ipsa, quae sunt condita, meliora accidentario esse possunt, quamvis non essentialiter; secus non essent eadem entia, quae nunc sunt: ergo Deus nulla tenetur necessitate ad optimum faciendum; secus omnia, quae fecit, optima condidisset, ac proinde meliora praestare non posset

posset: qui enim optimum facit, non potest aliquid praestare melius ipso; atqui Deus ex dictis condere potest meliora iis, quae condidit: ergo &c.

57 Evincitur II. Inter opera, quae Deus molitus est, nullum certe invenias nobilius, ac praestantius Incarnatione; atqui ad hanc decernendam nulla necessitate adstrictus fuit Deus, cum alio modo potuisset mundum condere, aliisque circumstantiis eamdem Incarnationem velle: ergo opus praestantius, quod fecit Deus, nulla necessitate perfecit. Tum quia, si necessario Deus velit optimum, dicat, amabo, adversarius, quo pacto explicari poterit Scripturae locus, in quo Deus figulo comparatur ex eadem luti massa vas unum in honorem, aliud in contumeliam componenti? assignet partem illam orbis, ac totius universi, quae majori perfectione condi a Deo non possit, vel qua melior non possit cogitari. Haec porro cum nullus adversariorum in medium adferre possit, facile consentient, argumenta D. Thomae ad huius sententiae confirmationem prorsus esse accommodata.

Responsiones ad objecta.

58 *Opponitur* passim in Scripturis. Opera Dei vocantur optima, valdeque bona, ut: *Vidit Deus cuncta, quae fecerat, & erant valde bona*: & *Dei perfecta sunt opera*; quibus omnino consentiunt ss. Patres, ut Damascenus, & D. Augustinus, quorum prior lib. 2 de fide cap. 29 ait: *Sic fiunt omnia Dei providentia, ut meliori modo prorsus exsistere nequeant*. Alter vero libro 3 de libero arbitrio cap. 3: *Quidquid*, ait, *melius occurrerit, hoc scias fecisse Deum*.

Resp. haec omnia vere in Scripturis exstare, nec non apud Patres. At quid ad rem, de qua agimus? Inde ne infertur, opera a Deo facta esse optima, quae condere possit, eaque ex necessitate fecisse? Minime gentium. Sensus igitur est, quod ea, quae sunt a Deo facta in genere suo, & absolute bona sunt, nec a Deo fieri potuerunt ob finem meliorem, nec modo meliori, non vero quod sint eius perfectionis, ut perfectiora esse non possint accidentario, nec alia condi a Deo possint ipsis meliora in perfectione essentiali. Eodem prorsus modo intelligenda illa concilii Francofordiensis verba: *Credamus Deum omnia velle, quae sunt meliora*.

59 Opponitur 2. Quamvis Deus ad creaturas producendas non teneatur, tamen ex suppositione, quod eas velit, tenetur velle optimas: ergo &c.. Antecedens probatur; quia Deus est optimus rerum omnium artifex: ergo eius opera ea esse debent, quae optimum artificem deceant: ergo perfectiora, quae fieri potuerunt; secus in iisdem condendis optimi artificis partes non servasset.

Resp. negando antecedens; ad cuius probationem, concesso antecedenti, negatur consequentia. Ad id enim sufficit, ut opus respondeat ideae, quam Deus assumsit, ita ut res illa bona sit, idque habeat, quod ad propriam rerum speciem pertinet, si sit conformis ideae, quae habetur in mente Dei. Porro Deus necessitate nulla tenetur ad ideam assumendam, quae sit perfectior.

60 Collige ex dictis, quod, licet meliora Deus condere possit iis, quae condidit; attamen si spectemus modum, quo illa fecit, seu modum ex parte facientis, non ex parte rei factae, & finem, propter quem ea esse voluit, dicendum, nihil a Deo melius fieri posse, quam quod fecit; quoad modum quidem, eo quod nihil Deus praestare potest maiori bonitate, nec meliori sapientia: quoad finem, quia, ubi Deus rem aliquam efficaciter vult, ea est absolute, ac proinde est medium ad proprium finem certissime conducens, & ad ipsum obtinendum aptissimum: ergo in ea ratione melius ipso dari nequit.

Tum quia Deus nequit agere, nisi propter se ipsum: ergo finem meliorem nequit constituere rebus, quas condidit: ergo &c.

Quaeres, an, si Deus ageret necessario ad extra, actum esset de libertate creata.

61 Resp., quod si Deus necessario operatur *ad extra*, de libertate creata actum esset. Probatur; quia tunc nulla foret in Deo libertas: ergo nec in creatura: haec enim libertatem, quam haberet, participaret a Deo: atqui in hypothesi Deus eam communicare non posset creaturae, eam quippe non haberet: ergo &c.

Tum quia nulla est perfectio simpliciter simplex, cuius creatura particeps esse possit, quae in Deo formaliter non praecontineatur; sed nullus homo ignorat, libertatem esse perfectionem simpliciter simplicem: ergo &c.

§ II.

§. II

an Deus amet omnes creaturas aequaliter.

PROPOSITIO

Deus aequaliter omnia diligit, si ipsius actus dilectionis spectetur, inaequaliter vero, si bonum attendatur, quod Deus vult creaturis.

62 Evincitur propositio; quia omnia amantur a Deo unico, ac simplicissimo actu voluntatis, qui nequit suscipere magis, ac minus; nec ideo esse magis, aut minus intensus; aliunde, cum alia sint aliis meliora, illis prae istis Deus maius vult bonum: ergo stat utraque pars propositionis.

Confirmatur hoc totum auctoritate D. Thomae sic aientis hic q. 20 art. 3: *Duplici ratione potest aliquid magis, vel minus amari. Uno modo ex parte ipsius voluntatis, qui est magis, vel minus intensus: & sic Deus non magis quaedam aliis amat, quia omnia amat uno, & simplici actu voluntatis, & semper eodem modo se habente. Alio modo ex parte ipsius boni, quod aliquis vult amato, & ... hoc modo ... Deus quaedam aliis magis amat: cum enim amor Dei sit caussa bonitatis rerum, non esset aliquid alio melius, si Deus non vellet uni maius bonum, quam alteri.*

63 Quae contra opponuntur, facili negotio solvuntur, si haec alta mente reponantur I illud Sap. 6, *aequaliter est illi cura de omnibus* significare nullam esse apud Deum personarum acceptionem tum in praemiis, ac suppliciis conferendis, tum omnibus consulendo; Deum pariter, seu nullo excepto, omnia curare summa, qua pollet, providentia; demum singulis providere aequali bonitate, parique sapientia.

II Illud maxime notandum est, quod ea omnia, quae plus a Deo diligi prae reliquis Scripturae innuunt, vel Patres, eo sensu plus diliguntur, quatenus illis maiora contulit bona; ideoque meliora sunt. Hinc magis a Deo diligitur Christus, quam universum humanum genus: ut enim notat s. Augustinus *tract. 110 in Joan.*, & s. Thomas hic *art. 4 ad 1*, maiora ipsi contulit dona, ac maius voluit bonum: *eique nomen dedit, quod est super omne nomen.* Eamdem ob caussam, si humana natura spectetur, prout a verbo divino assumta, excellentior est natura Angelica;

eoque sensu intelligendum est illud Hebraeorum 2 *nusquam Angelos apprehendit, sed semen Abrahae*. At si eadem natura in se, & absolute consideretur, inferior est Angelica: in hac enim maiora sunt naturae dona. Ex adverso si gratiae dona spectentur, magis a Deo dilectus est homo lapsus, quam Angelicus peccator: illum enim redemit Deus; hunc neutiquam. Vid. D. Th. hic *art.* 4 *ad* 2.

Demum illud mihi monendi estis, quod, licet Luc. 15 habeamus: *Maius erit gaudium in caelo super uno peccatore poenitentiam agente, quam super nonaginta novem justis*; illud tamen non significat, Deum inaequaliter creaturas rationales diligere inaequalitate se tenente ex parte actus voluntatis, sed tantum quod poenitentes, utpote maiori fervore succensi, maius Deo gaudium pariunt, quam innocentes. Tum quia pluris habetur gratiae donum collatum poenitenti, quam justo: uti maioris aestimatur donum 50 aureorum pauperi collatum, quam viro principi datum, ut notat hic D. Th.

QUAESTIO III

quaenam virtutes morales Deo tribui possint, & an sint ab eius voluntate distinctae.

Cum num. 35 concessum a nobis fuerit adversariis objectum formale motivum divinae voluntatis a nobis constitutum oppugnantibus, virtutes morales Deo inesse, jus fasque est juxta methodum a communi Theologorum hac in parte servatam brevissimam de ipsis inquisitionem instituere. Hac de re.

Quaeres I, quaenam virtutes morales ex communi Theologorum consensu Deo inesse formaliter defendantur.

64 Resp. eas esse prudentiam, justitiam, misericordiam: nam fortitudo, utpote ad irascibilem temperandam directa, temperantia ad concupiscibilem, non videntur Theologis formaliter in Deo admittendae, cum in Deo supponant defectus Deo prorsus indignos. Aliquo tamen modo defendi possunt: cum enim virtutes illae nobis Deus inesse velit, huiusmodi volitiones videntur aliquid involvere, quod ad laudatas virtutes proxime accedit. Restat igitur ut reliquas virtutes cum communi Theologorum sermone perstringamus, inter quas, cum prudentia ad intelle-

ctum

ctum spectet, idcirco solas examinabimus, quae ad voluntatem referuntur.

Quaeres II, sit ne in Deo vera justitia.

Ante responsionem duplex notanda est justitiae acceptio, distributivae nempe, & commutativae. Prima est, qua juxta cuiusvis merita, vel demerita, praemia, & supplicia distribuuntur. Secunda autem est, qua cuique redditur ad aequalitatem accepti, & consistit in aequalitate rei ad rem. Jam vero justitiam distributivam, qua parte sceleribus poenas decernit, exsulem a Deo voluerunt Marcionitae, teste Tertulliano *lib.* 2 *adversus Marcionem*, & novissimis temporibus Socinus, a quo Sociniani: hic enim, ut satisfactionis Christi Domini necessitatem prorsus evertat, liberam in Deo admittit justitiam, qua, si velit, possit in peccata animadvertere, cognitis suppliciis. At negat perfracte, attributum aliquod Deo inesse, quo teneatur a peccatore poenas debitas exigere, nec possit reatum inultum relinquere; unde subdolus errorum architectus deducit, nullam fuisse necessitatem satisfactionis Deo praestandae pro communi hominum lapsu a Christo redemtore.

Contra stant Catholici omnes, qui, licet liberum esse concedant Deo modum, tempus &c. ultionis; hoc tamen Deo attributum inesse volunt. Quod attinet ad justitiam commutativam, aliter se res habet, ut ex responsione ad quaesitum mox constabit.

65 Resp. justitiam distributivam Deo inesse formaliter; commutativam autem, si rigorose loqui velimus, in Deo non haberi. Prima pars probatur tum ex psal. 84: *Justitia de caelo prospexit*; tum ex illo psal. 118: *Justus es Domine, & rectum judicium tuum*. Quae quidem testimonia, si cum illis conferantur 2 ad Timoth. 4: *Bonum certamen certavi - . . . in reliquo reposita est mihi corona justitiae, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex*; Exod. 34: *qui reddis iniquitatem patrum filiis, atque nepotibus*; Marci 16: *tunc reddet unicuique secundum opera eius*; & cap. 25: *Ibunt hi in supplicium aeternum*; *justi autem in perpetuum vivent*, habes probationem, quae nullum dubitationi locum relinquit.

Accedunt in confirmationem rationes nonnullae. Primo enim, ut quid a Filio gravissimas poenas caelestis Pater exegisset, si pro libitu peccata hominum poterat relaxare? II Quid clarius nobis a conscientiae stimulis indigitatur, quoties criminis alicuius conscii sumus, nisi Deum esse

 noxarum

noxarum omnium justissimum ultorem? Stat itaque Deo inesse justitiam distributivam.

Secunda autem pars, quod nempe improprie solum, non stricta acceptione Deo conveniat justitia commutativa, facile probatur; quia huiusmodi justitia in aequalitate dati, & accepti consistit; atqui nihil habet homo, quo fieri possit inter ipsum, & Deum perfecta commutatio: quid enim boni homo habet, quod non sit a Deo? ac proinde quid poterit Deo conferre, quod ad ipsum non pertineat, aiente Apostolo *Rom.* 11: *Quis prior dedit illi, ut retribuatur ei*? Et Job. 41: *Quis ante dedit mihi, ut reddam ei*? Hinc D. Thomas 1 *contra Gentes cap.* 94 inquit: *Non competit Deo commutativa justitia, sed solum distributiva*.

Dico tamen latiori significatione tribui Deo justitiam commutativam; quia *de facto* gloria vocatur passim a Patribus *corona*, *merces* &c., juxta illud Augustini tract. 3 in Joan.: *Audi illum jam flagitantem debitum, qui primo indebitam jam susceperat gratiam*. Ergo id argumento est, quod res a Deo promissa, quia certissime conferenda, in jus nostrum cedit, ac proinde fit nobis debita; aliunde, cum merita, quibus jus istud adquirimus, sint ex gratia, quae donum est Dei, verum debitum, ac strictam justitiam commutativam non involvit.

Quaeres III, sit ne in Deo formaliter misericordia.

66 Resp. misericordiam sumtam pro voluntate alienam miseriam sublevandi inesse formaliter Deo. Ita s. Thomas hic *q.* 21 *art.* 3 *in corp.* inquiens: *Tristari de miseria alicuius non competit Deo, sed repellere miseriam alterius hoc maxime ei competit*. Responsio autem nostra diserte innuitur in sacris Literis. Sic psal. 144 haec habemus: *Miserator, & misericors Deus, patiens, & multum misericors*; Exod. 34: *Domine Deus misericors, & clemens .... qui aufers iniquitatem, & scelera, atque peccata*. Hinc D. Augustinus lib. 2 ad Simplicianum *De misericordia*, inquit, *si auferas compassionem, ita ut remaneat tranquilla bonitas subveniendi, & a miseria liberandi, insinuatur divinae misericordiae qualiscumque compassio*.

Quaeres IV, an huiusmodi virtutes distinguantur virtualiter a divina voluntate.

67 Resp. affirmative; quia ea, quorum objecta sunt formaliter diversa, fundamentum praebent intellectui ea formaliter distinguendi, atque ut distincta concipiendi, cum vel distinguantur inter se, vel aequivaleant pluribus distin-

distinctis, ut distinctis; atqui objectum divinae voluntatis est formaliter diversum ab objecto misericordiae, cum illius objectum sit divina bonitas absolute in se spectata, istius vero eadem bonitas, prout alienae miseriae subveniens: ergo &c.

Et sane, si est fundamentum ad intellectum divinum virtualiter a voluntate distinguendum diversitas formalis objecti utriusque facultatis, illud pariter erit in re nostra pro virtuali distinctione inter voluntatem, omnesque virtutes constituendam.

QUAESTIO IV

an divina voluntas aliquam habeat caussam, & qualis inter ipsius actus admittendus sit ordo.

ARTICULUS PRIMUS

an voluntati divinae adsignanda sit caussa.

Quaeres I, an divina voluntas aliquam habeat caussam efficientem.

68 Resp. negative: cum enim divina voluntas ab eius essentia sit indistincta, uti haec nullam habet caussam efficientem, ita nec illa.

Quaeres II, an effectus, quos ad extra, *& in tempore operatur divina voluntas, habere possint caussam meritoriam.*

69 Res. affirmative; quia *de facto* gratiae, & gloriae dona, quae nobis a Deo conferuntur, ea nobis Christus promeruit: ergo &c. Antecedens patet ex frequenti Scripturarum locutione, ut Rom. 3: *Justificati per redemtionem, quae est in Christo Jesu*; Ephes. 1: *benedixit nos omni benedictione spirituali in Christo*. Mitto caelestem gloriam tamquam praemium meritis conferri, ut liquet ex Rom. 2: *Deus reddet unicuique secundum opera eius iis quidem, qui secundum patientiam boni operis, gloriam, & honorem, & incorruptionem quaerunt vitam aeternam*: ergo &c.

Quaeres III, an terminatio libera divinae voluntatis ad effectus futuros ad extra *possit habere aliquam caussam meritoriam.*

Ante responsionem nota *terminationem* hic sumi pro ea relatione tendentiae, qua divina voluntas se habet ad

ad objectum, quod vult esse *ad extra*. Si enim v. gr. Deus gloriam voluit nobis in tempore conferre, ad ipsam debuit huiusmodi volitio terminari. Porro haec terminatio vel active spectatur, vel passive. Active prout voluntas effectum ponit: passive autem, prout effectus recipit esse ab eadem voluntate, & laudatam tendentiam terminat.

Respondetur, terminationem divinae voluntatis ad effectus futuros passive consideratam habere posse caussam meritoriam. Probatur. Effectus divini decreti in tempore positus habere potest caussam meritoriam: ergo & eius terminatio passiva, quae est omnino connexa cum eodem effectu.

Dixi *terminationem passivam*; quia de activa dubitant nonnulli: cum enim haec sit Deo, eiusque volitioni intrinseca, videtur non posse ipsi attribui caussam meritoriam, quae Dei volitioni etiam non tribuatur; atqui haec (aiunt ipsi) propter summam independentiam nullam habere potest caussam meritoriam: ergo &c.

Quaeres IV, an actus divinae voluntatis secundum propriam naturam spectatus habeat caussam aliquam finalem.

Respondetur negative; quia Deus, utpote actus purissimus, ac simplicissimus, eodem actu vult finem, & media: ergo non potest ab amore finis moveri ad electionem mediorum.

Tum quia caussa finalis non movet, nisi sit distincta ab ea voluntate, quae movetur, juxta ea, quae superius diximus n. 41: ergo &c.

Quaeres V, an saltem divina bonitas sit relate ad Deum ratio volendi.

72 Resp. affirmative: cum enim ex dictis n. 30 constet, divinam bonitatem esse objectum formale motivum divinae voluntatis, erit ipsius ratio volendi; idem quippe reddunt ratio volendi, & objectum formale.

Quaeres VI, an effectus divinae volitionis, qui in tempore conferuntur, habeant relate ad nos veram caussam finalem.

73 Resp. affirmative; quia *de facto* huiusmodi effectus, cum sint a Deo, ad ipsum tamquam ad caussam finalem supremam referuntur; imo ex ipsis aliqui ad alios etiam referuntur; sic gratia ad gloriam refertur.

Dixi

Dixi *relate ad nos*; quia *de facto* finem & media distinctis actibus volumus: hinc uno actu gloriam, alio actu gratiam ad illam comparandam amamus: ubi Deus ex adverso, cum unico actu velit & finem, & media, non vult aliquam creaturam propter aliam.

74 Ex his omnibus inferendum, Deum velle omnia entia creata secundum ordinem, quem re ipsa habent inter se: velle pariter unum esse propter aliud. Prima pars ex se ipsa liquet: cum enim huiusmodi ordo sit totius universi a Deo conditi ornamentum, virtus, & basis, a Deo eiusdem creatore esse debuit. Secunda pars innuitur ab Angelico praeceptore hic q. 19 art. 5 in corp.: *In Deo velle finem ipsi non est caussa volendi ea, quae sunt ad finem, sed tamen velle ea, quae sunt ad finem ordinari in finem; vult ergo Deus hoc esse propter hoc, sed non propter hoc vult hoc.* Deus igitur vult, rem aliquam esse caussam finalem alterius non sui respectu, sed nostri; quia rei alicuius volitio non est caussa relate ad Deum, cur aliam velit, cum omnia simul velit Deus, nec ab una re ad aliam decernendam moveatur. Quare autem Deus velit, rem aliquam esse propter aliam rem, paucis exponit Pasqualigus inquiens, divinam voluntatem ad id determinari determinatione formali ab ideis huiusmodi *objectorum*, prout sunt in mente Dei.

ARTICULUS SECUNDUS

Qualis ordo inter divina decreta admitti debeat.

75 Ut a dubiis certa secernamus in hac re, illud ab omnibus sine dubitatione est agnoscendum, ordinem nullum realem esse posse inter divina decreta: hic enim ordo supponit actus reapse inter se distinctos, ac proinde multiplicia decreta, quae si semel de Deo adfirmentur, de summa eius simplicitate actum erit. Quod igitur in controversiam adducitur a Theologis, illud est, an, licet in Deo sit unus, & simplicissimus actus voluntatis, tamen aequivaleat plurimis decretis: unde juxta nostrum concipiendi modum ordo aliquis secundum prius, & posterius inter ipsa constituatur.

76 Jam vero censent gravissimi Theologi, ordinem aliquem modo nunc exposito statuendum esse in divinae voluntatis actibus, qui proinde distinctione *rationis ratiocinatae* distingui per mentem possunt juxta huius distinctionis no-

tiones

tiones, quae solent tradi in *tractatu de Deo*, *& divinis attributis* Aiunt enim: volitio meriti in creaturis praecedit volitionem praemii, volitio finis volitionem mediorum: ergo, cum Deus velit & finem, & media, & merita, & praemia, aliaque plurima, quorum unum reipsa ad aliud ordinatur, clare patet, eumdem actum pluribus distinctis aequivalere, ac proinde subministrare intellectui fundamentum ad divina decreta secundum quemdam ordinem concipienda. Sic, cum voluntas finis praecedat volitionem mediorum, & ex istis, quae sunt fini propiora, praecedant remotiora, & sic de aliis, prius concipi poterit Deus intendens finem, quam media, & consequenter prius volens hominum salutem, secundo, Verbi incarnationem in ea sententia, quae primam statuit pro Incarnatione motivum primarium: prius donum perseverantiae, quam alia dona ad vitam aeternam consequendam minus proxime conducentia. Haec innuisse sufficiat.

QUAESTIO V

an Dei voluntas sit immutabilis.

PROPOSITIO

divina voluntas nulli mutationi est obnoxia.

77 Evincitur propositio ad fidem pertinens contra Stoicos Worstium, & Socinianos dissertissimis Scripturae testimoniis, ut Num. 23: *Non est Deus, ut filius hominis, ut mutetur*; Malach. 3: *Ego Dominus, & non mutor*; Isaiae 46: *Consilium meum stabit, & omnis voluntas mea fiet*. Alia mittimus, tum etiam locutiones ss. Patrum, ne operam in re non necessaria collocemus: qui enim eas nolit ignorare, adire potest Origenem *lib. 6 contra Celsum*, Lactantium *lib. 2 cap.* 8, Ambrosium *initio tractatus in symbolum*, Augustinum *lib. 1 de Trinit. cap.* 4, *& lib.* 11 *de Civit. cap.* 10.

Accedit etiam ratio; quia Dei voluntas mutari nequit, quin sit in potentia ad eam volitionem, quam haberet de novo, quod actus puri rationem ab imo evertit. Insuper. Si Deus mutari posset in suis decretis, vel haec mutatio fieret per actus sibi succedentes sine ulla inter ipsos oppositione, vel cum oppositione, vel eodem omnino actu. Non primum; secus Dei voluntas non erit infinita, sed limi-

limitata, ut voluntas creata, quae plura vult distinctis volitionibus. Non secundum; quia tunc Deus inconstantiae notam incurreret, vel ignorantiae: qui enim consilium mutat ob rationem postmodum cognitam, & prius ignoratam, inscius certe est, & ignorans, vel si mutat sine caussa, levitatis apud omnes traducitur. Non tertium; quia tunc divina substantia mutaretur, cum qua divina voluntas identificatur.

Denique vel Deus mutaretur in melius, vel in peius. Non primum; quia Deo nihil melius excogitari potest. Non secundum; quia desineret esse id, quo nihil potest fingi animo perfectius: ergo &c.

Quae opponi solent, opportunius, ubi de Dei libertate sumus acturi, diluentur.

DISSERTATIO II

de divina voluntate relate ad nos considerata.

Divina voluntas juxta eum, quem ad nos habet respectum I spectari potest, ut omnium, quotquot sumus, caussa; II de ea potest inquiri, an libere nos velle possit, dum ipse est immutabilis & quo modo sit explicanda ipsius libertas; III an omnis ipsius volitio ad nos terminata impleatur; IV an vere, ac sincere nostram salutem velit; V quinam affectus Deo conveniant relate ad creaturas. Haec, inquam, sunt capita disquisitionis nostrae praecipua. Haec promissa a nobis praestanda.

QUAESTIO I

an divina voluntas sit nostrum, ac omnium entium caussa creatorum.

Sensus quaestionis est, an Deus ex necessitate naturae operetur, vel voluntate, quo sensu sit.

PRO-

PROPOSITIO.

Dei voluntas est nostrum, aliorumque entium creatorum caussa.

78 Evincitur propositio ex Scripturis. Sap. 11: *quomodo posset aliquid permanere, nisi tu voluisses?* 1 Apocal. 4: *propter voluntatem tuam erant, & creata sunt*. Hinc Augustinus lib. de fide contra Manichaeos cap. 28, 41, & 49 ait: *Nullam necessitatem patitur Deus, neque necessitate facit, quod facit, sed summa, & ineffabili voluntate, ac potestate: decet enim omnipotentem facere, quae voluerit*.

Ratio autem id suadet; quia, ut hic docet D. Thomas *q.* 19 *art.* 4, agens naturale, ut sol, v. g., planta &c., eodem semper modo operatur, nisi aliquid ipsum impediat: atqui Deus a nullo potest impediri, & varia variis modis operatur: ergo &c.

Ulterius. Deus est omnium caussa: ergo vel agendo dirigitur a superiore, vel agit per voluntatem. Probatur consequentia. Quaevis actio ex se debet dirigi in finem: ergo vel dirigeretur in Deo a superiore, vel a propria voluntate intendente finem; atqui primum repugnat: ergo dicendum est secundum: ergo Deus per voluntatem *ad extra* operatur.

Demum ex dictis Deus vult libere creaturas exsistentes, ac proinde voluntarie: ergo &c.; aliunde, cum sit primum agens, prius est agente per naturam, seu necessitatem: ergo debet agere per voluntatem.

Quaeres, an scientia Dei, vel eius voluntas propius, ac magis immediate dicenda sit rerum caussa.

79 Respondetur, probabilius id posse affirmari de voluntate; quia Divina scientia est rerum caussa ad modum ideae, & caussae exemplaris. Divina voluntas, ut imperans, est in linea caussae efficientis: ergo ipsa efficaciter exsequitur, quod a scientia proponitur: ergo propinquius est rerum principium voluntas, quam scientia Dei. Hinc Angelicus *q.* 23 *de veritate art.* 2 *ad* 3 inquit: *Voluntas divina est immediatum creaturarum principium ordinando attributa, secundum quod ad opus applicantur*.

QUAE-

QUAESTIO II

an Dei voluntas in creaturarum productione sit libera: quid sit huiusmodi libertas, & quaenam sit ratio ipsam cum immutabilitate conciliandi.

ARTICULUS PRIMUS

an sit in Deo admittenda libertas relate ad ea, quae vult *extra* se.

Solum hic, ut ex titulo liquet, inquiritur, an vera sit admittenda in Deo libertas relate ad ea, quae *ad extra* producit: id enim inquirere, ubi de actibus suis immanentibus agitur, superfluum omnino est, nisi contingentem esse velimus Verbi generationem, ac Spiritus sancti processionem. Haec porro libertas, quam mox ut fidei dogma adversus Worstium, aliosque male feriatos homines vindicavimus, esto involvat vim sui determinativam cum indifferentia ad agendum, vel non agendum, seu libertatem contradictionis, vel etiam ad agendum oppositum, sive libertatem contrarietatis; tamen non infert in Deo libertatem ad malum, aiente sancto Thoma in 2 sententiarum dist. 25 q. 5 art. 1 ad 2: *Ad rationem liberi arbitrii non pertinere, ut indeterminate se habeat ad bonum, vel ad malum*. Sit jam,

PROPOSITIO.

Deus agens extra *se libere agit, ac proinde relate ad nos admitti debet in Deo libertas.*

80 Evincitur propositio, nec quidem multis: id enim non est necesse. Psal. 134 legimus: *Omnia quaecumque* (Dominus) *voluit, fecit in caelo, & in terra, in mari, & in omnibus abyssis*. Quod quidem jam dixerat Regius psaltes psal. 93: *Deus ultionum libere egit*; Ecclesiastici 39: *Si Dominus voluerit, spiritu intelligentiae replebit illum*; Ephesiorum 1: *operatur omnia secundum consilium voluntatis suae*; 1 Corinth. 12: *Haec omnia operatur unus, atque idem Spiritus dividens singulis, prout vult*.

Sua-

Suadet hoc ipsum usus orationis: si enim a Deo precamur, ut bona, quae non meremur, impendat, & quas meremur poenas avertat, profecto libertatem in Deo agnoscimus. Quod si haec omnia ab eius nutu non penderent, nulla ad ipsum dirigeretur oratio: quod enim necessario sequi debet, precibus nequit suspendi.

Huc accedit, quod libertas est perfectio simpliciter simplex: ergo Deo tribuenda in suis actionibus *ad extra*.

Et sane cum Deus se ipso perfecte fruatur, ac plenam habeat sui possessionem, nullius rei indiget ad obtinendum id, quod omnis suae actionis est finis, nempe se ipsum; atqui consentiunt universi, quod, ubi medium aliquod ad finem adsequendum non est necessarium, & tamen adhibetur, libere ponitur.

81 Accedit altera non levis Catholici dogmatis probatio: nam ita Deus condidit creaturas, ut potuerit ab earum creatione abstinere: ergo ipsi libertas contradictionis est omnino tribuenda. Antecedens probatur; quia Deus omnino sibi sufficit, consequenter potuisset nihil velle *ad extra*. In eo autem casu nullam habuisset volitionem positivam non exsistentiae creaturarum; ac proinde meram omissionem, seu negationem volitionis exsistentiae earumdem; atqui modus hic libertatis est ipsa libertas contradictionis: ergo &c.

Ulterius. Deus, malo secluso, ita res facit, ut possit facere oppositum: sic ita Deus peccatorem convertit, & ita ad se conversum caelesti gloria remunerat, ut ipsum potuisset damnare: ergo &c. Veritas haec passim habetur apud Patres diserte explicata, ut apud Augustinum *lib. de natura, & gratia cap.* 7, Ambrosium *lib.* 2 *de fide cap.* 3, Hieronymum *in caput* 1 *epistolae ad* Philemonem.

82 Superest nunc, ut difficultates, quae totam controversiam involvunt, praeoccupemus. Primo, esto, Deus sit liber, non est tamen indifferens ad actum: quod enim vult in tempore, voluit semper *ab aeterno* ratione infinitatis, ac summae simplicitatis, quae in eius voluntatis actu reperitur; quae quidem indifferentia soli convenit libertati creatae: Deus enim in actu proprio, & secundum propriam entitatem liber non est, & indifferens, sed tantum secundum respectum ad objecta creata.

II Quamvis in Deo admittatur libertas, ideoque electio, tamen, ut auctor est divus Thomas hic *q.* 22 *art.* 1 *ad* 1, *q.* 59 *art.* 3 *ad* 1, illa electio nihil habet imperfectionis,

cum

cum non involvat discursum, dubitationem, atque investigationem, cuiusmodi est creata electio, sed tantum electionem unius prae alio.

III Quidquid in Deo est necessarium, est secundum se, & absolute spectatum; sed consideratum, prout terminatur *ad extra*, Dei volitio libera est.

IV Divina voluntas utique necessario est determinata quoad actus entitatem, sed non quoad terminationem ipsius ad objecta exteriora.

V Libertas in Deo nullam infert actuum successionem, nec mutationem, ut in creatura.

ARTICULUS SECUNDUS

quomodo sit explicanda divina libertas in Deo mox adserta.

Theologorum omnium una vox est, difficillimam esse inter theologicas controversias quaestionem, quae nunc a nobis proponitur examinanda. Hinc contra, proque & dicta sunt, & scripta multa, ac variae invectae sunt in Scholas sententiae gravissimis omnes difficultatibus obnoxiae. Nobis certe tantum non est otii, ut in singularum examine, atque censura bonas horas collocemus. Quamobrem, quae probabilior visa est, exponemus.

PROPOSITIO

velle Dei liberum est, ipsamet volitio Dei necessaria, quae, necessario, ac propria essentia est etiam libera ratione propriae independentiae, & eminentiae supra omnes creaturas, necnon supremo dominio, atque arbitrio, relate ad ipsarum esse, *vel* non esse; *unde actus ipsius simplicissimus ratione propriae eminentiae ferri potest necessario circa se ipsum, libere circa creaturas.*

83 Evincitur propositio. Amor necessarius alicuius finis, omnino quoad proprium *esse*, vel possessionem passivam, ab iis independentiis, quae ad eumdem finem se habent, est amor independens ab iis, quae ad finem laudatum se habent; atqui in hoc sita est libera Dei volitio circa ea, quae sunt ad proprium finem, videlicet creaturas, nec aliud requiritur: ergo &c.. Maior constat; quia amor finis non potest pendere a mediis, nisi quia finis, qui

ama-

tur, ab iisdem mediis dependet: ergo viceversa. Si finis, ut possideatur, non indiget mediis, amor finis erit independens ab amore mediorum. Probatur nunc minor. Si amor finis non pendet ab amore mediorum, non indiget mediis: ergo quoad ipsa non debet dici necessarius: erit igitur liber; atqui Deus amore proprio necessario perfecte possidet se ipsum, qui finis est omnium creaturarum: ergo relate ad istas liber erit, praecise per hoc, quod illis non egeat ad se ipsum amandum, atque possidendum.

Confirmatur hoc ratiocinium auctoritate D. Thomae 1 contra Gent. cap. 81, ubi haec primo sibi objicit: *Si divina voluntas est divinae bonitatis, & divini esse ex necessitate, posset alicui videri, quod etiam aliorum ex necessitate esset; cum omnia alia velit volendo suam bonitatem.* Deinde: *Sed tamen recte considerantibus apparet, quod non est aliorum ex necessitate, quia est aliorum ut ordinatorum in finem propriae bonitatis; voluntas autem non ex necessitate fertur in ea, quae sunt ad finem, si finis sine his esse possit; cum igitur divina bonitas sine aliis esse possit.... nulla inest necessitas, ut alia velit ex hoc, quod vult suam bonitatem.*

84 Evincitur II; quia divina volitio erga suam bonitatem propriam per se, quin aliud addatur, est active indifferens ad exsistentiam creaturarum, eo quod ipsis non egeat: ergo secundum propriam essentiam huiusmodi Dei volitio necessaria erga se erit libera erga creaturas; cum praeter huiusmodi indifferentiam nihil amplius ad libertatem requiratur. Antecedens probatur; quia volitio illa necessaria Dei erga propriam bonitatem est indifferens in actu secundo, ut objectum secundarium ipsius sit exsistentia, vel non exsistentia rationalis creaturae: cum idem omnino sit cum hoc objecto, vel cum illo, vel cum objectis contrariis; nec enim ab ipsis ullatenus specificatur, nec ullatenus pendet; ergo ex se est ad ipsa indifferens.

Et sane volitio divina, quia nullo modo pendet a creaturis, eadem est in se, sive ipsius objectum sit creatura A, sive creatura B, sive alterius, aut utriusque non exsistentia: ergo ad ipsas est prorsus active indifferens: ergo libera, idque ratione propriae eminentiae, quia nullatenus pendet a creaturis.

85 Evincitur III multiplici ratiocinio. Primo volitio Dei erga se ipsum est infinitae perfectionis: debet igitur quamvis voluntatis tendentiam in objectum continere, ac proinde tendentiam necessariam, ac liberam, necessariam

erga

erga se ipsum, utpote objectum necessarium; liberam erga creaturas.

Ulterius. Fatentur omnes unico, & simplicissimo actu, Deum velle aliquas creaturas, ut sint, alias, ut non sint, quod ob vires limitatas diversis actibus praestaret creatura: ergo etiam poterit unico actu tendere necessario erga se, libere erga creaturas.

II Volitio Dei est id, quod primo actu determinat omnia, quae sunt indifferentia ad *esse*, vel non *esse*, et, prout haec determinat, libere agit, ac vult; aliunde, cum haec volitio sit actus purus, & debeat indifferentiam a rebus avellere, debet esse actus necessarius: ergo idem actus in Deo erit necessarius in se, & relate ad se; liber prout independens ab iis creaturis, quas vult.

Moneo tamen, quod, licet in creaturis libertas sit per modum potentiae, hoc modo non se habet in Deo: Deus enim est actus omnino purus, & in actu secundo est independens a creaturis; aliunde, etsi actus omnino purus, est actu indifferens in suo actu necessario, nec in actu secundo specificatur ab objectis; erit ideo liber in actu secundo.

Responsiones ad objecta.

86 Opponitur I. Ideo volitio Dei, etsi necessaria, est tamen eminenter libera; quia creaturis non indiget ad propriae bonitatis possessionem; atqui id ad eius libertatem explicandam non sufficit: ergo &c. Probatur minor. Id sufficit dumtaxat ad probandum, Deum liberum esse ad creaturas amandas, vel non; sed satis non est ad explicandum, quomodo voluntas divina actu velit creaturas aliquas, non vero alias: ergo &c.

Respondetur, concessa maiori, negando minorem, ad cuius probationem negatur antecedens. Nam vel quaerit adversarius, quid Deum constituat actu aliquid amantem, vel quid ipsum constituat libere amantem, quod amat. Si primum, aio, quod, cum divinus amor sit simul amor finis, & mediorum, volitio, qua Deus vult se actu tamquam finem, est etiam volitio creaturarum, servato tamen ordine objecti primarii, & secundarii. Si secundum, respondeo, Deum denominari libere amantem aliquas creaturas per hoc, quod illas amet sine ulla ab ipsis dependentia.

87 Opponitur II. Si Deus est indifferens amando creaturas modo superius explicato, habebit quidem libertatem in actu primo, cum indifferentia se teneat ex parte actus primi: ergo non erit liber in actu secundo, qui debet esse actualis determinatio indifferentiae.

Insuper. Volitio libera aliquando a necessaria distinguitur in Deo, cum Spiritus sanctus procedat per amorem necessarium, creaturae exsistant per liberum: ergo aliud est utriusque volitionis constitutivum.

Ulterius. Volitionis necessariae in Deo objectum est necessarium, liberae vero contingens: ergo &c.

Praeterea contingens aliquid debet admitti in Deo, quo eius libertas explicetur: ergo &c.. Probatur antecedens. Denominatio contingens exigit aliquid contingens, quod connotet; atqui Deum velle exsistentiam Petri est denominatio contingens: ergo aliquid connotat in Deo omnino contingens.

Demum entia exsistentia Deus ab aeterno voluit: ergo ab aeterno admittenda est in Deo volitio illorum contingens, ac libera, distincta, vel virtualiter, vel formaliter ex natura rei a volitione necessaria.

Respondetur ad 1 negando antecedens: nam per nos indifferentia, quae Deo tribuitur, est indifferentia activa in actu secundo: haec autem indifferentia non est determinabilis, sed est ipsa actualis determinatio, cum sit per essentiam actus purus in ratione actualitatis determinans cuiusvis objecti indifferentiam; quae, cum nulli objecto sit determinata, nec ab ullo dependens, erit libera in actu secundo, quamvis *potentialitatem*, & indifferentiam in actu primo excludens.

Ad 2 negatur antecedens: nam distinctio est solum rationis, & penes objecta. Hinc licet Spiritus sanctus ex amore procedat necessario, hic tamen amor est etiam secundario liber, & Spiritus sanctus concipitur procedens ex amore primarie necessario, qui tamen posteriori signo est amor liber secundario creaturae, quatenus nulla inducitur necessitate, vel dependentia, ut creaturam velit.

Ad 3 distinguo antecedens ita tamen, ut objectum necessarium sit primarium, contingens autem secundarium. Concedo. Aliter. Nego antecedens, & distinguo consequens: ergo distinguitur utraque volitio. Si objectum primarium, & formale sit diversum. Concedo.

Si

si solum secundarium, & materiale. Nego. Cum actus specificentur ab objectis formalibus, & primariis, si qua esse debet distinctio inter volitionem necessariam, & liberam ratione objecti, haec peti debet ab objecto formali, & primario. Porro cum sola bonitas divina sit objectum formale, & primarium divinae volitionis; creaturae autem sint materiale, & secundarium: volitio necessaria Dei censeri non debet distincta a volitione libera, cum huius objectum sit secundarium, & materiale, illius formale, & primarium.

Ad 4 negatur antecedens. Ad cuius probationem, data maiore, distinguo minorem. Est denominatio contingens ex parte objecti. Concedo minorem. Ex parte actus. Nego minorem, & consequentiam; quia sufficit, ut connotet aliquid contingens ex parte objecti.

Ad 5, concesso antecedenti, negatur consequentia: nam, ut Deus dici possit amans ab aeterno libere creaturas in tempore exstituras, sufficit, ut eius volitio intrinsece necessaria, atque, ut aiunt, *subjective* talis, sit contingens *objective*; non quod sit in se, atque *subjective* contingens; quia licet volitio Dei in se sit etiam secundario libera, tamen, quoad entitatem non est contingens; quia est ipse actus necessarius divinae volitionis.

ARTICULUS TERTIUS

quomodo sit concilianda divina libertas cum ipsius immutabilitate.

88 Ex iis, quae diximus in superioribus, facile colligitur divinam libertatem, ut a nobis explicatur, optime cum eius immutabilitate sociari: nihil enim Deo tribuimus, quod perfectionem defectibilem redoleat intrinsece Deo superadditam, ut censent nonnulli, unde eius immutabilitas pessum eat. Statuta enim sola volitione Dei necessaria, qua Deus se primario vult necessario, & qua secundario vult creaturas, sed omnino independenter ab ipsis, ac continendo eminenter huiusmodi actu quidquid perfectionis est in libertate creata, nihil censemus Deo adjungi in tempore, quod in ipso non fuerit ab aeterno, unde idem semper est, nulla in ipso, sed tantum in objectis mutatione occurrente. Quare si quis opponat, Deum ante mundi creationem, ac redemtionem non fuisse crea-

torem, vel redemtorem, sed solum post illas, Deum ab aeterno mundum non creasse, sed in tempore, ac proinde Deum voluisse in tempore plurima, quae ab aeterno non volebat; cum tunc nullam ex his denominationibus obtineret, facilis est responsio, Deum tunc non fuisse creatorem &c. defectu termini, sed non ex defectu actus. Porro terminus ad huiusmodi denominationem, utpote relativam requiritur, ut possit verificari.

Eamdem ob caussam dico, Deum mundum non creasse ab aeterno ex parte termini, utique ex parte actus, quo semper voluit mundi exsistentiam in tempore. Responsio est D. Augustini *lib. 5 de Trinit.* sic aientis: *Si nummus potest nulla sui mutatione dici relative, . . . quanto facilius de incommutabili Dei substantia debemus accipere, ut ita relative dicatur aliquid ad creaturam, ut quamvis temporaliter incipiat dici, non tamen ipsi substantiae Dei accidisse aliquid intelligatur, sed illi creaturae, ad quam dicitur.* Sancti Doctoris verba adeo plana sunt, ut omne prorsus dubium amoveant.

QUAESTIO III

an Dei voluntas relate ad creaturas semper impleatur, seu de efficacia divinae voluntatis.

Recolendae sunt hic notiones voluntatis conditionatae, & absolutae, antecedentis, & consequentis, atque signi. His positis diversis propositionibus universam rem aperiemus.

PROPOSITIO I

voluntas Dei consequens, atque absolute semper impletur, non vero voluntas antecedens & conditionata. Si conditio partim a Deo pendeat, & etiam partim a libertate creata: hac enim non semper impletur.

89 Evincitur prima pars. I ex Scripturis psal. 113: *Omnia quaecumque voluit, fecit*; Isaia 14: *Dominus exercituum decrevit, & quis poterit infirmare?* & cap. 46: *Consilium meum stabit, & omnis voluntas mea fiet*; Danielis 4: *Juxta voluntatem suam facit tam in virtutibus caeli, quam in habi-*

habitatoribus terrae; & non est, qui resistat manui eius; Esther 6: *Non est qui possit resistere voluntati tuae*; Rom. 9: *voluntati eius quis resistit?*

90 Evincitur II ex Patribus, inter quos agmen ducit Tertullianus contra Praxeam cap. 10: *Dei posse velle est, & non posse nolle.* Secundum hac in acie locum damus Hieronymo in caput I epist. ad Ephes.: *Pleraque volumus facere, sed nequaquam voluntatem sequitur effectus; illi autem nullus resistere potest, quia omnia, quae voluerit, fecit.* Sequitur Augustinus *lib. de gratia, & libero arbitrio* cap. 21, *de corrept., & gratia* cap. 14, *& Enchiridii* cap. 96, & 98, in quorum primo ait: *Neque veraciter ob aliud vocatur omnipotens, nisi quoniam, quiquid vult, potest, nec voluntate cuiuspiam creaturae voluntatis omnipotentis impeditur effectus.* In altero vero: *Quis tam impie desipiat, ut dicat Deum malas hominum voluntates, quas voluerit, quando voluerit, ubi voluerit, non posse convertere?*

91 Evincitur III. Si Deus vult absolute aliquid, & effectum non obtinet, vel efficaciter id non vult, vel non est omnipotens. Quis alterutrum ausit affirmare? ergo &c.

Dices, Actor. 7 habetur: *Vos semper Spiritui sancto resistitis*: ergo divinae voluntati potest resisti: ergo voluntas eius absoluta potest non impleri.

Respondetur. Concesso antecedenti de voluntate antecedenti, & conditionata, negatur utraque consequentia. Nam licet creata libertas possit huiusmodi voluntati resistere, nunquam tamen resistet: Deus enim volens aliquid absolute, & efficaciter, ita voluntatem disponit, ac excitat, ut infallibiliter eiusdem effectum obtineat. Hinc

92 Inferes thesim nostram de iis etiam actionibus esse intelligendam, quae sunt salutares, atque supernaturales. Si enim Deus absolute statuit, ut homo gratiae suae interiori consentiat, hic nuspiam dissentit. Nam qui contra sentiret divinam omnipotentiam prorsus everteret. Hinc optime Augustinus *lib.* 10 ad Simplicianum q. 2: *Effectus misericordiae Dei non potest esse in hominis potestate, ut frustra ille misereatur, si homo nolit: si enim Deus miseretur; ergo jam volumus: ad eamdem quippe misericordiam pertinet, ut velimus: Deus enim est qui operatur in nobis velle, & perficere.* Et lib. de corrept., & gratia cap. 14: *Volenti salvum facere nullum hominum resistit arbitrium. Sic enim velle, seu nolle in volentis,*

aut

aut nolentis est potestate, ut divinam voluntatem non impediat, nec superet potestatem.

93 Evincitur secunda pars: nam, ut inquit Deus Ezechielis 18: *Nolo mortem peccatoris*, & tamen plures damnantur. Ibidem cap. 35 ait: *volui te mundare, & non es mundata.*: ergo &c.

Huc etiam pertinet illud Proverb. 1: *Vocavi, & renuisti, & non fuit qui aspiceret.* Item illud Isaiae 65: *Expandi manus meas ad populum non credentem, & contradicentem.*

Insuper Deus habet voluntatem salvandi omnes, quin tamen ipsa compleatur.

Mitto passim occurrere exempla in Scripturis, quae suadent, varia sub conditione a Deo decreta ex conditionis defectu impleta non fuisse.

Accedunt Patrum testimonia, ut divi Hieronymi in caput 63 Isaiae: *Voluit Deus salvare cupientes, & provocavit ad salutem, ut voluntas haberet praemium. Sed illi credere noluerunt.* Augustini in psal. 22: *Venit Christus, ut peccatum mundi tolleret, sed quia plerique refugiunt, & medicinam non expetunt; ideo volentes curat, non adstringit invitos.*

Accipiunt sanitatem, qui medicinam expetunt; illi autem, qui refutant medicum, bonitatem medici, quam non expetiuntur, sentire non possunt.

Rem claudo verbis disertissimis sancti Fulgentii lib. 1 de remissione peccatorum cap. 11: *In hoc testimonio conditionali. . . si conversus fueris* &c., *ostendit ex conversione conditionis promissionem salutis omnino pendere.*

PROPOSITIO II

voluntas signi non semper impletur; ex adverso impletur semper illa, qua Deus operatur vel ut caussa universalis, vel sine ulla creaturae cooperatione.

94 Evincitur prima pars; quia, licet praecepta plurima tum quae vetant, tum quae jubent, violari ab hominibus videmus, ac proinde divinas jussiones contemni.

95 Evincitur secunda pars testimoniis s. Augustini, & Thomae, quae viro Theologo sufficere debent. En verba Augustini lib. de spiritu & litera cap. 33: *Infideles quidem contra Dei voluntatem faciunt, cum eius Evangelio*

non

non credunt, nec ideo tamen eam vincunt, experturi in supppliciis potestatem eius, cuius in donis misericordiam contemserunt. Serm. 214 in traditione Symboli: *Nec ideo credant iniqui, Deum non esse omnipotentem, quia multa contra eius faciunt voluntatem, quia, & cum faciunt quod non vult, hoc de iis facit, quod ipse vult.* Demum Enchiridii cap. 100 inquit: *Quantum ad impios attinet, quod Deus noluit, fecerunt, quantum ad omnipotentiam Dei, nullo modo id efficere valuerunt: hoc quippe ipso, quod contra eius voluntatem fecerunt, de ipsis facta est voluntas eius.* Similia habet magistro suo Angelicus praeceptor Augustini fidissimus interpres; ait enim hic q. 19 art. 6: *Cum voluntas Dei sit caussa universalis omnium rerum, impossibile est, quod divina voluntas suum effectum non consequatur; unde quod recedere videtur a divina voluntate secundum unum ordinem, relabitur in ipsam secundum alium, sicut peccator, qui, quantum est in se, recedit a divina voluntate peccando, & incidit in ordinem divinae voluntatis, dum per eius iustitiam punitur.*

96 Evincitur tertia pars ex sacris Literis, in quibus nihil est tam frequens, ac solemne, quam Dei voluntatem in iis, quae nullum creaturae consortium supponunt, semper impleri. Constat hoc ex illo Genes. 5: *Nolite timere; num Dei possumus resistere voluntati?* 2 Paralipom. 20: *in manu tua est fortitudo, nec quisquam potest tibi resistere.* Alia mitto in re certa ad graviora progressurus.

QUAESTIO IV

an Deus veram, ac sinceram habeat voluntatem omnes homines salvandi; ubi etiam inquiritur, an Christus pro omnibus sanguinem fuderit.

Ut res pluribus implexa nodis bona in luce constituatur, distinctis articulis materiam universam expendemus.

ARTI-

quaestionis status aperitur, & errores in hac re, necnon opiniones referuntur.

Diximus n. 14, voluntatem beneplaciti a voluntate signi distingui, ac utriusque notiones dedimus. Tum utramque Deo adseruimus numeris 19, & 20, sensu ibidem explicato. Ideam voluntatis antecedentis & consequentis, qua nimirum juxta D. Thomam rem Deus considerat vel in genere, vel ut circumstantiis indutam, explicavimus numer. 15, & 21; conditionatam vero & absolutam exposuimus num. 16, & 25; tum efficacem, & inefficacem num. 18, & 29. Haec porro omnia operae pretium est hic recolere, ut celebrem controversiam omnes non intelligant solum, verum & sapiant. Jam vero

97 Dum a Theologis inquiritur, sitne in Deo voluntas sincera de omnium salute, de antecedenti voluntate agunt, non de consequenti: haec enim impletur semper; illa neutiquam ex dictis in quaestione superiori. De hac porro antecedenti voluntate non inquirunt dumtaxat ante suppositum peccatum originis, verum etiam post ipsius praevisionem.

Ulterius. Dum hoc in quaestionem adducunt, non loquuntur de ea voluntate, quae a nonnullis vocatur *complacentiae*, ab aliis *signi*, cuius consulto jam memini supra. Sed quaestionem hisce terminis circumscribunt: an scilicet Deus veram habeat, sinceram, internam, non metaphoricam, & solum signi voluntatem salvandi omnes nedum homines, sed etiam Angelos. Haec quoad primum controversiae caput.

Quod alteram spectat difficultatis partem, id inquirunt, an Christus etiam pro non praedestinatis, ac proinde num pro omnibus sanguinem fuderit, eiusque pretium sciens, & volens Deo Patri pro omnibus obtulerit: id enim eo sensu inquirere, quo volunt nonnulli fidei suspectae, vel, ut mollissime dicam, simplices & indocti, an scilicet caussa redemtionis fuerit universalis, vel sanguinis pretium ad omnium salutem sufficiens, diligentia esset hominis otio suo abutentis: haec enim sunt omnibus nota.

98 Haeretici nunc sunt referendi ii, quorum hac in re error aliquis fuit capitalis, inter quos agmen ducunt Pelagiani, & Semipelagiani. Illi censebant, Deum velle quidem

omnium

omnium salutem, sed si homines proprii arbitrii viribus, nulloque gratiae adjumento eam pariter vellent. Isti consensum hunc creaturae a Deo exspectari asserebant, ut ipsius salutem vellet, sed adjutae piis aliquot salutis desideriis, initio tamen fidei naturae viribus comparato. Hunc porro consensum etiam in pueris, qui morte rapiuntur, tanquam conditionem, qua posita, Deus illorum vellet salutem, exigebant, consensum, inquam, quem habuissent, si ad aetatem provectiorem devenissent, fideique initium sponte sua elicuissent.

Errabant insuper aientes, Deum velle omnium salutem hoc sensu, quod iis paratus esset eam conferre, qui illam a Deo rogarent, ac quaererent, ita ut haec omnia praesupponi deberent, ut Deus illorum vellet salutem. Item quod censerent, sanguinem a Christo pro omnibus indiscriminatim fusum fuisse, non vero specialiter pro electis.

Qui Praedestinatianos exstitisse asserunt, illos pariter hac in re errasse volunt, eorumque dogma fuisse supponunt, Christum non fudisse sanguinem pro omnibus, nec velle omnium salutem, cum ab aeterno Deus aliquos ad mortem destinaverit, alios ad gloriam aeternam.

Istis pariter adhaesisse censent Lucidum Presbyterum, & Gothescalmum Monachum. Prioris palinodiam habemus *in libello* emendationis Episcopis Gallicanis oblato, quem refert Syrmondus *tom.* 4 *pag.* 416: verum de his fusius in tract. *de praedestinatione.*

Sequuntur Misericordes, seu Origenistae, de quibus Augustinus *lib.* 21 *de civit. cap.* 18. Hi censebant, Christi mortem eius esse pretii, eiusque pro nobis extensionis, ut ipsa redimendi sint, atque salvandi, quoquot inferni poenis addicti sunt.

Demum Calvinus in libro de occulta Dei providentia, & *lib.* 3 *institut. cap.* 24 *n.* 16 passim docet, Deum nolle omnes homines salvos fieri; in cuius tamen erroris explicatione versipellis haereticus minus est sibi constans: modo enim vult, Deum aliquos tantum voluisse salvare, etiam ante praevisum lapsum Adae; modo post ipsum peccatum; unde duplex orta est Calvinistarum secta, & Postlapsariorum, nempe & Antilapsariorum.

99 Haec olim; at longe gravior est, quae seculo superiori exorta in Ecclesia est controversia per Jansenii doctrinam, dum semel, iterumque *in lib. de gratia Christi*

docet

docet, eum pro omnibus mortem non obiisse, sed pro solis praedestinatis, ac istos solum proprie, ac sincere Deum velle salvare. Immane autem est, quantum ingenia exerceantur Theologorum in Jansenii errore detegendo: eo enim mentis acumine, ne dicam arte, scripsit, ut longum sit, ac operosum eius sensum attingere. Hunc tamen adsecuti videntur viri clarissimi, quibus facem praeferentibus, rem universam exponemus.

Itaque Jansenius *cap.* 20 *lib.* 3 *de gratia Christi* exponens illud Apostoli, *Deus vult omnes homines salvos fieri*, & *cap.* 21, qua ratione dicendus sit Christus omnium redemtor, tres vulgatas Augustini adducit interpretationes. Primam quidem, quod nullus salvetur, nisi quem Deus vult salvare eo sensu, quo magister pueros omnes oppidi alicuius docere dicitur, quia omnes, qui docentur, ab eo erudiuntur. Alteram, quod verbum *omnes* designet genera singulorum, non singula generum, idest Deum velle ex quovis statu plures salvare.

Tertiam, quod Deus iubeat singulis propriam salutem velle, & optare.

Refert demum quartam de voluntate sincera Dei omnes salvandi, eamque reiicit tanquam Pelagianum commentum; cui tamen interpretationi cum plures Graecos Patres suffragati non ignoraret, eos traducit velut minus peritos in materia de gratia; imo adeo se in transversum agi patitur, ut Augustinum ipsum etiam errasse velit ante Episcopatum, dum hoc ultimo sensu textum Apostoli interpretaretur. Doctrinam suam sic emollire contendit admittendo voluntatem Dei antecedentem de omnium salute, sed quo sensu? Non alio certe, nisi quo Deus vult communem omnium salutem, considerato homine praecise in se, ac ante praevisum peccatum originale, & haec est ea volitio actuosa, a qua derivata putat auxilia sufficientia primis parentibus collata, ubi post praevisum peccatum originale voluntas illa de omnium salute fuit juxta phrasim Jansenii *nuda quaedam velleitas nihil omnino gratiae caussans*; unde infert, ex volitione huiusmodi deduci non posse, quod Deus omnibus conferat auxilia sufficientia.

Quia tamen id metuebat, ne sibi haec interpretatio invidiam crearet, sic eam emolliendam existimavit inquiens *lib.* 3 *de gratia cap.* 17, paratum esse Deum ad gratiam illam omnibus conferendam, quam primis Parentibus in statu innocentiae contulerat; imo *lib.* 2
cap.

cap. 27 vult, plures a Deo gratiis internis percelli, quibus ipsi dissentiunt, quas tamen ad vincendam concupiscentiam non esse sufficientes opinatur. Hinc factum est, ut plures Jansenio admodum addicti senserint sub nomine larvato Raymundi Dionysii defendi tuto posse, retento etiam Jansenii systemate, Deum sinceram, & antecedentem habere de omnium salute voluntatem; quia cum hoc systemate adhuc stat, quod gratiae illae parvae, quas Deus etiam reprobis conferri, pares non sunt ad concupiscentiam vincendam in hoc statu naturae lapsae, quae quidem absolute spectatae, & in circumstantiis naturae innocentis, ad id fuissent sufficientes.

Eodem modo ratiocinantur de Christi morte, quam quidem volunt ad omnes extendi, cum per ipsam etiam reprobis gratiae temporales conferantur, quae licet secundum se, & absolute spectatae, & in alio naturae statu possent homines ad salutem aeternam ducere, nunc tamen in statu naturae corruptae non possunt. Haec partim Jansenius, partim ex ipsius mente fautores eius.

100 Sequuntur nunc Theologorum opiniones. Mirum quantum inter se discrepent!

Prima eorum est, qui solam Deo tribuentes voluntatem efficacem, sententiam Apostoli, *Deus vult omnes salvos homines fieri*, de generibus singulorum, ac proinde de solis praedestinatis intelligunt, quod etiam ad Angelos extendunt.

Secunda aliorum excludentium ab hac voluntate generali parvulos in utero matris sine Baptismo morientes.

Tertia eorum, qui censent, hanc Dei voluntatem esse meram voluntatem signi.

Quarta sentientium, volitionem hanc esse merum amorem *complacentiae*.

Quinta opinantium, volitionem hanc esse tantum metaphorice talem, ac Deo non formaliter, sed eminenter inesse.

Sexta adserentium, voluntatem hanc versari non circa ipsam omnium salutem, sed circa media ad eam conducentia.

Septima, voluntatem hanc veram esse, ac sinceram Deo formaliter inesse.

Tot opinionum, auctorumque, qui eas propugnarunt elenchum si quis legere cupit, adeat Witasse *tract. de Deo tom.* 3 *a pag.* 1091 *usque ad* 1166.

ARTI-

ſententia noſtra de divina voluntate circa omnium ſalutem, necnon de Chriſti ſanguine pro omnibus fuſo ſtatuitur, & vindicatur.

PROPOSITIO I

in ſtatu innocentiae Deus nedum omnes homines, verum etiam Angelos vere, ac ſincere ſalvari voluit.

101 Evincitur breviter propoſitio, quae unum, vel alterum dumtaxat habet adverſarium celebri Auguſtini teſtimonio lib. de correpᴛ. & gratia cap. 11: *Tunc ergo dederat homini Deus bonam voluntatem, in illa quippe eum fecerat, qui fecerat rectum, dederat adjutorium, ſine quo in ea non poſſet permanere, ſi vellet: ut autem vellet in eius libero reliquit arbitrio . . . Si autem hoc adjutorium vel Angelo, vel homini, cum primum facti ſunt, defuiſſet; quoniam non talis natura facta erat, ut ſine divino adjutorio poſſet manere, ſi vellet, non utique ſua culpa cecidiſſent: adjutorium quippe defuiſſet, ſine quo manere non poſſent.* Ergo id argumento eſt, Deum in eo ſtatu ſingulos utriuſque ordinis ſincere voluiſſe ſalvare: hi enim, ſi divinis auxiliis obicem non poſuiſſent in tuto locata ſane fuiſſet eorum ſalus.

PROPOSITIO II

in ſtatu naturae lapſae veram Deus habet internam, ac ſinceram voluntatem, nedum praedeſtinatos ſolos, ſed omnes, & ſingulos homines ſalvandi; quamobrem pro omnibus, & ſingulis Chriſtus mortuus eſt.

Quia hic agimus rem omnino capitalem, unde lucem exſpectant, quae in tractatibus de praedeſtinatione, & gratia dicemus: idcirco argumenti dignitati conſultum crediderim, ſi, Theologorum dogmaticorum more, fuſo ac redundanti ſermone omnia Scripturae, ac Traditionis capita ſigillatim expendam. Equidem non me fugit, methodum hanc ab iis probatum non iri, qui Iliadem vellent

vellent in nuce concludere, vel qui solam affectantes Scholasticam, ex iis videri possent, qui nunquam mutare calceos veteres volunt. Ego vero, qui malo in hac re peccare abundantia, quam ut aliquid in meis scriptis desideretur, non id curo.

Proferuntur argumenta ex Scripturis sacris petita.

102 Evincitur utraque pars ex Apostolo 1 Timoth. 11: *Obsecro fieri obsecrationes pro omnibus hominibus, pro Regibus, & omnibus, qui in sublimitate sunt, ut in omni pietate, & castitate vitam agamus: hoc enim bonum, & acceptum est coram Deo, qui omnes homines vult salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Unus enim Deus, unus & mediator Dei, & hominum Christus Jesus, qui dedit in redemtionem semetipsum pro omnibus.*

Jamvero argumentum Apostolicum sic debet efferri. Vult Apostolus non pro generibus singulorum, sed pro omnibus indiscriminatim non omnes orare, ut nostra voluntas divinae voluntati sit conformis, quae vult omnium salutem: ergo revera Deus non solos praedestinatos, & aliquos proinde ex generibus singulorum vult salvari, sed singulos; secus non pro omnibus, sed pro aliquibus tantum esset orandum, ut nostra divinae voluntati conformaretur. Ubi id etiam advertit Caietanus, quod Apostolus assumtum probat suum tripliciter. I *quia unus est Deus*: si enim plures Dii essent, aliquorum saluti Deus unus provideret, aliorum Deus alter; at cum unus sit Deus ex se bonus, cui omnium cura incumbit, singulorum salutem velle debet. II ex unitate mediatoris: *unus mediator Dei & hominum*: cum enim unicus sit, eius partes sunt omnes, & singulos Deo reconciliare III ex effectu: cum enim non pro aliquibus, sed pro omnibus *se dederit Christus in redemtionem*, Christus certe vult omnium salutem, ac pro omnibus vitam suam obtulit Patri.

Et sane si Deus hic innuitur omnium Deus, uti Christus omnium redemtor: ergo ut ille est singulorum Deus, hic erit singulorum redemtor.

Non pigeat illud etiam observare in laudato Apostoli textu praecipi, orationes etiam pro Regibus, & aliis in dignitate constitutis. Qui autem imperabant tunc temporis, electi profecto non erant, ut Nero.

103 Evincitur II ex aliis Scripturae testimoniis, quibus veteres Patres hanc sententiam propugnabant. Huiusmodi sunt istud Ezechiel. 33: *Quare moriemini domus Israel, dicit Dominus. Vivo ego, & nolo mortem impii, sed ut convertatur, & vivat*. In quae verba Tertullianus lib. de poenitentia cap. 4: ait: *Jurans . . . cupit credi sibi. O beatos nos, quorum caussa jurat Deus! O miserrimos, si nec juranti Deo credimus!* Joan. 6: *Haec est voluntas eius, qui misit me, Patris, ut omne, quod dedit mihi non perdam ex eo, sed resuscitem illud in novissimo die. Haec est voluntas Patris mei, ut omnis, qui videt filium, & credit in eum, habeat vitam aeternam.*

Tum cap. 17: *Quos dedisti mihi, custodivi, & nemo ex iis periit, nisi filius perditionis*. Unde sic arguitur. Voluntas Patris est, ut nemo ex iis pereat, qui Filio dati sunt ab eodem Patre; atqui filius perditionis scilicet Judas, licet datus Filio a Patre; tamen periit: ergo periit aliquis, quem Pater perire nolebat: ergo non solos praedestinatos vult Deus salvari, sed alios. Matth. 9: *non veni vocare justos, sed peccatores*; Matth. 18: *Non est voluntas ante Patrem meum, qui in coelis est, ut pereat unus de pusillis istis*; & cap. 11 omnes sic indiscriminatim invitat: *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos*. Summam hanc Dei erga omnes homines benevolentiam, eorumque salutis sollicitudinem testantur etiam verba illa Isaiae 5: *Quid est quod debui ultra facere vineae meae, & non feci? quoties volui congregare filios tuos, & noluisti*; Matth. 23: *Vocavi, & renuistis, extendi manum meam, & non fuit, qui aspiceret*; 2 Petri 3: *patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad poenitentiam reverti*. Haec porro testimonia non posse explicari de hominibus ante peccatum originale praevisum, patet. Probant hoc etiam verba illa Rom. 3: *an Judaeorum Deus tantum? Nonne & gentium? Imo & gentium*. Item Ephes. 4: *Unus Deus, una Fides, unum Baptisma, unus Pater omnium, qui est super omnes, & in omnibus.*

104 Verum hic nobis moras injiciunt adversarii. Annon, aiunt, haec omnia vel de voluntate antecedenti Adae peccatum explicari commode possunt? Vel si intelligantur de volitione subsequente, annon esse potest mera velleitas, seu simplex complacentia in ea salute possibili, quae nusquam verificabitur?

Sed

Sed vana sunt haec effugia. Ad primum enim quod attinet, responsio in ipso Apostoli testimonio adeo clara est, atque aperta, ut eam vel caecus digito tangat: ait enim D. Paulus pro omnibus orandum esse; atqui ii omnes non erant certe in statu innocentiae, sed naturae corruptae: ergo Apostoli textum ad naturae lapsae statum collimare dicendum est. Tum quia pro omnibus vult orandum esse, quia Christus se dedit in redemtionem pro omnibus; atqui redemtionis necessitas sola fuit post Adae peccatum, non antea: ergo &c. Alterum vero eadem facilitate diluitur; quia simplex complacentia, ac nuda velleitas non inducit obligationem orandi pro omnibus: hanc autem inducit Apostolus ex eo, quod Deus vult omnes salvos fieri: ergo ista volitio vera est, non metaphorica.

105 Evincitur III ex iis Scripturae locis, in quibus aperte declaratur, Christum pro omnibus omnino hominibus sanguinem fudisse, ac singulis remedium providisse pro peccatis pretium infinitum, ne ipsius defectu quisquam periret. Ad Thessalonic. I legimus: *Non posuit nos Deus in iram, sed in acquisitionem salutis per Jesum Christum, qui mortuus est pro omnibus.* Apostolus hic loquitur aperte de voluntate Dei media ad salutem disponente, ac praeparante; atqui haec media non dantur solis praedestinatis, sed etiam reprobis, ut infra demonstrabimus: ergo &c. Joan. 3: *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum Unigenitum daret, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam aeternam.* Dicant nunc adversarii, an verbum *mundus* praedestinatorum gregem designare possit. Certe hic significat credentes in Christum; atqui ex his non omnes salvantur: ergo &c.

Sed decretorium plane est Apostoli testimonium Rom. 8 v. 31: *Si Deus pro nobis, quis contra nos? qui etiam proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum: quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit?* Haec autem volitio dici non potest velleitas, sed seria voluntas, quae pro captivis redimendis ipsi filio non pepercit; atqui haec volitio ad singulos refertur, cum pro singulis indiscriminatim sanguinem fuderit Christus: habemus enim 2 Cor. 5: *Si unus pro omnibus mortuus est: ergo omnes mortui sunt, & pro omnibus mortuus est Christus, ut qui vivunt, non sibi vivant, sed ei, qui pro omnibus mortuus est*: ergo &c.

Porro hoc ultimum Apostoli testimonium rem nostram palam evincit. Si enim probat, omnes esse mortuos, quia Christus mortuus est pro omnibus, profecto verbum *omnes* debet singulos designare; secus ii soli dicendi essent mortui in Ada, pro quibus mortuus est Christus; quod tamen est falsum: ergo sensus Apostoli est, quod ii omnes mortui sunt, pro quibus sanguinem fudit Christus; atqui pro omnibus eum fudit: ergo omnes mortui sunt. Firmatur hoc totum ex illo 1 Joan. 2: *Advocatum habemus apud Patrem Jesum Christum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi*; Rom. 3: *Omnes enim peccaverunt, & egent gloria Dei*; Joan. 4: *Scimus, quia hic Salvator est mundi. Erat lux vera, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*; Matth. 18: *Venit Filius hominis salvare, quod perierat*; Rom. 14: *Noli cibo tuo illum perdere, pro quo Christus mortuus est*; 1 Cor. 8: *Peribit infirmus in tua scientia frater, propter quem Christus mortuus est*? Haec autem testimonia prioribus adjuncta summam probationis faciunt, ut nesciam, quomodo vir Theologus in sensum oppositum ea detorquere possit.

Proferuntur argumenta ex conciliis, ac pontificiis decretis desumta.

106 Evincitur I. Concilium generale Nicaenum in Symbolo fidei haec inquit: *Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de caelis . . . . crucifixus etiam pro nobis*, seu ut legunt alii, *passus & mortuus*: ergo certum est, Christum pro iis mortuum esse, de quibus *nostram*, & *nobis* verificatur: atqui voces illae ad omnes omnino referuntur: ergo &c.

2 Proferri solet synodus Arelatensis coacta anno 75 seculi V, in qua communibus votis fuit probata epistola Fausti Episcopi Reyensis ad Lucidum presbyterum, quae inter cetera haec continet: *Anathema illi, qui dixerit, quod Christus non pro omnibus mortuus sit, nec omnes homines salvos esse velit.*

3 Profertur etiam concilium II Moguntinum ann. 848, ubi malae notae inustae sunt Gotescha!chi propositionibus, quarum duae erant, referente Hincmaro ad Nicolaum I Pontificem: *Deum non velle omnes salvos fieri, sed tantum eos, qui salvantur; omnes autem salvari quoscumque ipse salvare*

vare voluerit, & per hoc, quicumque non salvantur, penitus non esse voluntatis illius, ut salventur, quod veteres Praedestinatiani dixerunt. Insuper *Christum non pro totius mundi redemtione, idest non pro omnium hominum salute, & redemtione mortuum esse, sed tantum pro his, qui salvantur*.

Dixi proferri horum conciliorum auctoritatem, sed, cum de Gotescbalcho, eiusque delatore Hincmaro, necnon de Praedestinatianis examen instituendum sit a nobis in *tractatu de praedestinatione*, hic non urgeo harum synodorum auctoritatem. Idem dicendum de concilio Carisiaco, in cuius capitulo tertio haec legas: *Deus omnes homines sine exceptione vult salvos fieri, licet non omnes salventur*; & capitulo quarto: *Sicut nullus hominum est . . . cuius natura in Christo assumta non fuerit; ita nullus est . . . . pro quo passus non fuerit Christus, licet non omnes passionis eius mysterio redimantur*.

4 Tridentinum passim ea docet, quae sententiam contrariam plane evertunt. Primum omnium sess. 6 de justificat. cap. 11 ait: *Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet, & facere quod possis, & petere quod non possis*: ergo. Cum hic constet auxilia hominibus supernaturalia conferri ad praeceptorum observantiam, aliunde dona omnia, ac supernaturalia auxilia nobis ex Christi meritis concedantur, pro omnibus dicendum est Christum obiisse. Secundo capitib. 6, & 7 eiusdem sessionis docet: *Accedentes ad Deum credere debere vera esse, quae divinitus revelata, & promissa sunt, fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore. Item revelatum esse, quod Deus credentibus, & inquirentibus remunerator est*. Demum *justificationis caussam finalem esse gloriam Dei, & Christi, & vitam aeternam*: ergo a baptizandis credi debet sibi in bonorum operum praemium vitam aeternam obventuram: ergo Deum velle ipsorum salutem. Si autem non sit Christus mortuus pro omnibus, quomodo esse possunt *homines fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore*? Et cap. 2: *Missus est a Patre Christus, ut & Judaeos, qui sub lege erant, redimeret, & Gentes, quae non sectabantur justitiam, justitiam apprehenderent, atque omnes adoptionem filiorum reciperent*. Et cap. 3: *Verum etsi ille pro omnibus mortuus est, non omnes tamen mortis eius beneficia recipiunt, sed ii dumtaxat, quibus meritum passionis communicat*.

Testimonia haec tam luculenta sunt, ut integram, sicuti credo, fidem faciant omnibus affectu vacuuis.

107 Evincitur II ex Romanorum Pontificum decretis, ac censuris, quibus diris devotae sunt nonnullae propositiones communi Ecclesiae sensui e diametro repugnantes. Harum prora, & puppis mihi est censura lata ab Innocentio X, & Alexandro VII in V Jansenii propositionem: *Semipelagianum est dicere Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse*. Audi nunc nigrum θῆτα propositioni praefixum: *Hanc falsam, temerariam, scandalosam, & intellectam eo sensu, ut Christus pro salute dumtaxat praedestinatorum mortuus sit, impiam, blasphemam, contumeliosam, divinae pietati derogantem, & haereticam declaramus, & uti talem damnamus*.

Occurrunt secundo propositiones Quesnellii in ordine 30, 31, & 32 a Clemente XI in constitutione *Unigenitus* damnatae. Prima haec est: *Omnes, quos Deus vult salvare per Christum, salvantur infallibiliter*: ergo verum est aliquorum, qui non salvantur Deum velle salutem. Secunda: *Desideria Christi semper habent suum effectum*: ergo omnium salutem optavit Christus, licet eius vota irrita fecerint homines impii. Tertia: *Jesus Christus se morti tradidit ad liberandum pro semper suo sanguine primogenitos, idest electos*: ergo pro aliis etiam Christus se morti tradidit.

Sententia nostra ad Patrum, veterumque Scriptorum calculos exigitur, atque eorum etiam auctoritate firmatur.

Evincitur I, & quidem non solo Graecorum Patrum testimonio: hos enim pro nobis stare fatentur Jansenius, eiusque sectatores; verum etiam Latinorum, ac inter hos Augustini, qui tamen adversariis & fossa, & vallum est. Inter primos habemus Irenaeum lib. 5, cap. 17: *Mediator Dei, & hominum factus, propitians pro omnibus Patrem, in quem peccaveramus . . . . nobis donans eam, quae est ad factorem nostrum, conversionem*. Clementem Alexandrinum lib. 7 stromatum: *Verbum aeternum privatim singulis, & communiter omnibus unus servator*. Athanasium lib. de Incarnat. centies repetentem, *Christum pro omnibus obiisse, eiusque morte salutem omnium comparatam esse, & creaturam omnem liberatam*. Cyrillum Hierosolymitanum Catechesi 13: *Neque mireris, totum esse per illum mundum liberatum, quandoquidem etiam unius viri Adam peccatum potuit mortem afferre mundo*. Mitto Gregorium Nazianzenum oratione

26

26, Ignatium Martyrem epistola 6 ad Philadelphos: hos enim, aliosque proximos Apostolici seculi scriptores sententiam nostram expresse defendere scribunt Haeretici ipsi Centuriatores Magdeburgenses cent. 2, cap. 4: *est memorabile, quod universaliter omnibus applicant remissionem peccatorum, si credant.*

Graecis Patribus consentiunt Latini. Quid enim aliud sibi vult Scriptor sermonum de cardinalibus Christi operibus, sermone de ablutione peccatorum? *In originalibus corruptio naturae exterminari meruerat, sed quia non erat voluntas in culpa, providit Deus generali damnationi remedium .... sed in eos, qui indulgentiae huius gratiam voluntarie per peccatum evagati sunt ... indignatio & ira non immerito redit, nec in morte Christi aliquis ei superest quaestus, sed justissime eos beneficia contemta condemnant.* Quid significat aliud Ambrosii de paradiso cap. 8? *Venerat Jesus omnes salvos facere peccatores, etiam circa impios debuit ostendere suam voluntatem, & ideo nec proditorem debuit praeterire, ut adverterent omnes, quod in electione etiam proditoris sui servandorum omnium signum praetendit.* Si igitur pro Juda Christus sanguinem fudit, quidni pro aliis reprobis eum dicamus fusum, & in psal. 72: *Venit Christus, ut peccatum mundi tolleret .... sed quia non omnes medicinam expetunt, sed plerique refugiunt ... ideo volentes curat, non adstringit invitos.* Demum lib. 3 de officiis: *Christus quoque, qui pro omnibus mortuus est, mercedem suam evacuatam dolebit.* Haec, inquam, omnia quid aliud quam sententiam nostram probant? Quid illud Ecclesiae Lugdunensis lib. de tenenda veritate Scripturae cap. 14? *Catholica fides tenet, quod pro omnibus credentibus, & per gratiam Baptismi regeneratis ... Salvator noster sit passus*: ergo de fide est, non pro solis praedestinatis, sed etiam pro baptizatis non salvandis Christum mortuum esse. His addi potest ad cumulum Hieronymus comment. in cap. 1 epist. ad Ephesios sic aiens: *Vult salvari omnes, & in agnitionem veritatis venire; sed quia nullus absque propria voluntate salvatur, vult nos bonum velle*; & in 2 ad Cor. 5: *Christus pro omnibus mortuus est; solus inventus est, qui pro omnibus, qui erant in peccatis mortui, offerretur.*

109 Sed sunt alia, quae me multo plus movent testimonia, scilicet Augustini, quem nobis adversari fidenter pronunciant Jansenii fautores. En eius mentem *lib. de spiritu, & litera cap.* 33. Opponit sibi primum: *Cur si ve-*

voluntas bona, qua creditur, est donum Dei, cur, inquam, non omnibus datur, cum velit omnes salvos fieri? Tum respondet: *Vult Deus omnes salvos fieri, & in agnitionem veritatis venire, non sic tamen, ut eis liberum adimat arbitrium, quo vel bene, vel male utentes justissime judicentur; quod cum sit, infideles quidem contra Dei voluntatem faciunt, cum eius Evangelio non credunt, nec ideo tamen eam vincunt; verum se ipsos fraudant magno bono, malisque poenalibus implicant, experturi in suppliciis potestatem eius, cuius in donis misericordiam contemserunt. Ita voluntas Dei semper invicta est.* Quae quidem ab Augustino non recitari tanquam responsionem Pelagianam, ut cavillatur Jansenius, patet ex eiusdem verbis disertissimis in psal. 95: *Judicabit orbem terrarum in aequitate, non partem, quia non partem emit; totum judicare debet, quia pro toto pretium dedit.* Lib. 20 de civit. Dei cap. 6: *Omnes mortui sunt in peccatis, nemine prorsus excepto, sive originalibus, sive voluntate additis, & pro omnibus mortuis vivus mortuus est unus.* Tum lib. 6 contra Julianum probat e morte Christi pro omnibus commune esse peccatum originis: *Unus pro omnibus mortuus est: ergo omnes mortui sunt. Vide, quia consequens esse voluit* (intellige Apostolum), *ut intelligantur omnes mortui, si pro omnibus mortuus est. Tu autem dixisti Christum etiam pro parvulis mortuum: nullo igitur modo negare permitteris eos trahere originale peccatum.* Demum lib. 2 operis imperfecti sic premit Julianum explicantem verbum *omnes* in textu Apostoli: *Deus vult omnes salvos fieri* pro multis: *Hinc te exue, si potes, quod unus mortuus sit pro omnibus, & aude dicere non omnes mortuos, pro quibus mortuus est Christus, cum statim tibi Apostolus fauces premat ... dicens: ergo omnes mortui sunt ... in hos omnes cum peccato mors pertransiit per illum, in quo omnes moriuntur; ibi sunt & parvuli, quia pro ipsis Christus mortuus est, qui propterea pro omnibus mortuus, quia omnes mortui sunt.*

Quae quidem, si quis de pretii sufficientia velit intelligi, non de seria ac interna volitione omnes omnino redimendi, is fateatur oportet, eum velle captivos apud infideles detentos liberare, qui sine ulla quoad hoc voluntate sera, & arca cohibeat pecuniam ad id necessariam; talem porro redemtorem is solus ominabitur miseris captivis, qui omnes humanitatis sensus exuerit.

Ex tam perspicuis D. Augustini testimoniis mirum est, eo Jansenium devenisse, ut *lib. 3 de gratia Christi cap. 21* afferat

afferat, nullibi in fcriptis eum fuis docuiffe, Chriftum fe pro omnibus, nemine excepto, dediffe redemtorem: lib. enim 2 operis imperfecti cap. 170 Juliano ait: *quibus opus Chriftus, his procul dubio eft Jefus*; fed omnes, nemine excepto, falvatore egent: ergo Chriftus eft Salvator omnium omnino. Item tract. 4 in Joannem ait: *Populi tamen fpernentes per fuperbiam fuam humilitatem Dei, crucifixerunt Salvatorem fuum, & fecerunt damnatorem fuum.* Chriftus juxta Auguftinum Judaeorum reproborum, qui eum crucifixerunt, falvator eft & damnator; ergo pro iis falvandis mortuus eft. Lib. 2. de Symbolo ad Catechumenos cap. 8 Judaeorum ingratum exprobrans animum ait: *Agnofcitis latus, quod pupugiftis; quoniam propter vos apertum eft, nec tamen intrare voluiftis?* Videat Janfenius nunc, quid fentiat in hac re Auguftinus.

D. Auguftino concinit D. Profper fidiffimus eius interpres, qui in variis ad objectiones Vincentianas refponfis mentem magiftri diferte aperit. Objectio fecunda Vincentiana haec erat: *Deus non vult omnes falvari, etiamfi omnes falvari velint.* Refpondet s. Profper: *Sinceriffime credendum eft, Deum velle, ut omnes homines falvi fiant. Siquidem Apoftolus . . . praecipit, quod in omnibus Ecclefiis piiffime cuftoditur, ut Deo pro omnibus hominibus fupplicetur, ex quibus quod multi pereunt, pereuntium eft meritum, quod multi falvantur, falvantis eft donum.* Et in refponfione ad objecta Gallorum fent. 8: *Qui dicit, quod non omnes homines vult Deus falvos fieri, fed certum numerum praedeftinatorum, durius loquitur, quam loquendum eft de altitudine gratiae Dei, qui & omnes vult, falvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.*

Hic autem operae pretium fuerit audire etiam auctorem de vocatione Gentium. En eius verba lib. 1 cap. 1: *Quaeritur, utrum Deus velit omnes homines falvos fieri, & quia hoc negari non poteft, cur voluntas omnipotentis non impleatur, inquiritur.* Refpondet quaefito cap. 8, id effe a cauffis in divina praefcientia, ac praedeftinatione latentibus, nec quia hoc nos latet, ideo negandum effe, Deum omnium velle falutem. Capitib. 12, & 13 ita fcribit: *Particulam verborum Apoftoli, (Deus vult omnes homines falvos fieri) ita nos integre pleneque fufcipimus* (notentur haec verba) *ut nihil de praecedentibus, five fubjectis, quae ad ipfam pertinent fubtrahamus.* Tum lib. 2 cap. 3: *Cum de gratiae profunditate difputatur, tribus illis faluberrimis defi-*

nitionibus simus innexi, quarum una profitetur aeternum; & proprium esse divinae bonitatis, ut omnes homines salvos fieri velit. Alia simul praedicat omnem, qui salvus fit, Dei auxilio juvari, & regi . . . Tertia temperanter protestatur. non omnem voluntatis Dei comprehendi posse rationem. Cap. 2: *Quod de Salvatore omnium hominum in scripturarum corpore reperitur, nulla contraria argumentatione temerandum est, ut quanto hoc difficiliore intellectu capitur, tanto fide laudabiliore credatur.* Demum cap. 24: *Arbitror . . . . non inconvenienter intelligi, quod isti paucorum dierum homines, idest infantes sine Baptismo decedentes ad illam pertinent gratiae partem, quae semper universis est impensa nationibus, qua utique, si bene eorum uterentur parentes, etiam ipsi per eosdem juvarentur.* Haec porro satis ostendunt quid eruditus ac pius Scriptor senserit in hac re. Veniamus ad rationum momenta rem eamdem suadentia.

Rationibus Theologicis sententia nostra firmatur, & plurium Doctorum auctoritate.

Evincitur I. Divina fide tenemur credere, quod habetur in symbolo Nicaeno: *Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de caelis*: ergo, cum non adstringantur fideles ad credendum, se esse praedestinatos, credere tantum debent, Christum pro communi omnium ac singulorum salute incarnatum esse, ac passum; secus autem res se haberet, si pro solis praedestinatis Christus mortuus esset.

Praeterea nemo inficias iverit, maiorem dicendam esse, nec brevioribus finibus conclusam caritatem Christi prae Sanctorum & Ecclesiae caritate; atqui istius praxis est Deum orare pro omnium omnino hominum salute, ut palam significant ipsius preces, atque orationes, quae in feria VI maioris hebdomadae, aliisque diebus inter sacra mysteria celebranda supremo Numini diriguntur.

Evincitur II; quia, si negetur Deo vera ac seria voluntas salvandi omnes omnino homines, ruit omnis spes nostra: cum enim moneat Augustinus lib. 1 medit. cap. 14: *Omnis spei, & fiduciae certitudinem nobis esse in pretioso sanguine Christi, qui effusus est propter nos, & propter nostram salutem, profecto si credamus, pro aliquibus tantum esse illum effusum, fundamentum nobis nullum est, quo nitatur spes nostra.* Sed longe aliter de Deo sentiendum, *qui ut*

diligens

diligens omnia, *quae sunt*, nos certe, utpote a se conditos; eo amore diligit, ut omnium salutem velit, omnibus provideat auxilia ad huiusmodi finem adsequendum optima, ac pro omnium redemtione mactatum voluerit Unigenitum, quem summe diligebat, Filium suum.

Suadet hoc etiam eiusdem providentiae indoles. Hoc probant diserte praeclara bonitatis suae, ac misericordiae exempla, quibus homines impios passim ad bonam frugem reduxit. Certe omnes comprobant doctoris Angelici doctrinam q. 14 de verit. art. 2: *Ad divinam providentiam pertinet, ut cuilibet provideat de necessariis ad salutem, dummodo ex parte eius non impediatur: si enim aliquis nutritus in silvis ductum rationis sequeretur in appetitu boni, & fuga mali, certissime est tenendum, quod ei Deus vel per internam inspirationem revelaret ea, quae sunt ad credendum necessaria, vel aliquem fidei praedicatorem ad eum dirigeret, sicut misit Petrum ad Cornelium.* Ergo ea est providentiae Dei natura, ut omnibus media provideat ad salutem comparandam: ergo hanc omnibus, ut finem, constituit Deus: ergo omnium salutem vult; secus vellet media, & non finem; cum illa propter hunc velle debeat.

Quod pertinet ad exempla, passim occurrunt in sacra Scriptura, quae docet, cum Ada communis omnium sceleris auctore benigne se Deum gessisse, eique fatale scelus condonasse, omnia Christum clementiae signa proditori Judae exhibuisse, ut eum ab iniquo flagitio removeret, vel saltem ut ipse doleret perfidissimum crimen. Praeterea passim Scripturae sacrae nos monent, hominibus perditissimis singularia incitamenta divinitus immitti, ut vias pravas deserant. Porro si horum hominum salutem ita vult Deus, quidni ad alios hanc voluntatem non extendamus? Nullus itaque nobis vitio vertet, si tot argumentis undequaque conquisitis sententiam nostram defendamus, ut certam ac indubitatam, ita ut omnes omnino, infantes etiam, sine Baptismo decedentes, attingat sincera haec Dei voluntas. Dixi *infantes*. Esto enim Cardinalis Sfondratus in nodo praedestinationis *p.* 1 §. 1 *n.* 2 defendat, eos in ea classe reponendos non esse, pro quibus obiit Christus; longe tamen aliter rem esse suadent Scripturae testimonia superius allata, in quibus exclusio haec non legitur. Suadent Leonis verba: *Sicut nullum a reatu liberum reperit, ita liberandis omnibus venit.* Suadet denique, quod eos omnes antecedenter Deum velle salvare dicendum

est,

est, pro quibus salutis Sacramentum instituit; atqui pro parvulis omnibus etiam est institutum salutis Sacramentum, nempe Baptisma, unde adstringit Deus parentes summo jure, ut filios curent baptizari: si autem nollet, ad id non obligaret parentes.

112 Evincitur ultimo auctoritate plurimorum Theologorum. Horum porro catalogum legas apud recentiores. Iis igitur silentio praetermissis, unam adduco D. Thomae auctoritatem, quae mihi est instar omnium. En eius verba hic *q.* 19 *art.* 6, ubi exponit textum Apostoli: *Deus vult omnes salvos fieri: hoc modo Deus antecedenter vult omnem hominem salvari, sed consequenter vult quosdam damnari secundum exigentiam suae justitiae*; & in cap. 12 epistolae ad Hebraeos: *Qui vult omnes salvos fieri, & ideo gratia Dei nulli deest, sed omnibus, quantum in se est, communicat*. Vide eiusdem alia testimonia jam a nobis superius *num.* 23, & 24 recitata.

Responsiones ad objecta.

113 Opponitur contra primam partem propositionis. I ex Apostoli testimonio nihil praesidii duci potest ad sententiae nostrae defensionem, si non patiatur interpretationem de singulis generum; atqui ita est: ergo. Minor probatur auctoritate Augustini illam exponentis de generibus singulorum, & aliter ac nos, quod qui salventur, Deus velit salvare, quod omnes optare debeant propriam salutem, quod demum ex omni personarum genere Deus velit aliquos salvare, ut constat *ex cap.* 103 *Enchirid. ex lib. de praedest. Sanctorum cap.* 1. *ex lib. de corrept. & gratia cap.* 14, & alibi, ut jam innui num. 99: id enim contendit contra Pelagianos, & Semipelagianos, ut eorum placitum de voluntate Dei generali circa singulorum salutem falsi convincat.

Respondetur negando minorem, ad cuius probationem dico, Augustinum ibidem loqui de voluntate consequenti, & absoluta, non de antecedenti, atque conditionata. Prima vult tantum aliquos salvos facere, secunda omnes, ut constat ex dictis num. 109. Praeterea quamvis, triplicem hanc explicationem adducat pro Divi Pauli textu interpretando, aliam tamen interpretandi rationem de voluntate singulos attingente non damnat: imo *lib. de spiritu, & litera cap.* 32 eam palam indigitat.

Demum

Demum Pelagianos, & Semipelagianos non ideo male carpsit, ac multo sale defricuit, quod nobiscum Apostoli textum exponerent de volutate generali Dei circa omnium salutem, sed quia eorum interpretatio sensu prorsus haeretico erat exposita.

Singula autem responsionis capita breviter evinco. Primum quidem eo, quod locus, ubi Augustinus textum Apostoli exponit de solis electis, ac praedestinatis, ut *lib. de corrept.*, *& gratia cap.* 14, ubi ait: *omnes homines vult salvos fieri, ut intelligantur omnes praedestinati, quia omne genus hominum in eis est.* Hic locus, inquam, conferendus est cum iis, quae ibidem subdit; atqui solam innuit voluntatem consequentem, ut liquet ex ipsius verbis, quae mox referam: ergo &c. Verba sunt haec: *Dictum est, omnes homines vult salvos fieri, ut intelligantur omnes praedestinati. . . . Non est itaque dubitandum voluntati Dei . . . . humanas voluntates non posse resistere, quominus faciat ipse quod vult, quandoquidem de ipsis etiam hominum voluntatibus, quod vult, cum vult, facit.*

Hinc adducto exemplo David, Deo sic disponente, ac decernente a populo in Regem electi addit: *intus egit, corda tenuit, corda movit, eosque voluntatibus eorum, quas ipse in illis operatus est, traxit*: hic autem voluntatem consequentem, & absolutam significari nemo non videt.

Quod spectat ad secundum caput responsionis liquida res est. Quaero enim ab adversariis, ubinam damnet Augustinus explicationem nostram: si non damnat, cur eam adoptare nobis non liceat, cum hanc in Scholas invexerit Joannes Damascenus, ut supra innuimus num. 15, & declarat s. Thomas in cap. secundo primae ad Timoth. lectione prima, qui ipsam etiam suam facit? En verba sancti Doctoris post relatas tres Augustini interpretationes textus Apostoli quartam sic addentis: *Quarto, ut secundum sanctum Damascenum intelligatur de voluntate antecedente, non de consequente.*

Quod vero Augustinus nostram interpretationem adoptet, suamque faciat cap. 33 libri de spiritu, & litera, patet ex ejusdem verbis. Inquirit primum, cur volontas credendi, si donum Dei est, non omnibus detur; & respondet: *Vult quidem Deus omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, non sic tamen, quod eis adimat arbitrium, quo bene, vel male utentes juste judicentur: quod, cum fit, infideles contra voluntatem Dei faciunt, cum eius*

Evan-

Evangelio non credant. Admittit igitur in Deo voluntatem circa omnium salutem, contra quam infideles faciunt, cum eius Evangelio non credunt; atqui haec voluntas non est consequens, sed antecedens: ergo.

Tertium responsionis membrum inde petitur, quod, ut monui sub initio numeri 98, interpretatio a Pelagianis adhibita, necnon a Semipelagianis in Apostoli textu, *Deus vult omnes &c.* explicando plurimis erroribus scatebat, quos ibidem numeravi. Porro eo sensu pravissimo explicatam voluntatem reiicit Augustinus *lib. de catechizandis rudibus cap.* 26 *lib.* 4 *contra Julianum cap.* 8, sugillatam ab eo nostram nullibi videas. Et sane quomodo notam aliquam inussisset sententiae tot ss. Patrum testimoniis suffultae? quomodo falsitatis argueret explicationem, qua optime conciliatur fidei doctrina cum damnatione Pelagianae haeresis, & Semipelagianae? Audiatur Scriptor libri *de vocat. Gent.* olim D. Prospero attributi, perperam tamen, ut arbitror lib. 2 cap. 31: *Ipse est, ut ait Apostolus, salvator omnium, maxime fidelium. Quae sententia sublimissimae brevitatis, & validissimi roboris .... totam hanc ... controversiam dirimit. Dicendo enim, qui est salvator omnium hominum, confirmavit, voluntatem Dei super universos esse generalem; adjiciendo autem, maxime fidelium, ostendit partem esse generis humani, quae merito fidei divinitus inspiratae ad summam, atque aeternam salutem specialibus beneficiis provehatur*. Videant adversarii nostram interpretationem scriptoris esse antiquissimi.

Urgent nihilominus adversarii. D. Augustinus in *Enchirid. cap.* 95 negat, Deum aliquid velle, quod non possit; negat pariter idcirco, Deum aliquid non facere, quod vellet, eo quod humanum obstet arbitrium: it similiter inficias, ideo non omnes salvari, quia nolunt; atqui negans haec omnia non admittit voluntatem antecedentem: ergo &c. Maior probatur verbis sancti Doctoris: *Videbitur quam efficacissima sit voluntas Dei, quam multa possit, & non velit, nihil etiam velit, quod non possit. Quamquam sit verum ... quod omnia quaecumque voluit, fecit; quod utique non est verum, si aliqua voluit, & non fecit, & quod est indignius, ideo non fecit, quoniam, ne fieret, quod volebat omnipotens, voluntas hominis impedivit.* Deinde inquirens quinam sit sensus textus Apostoli *Deus vult omnes* &c. ait: *Cum enim non omnes, sed multo plures non fiunt salvi, videtur non fieri, quod Deus vult, humana scilicet voluntate im-*

impediente voluntatem Dei: quando enim quaeritur caussa, cur non omnes salvi fiant, responderi solet, quia hoc ipsi nolunt, quod quidem de parvulis dici non potest, quorum nondum est velle, seu nolle. Tum rem claudit tres adducens interpretationes supra allatas.

Respondetur opponendo textui allato D. Augustini germanam eius mentem in alio loco, nimirum *cap.* 102 *Enchirid.*, ubi docet, eamdem esse Dei voluntatem circa omnium salutem, ac illam, qua voluit Angelorum salutem; atqui ista, fatente Jansenio *lib. de gratia Christi cap.* 1, non fuit impleta: ergo aliqua admittenda est in Deo voluntas relate ad omnium salutem, quae non impletur.

Sensus igitur Augustini in textu nobis objecto hic est, quod, quaecumque vult Deus absolute, & simpliciter, efficaciter, ac infallibilitet impleantur, nec ea uspiam impediat arbitrium creatum. Cum enim ibi Pelagianos confutaret, qui Deo concedebant voluntatem salvandi omnes, sed si ipsi voluissent propriis viribus conditionem implere, cui salus erat alligata, omnemque proinde a Deo voluntatem consequentem exsulem vellent, partes fuere Augustini non voluntatem generalem antecedentem contra illos evincere: hanc enim, esto sensu perverso, in Deo admittebant, sed voluntatem consequentem simpliciter efficacem, ab arbitrii viribus naturalibus obicem pati nesciam.

114 Opponitur II. Synodus Valentina III damnat concilium Carisiacum, quod decretorie pronunciaverit, Deum voluntate antecedenti velle omnium salutem: ergo &c. Idipsum legimus factum ab Ecclesia Lugdunensi *in lib. de veritate tenenda scripturarum cap.* 2. Divus Thomas in opusculo *de praescientia, & praedestinat. cap.* 6 ait: *Deus dicitur velle aliquid dupliciter, uno modo proprie, & sic dicitur aliquid velle, cuius voluntas vere in eo est, quod sibi complacet, & hoc dicitur voluntas beneplaciti, quae semper impletur . . . . alio modo metaphorice, eo quod ad modum volentis se habet, in quantum praecipit, consulit &c. & haec dicitur voluntas signi, quae non semper impletur, de qua dicit Apostolus, qui vult omnes homines salvos fieri:* ergo vera non est haec in Deo voluntas. Idem sanctus Doctor hic *q.* 19 *art.* 6 *ad primum* voluntatem hanc Dei circa omnium salutem vocat *velleitatem*, non *voluntatem*.

Et sane quomodo credatur vera in Deo voluntas circa omnium salutem, dum Apostolos ipsos ab Evangelio alicubi

cubi nunciando prohibuit Deus? Disertissima sunt verba *Act.* 16, quam ut quis de hoc possit ambigere: *Transeuntes Phrygiam, & Galatiae regionem vetati sunt a Spiritu sancto loqui verbum Dei in Asia, & cum venissent in Mysiam, tentabant ire in Bythiniam, & non permisit eos ire Spiritus Jesu*: satius itaque erit vebum *omnes* in Apostoli textu in sensu accommodo exponere, nimirum pro generibus singulorum, quo sensu vera dici debent haec fidei enunciata: *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur. Omnis caro corruperat viam suam &c.*

Resp. ab adversariis hic nobis imponi: singula enim sub falso cubant. Primum enim, quia concilium Valentinum nuspiam Synodum Carisiacam damnavit, quod voluntatem Deo tribueret antecedentem circa omnium salutem, sed quia inter Patres Carisiacos Hincmarus numerabatur, quem Patres Valentini (licet errore facti decepti) credebant in ea esse mente, quod Deus voluntate consequenti omnes vellet salvare, ita ut inferno etiam damnati inde essent liberandi, & ad caelestem gloriam transmittendi. Constat hoc ex Hincmari Apologia, seu ex libro *de praedest.* a se edito *ad caput.* 27 tum ex Concilio Tullensi apud Saponarias, in cuius *Can.* 1 habes emendationem, seu temperamentum quoddam Concilii Valentini. Eadem est responsio ad secundum.

Ad III homines naris emunctioris respondent, opusculum illud falso D. Thomae adscribi, cum in editione Romana desideretur, nec in eiusdem opusculorum indice reperiatur.

Sed demus, hoc esse D. Thomae opusculum, nihil tamen inde adversus nos extundi potest: nam voluntas illa signi, quam ibi memorat, non excludit voluntatem beneplaciti, cum interdum ex dictis n. 14 sint conjunctae, ut in re praesenti. Audiatur suimet interpres Angelicus in cap. 2 epist. 2 ad Timoth. lect. 1: *Velle ponitur quandoque pro voluntate beneplaciti, quandoque pro voluntate signi. Vult salvare omnes, quia omnibus proposuit salutis praecepta, consilia, & remedia pro voluntate beneplaciti; sic exponi potest quatuor modis &c.*. Hinc concludit *Deum, velle voluntate antecedente vere, ac sincere omnes salvos fieri.*

Ad IV. Angelicus Praeceptor voluntatem Dei de omnium salute *velleitatem* vocat, prout comparatam cum voluntate con-

consequenti, quae prorsus impletur, non quasi quod non sit in se vera voluntas, sed quia, cum sit conditionata, in pluribus non impletur. Quantum igitur ex parte Dei Deus vult omnium salutem secundum se spectatam, & ab omnibus personalibus circumstantiis exutam, sed quia hanc ut singularibus circumstantiis affectam non vult, nisi sub conditione, quod omnes servent mandata: idcirco hoc modo conditionata passim non impletur, & ideo vocatur *velleitas*.

Ad quintum respondetur ad tempus, dumtaxat dilatam esse Asiaticis Evangelii praedicationem: cum non multo post Joannes Apostolus, aliique Evangelium populis illis attulerint.

Ad sextum. Eo sensu verbum *omnes* non esse usurpandum, quo adversarius contendit, suadent Patrum superius allata a nobis testimonia in probationibus: tum etiam quia ibi jubet Deus pro omnibus omnino hominibus preces fundi: ergo omnes, & singulos vult Deus salvare: pro his enim a nobis orandum est.

115 Opponitur III. Si Deus velit omnium salutem, debet se gerere ut provisor universalis, omnia ad eumdem finem obtinendum disponens; atqui id est falsum, cum non omnes salvi fiant: ergo aut Deus non est provisor perfectus, cum effectum, quem vult, non obtineat, vel omnium salutem velle non debet.

2 Exsulare debet a Deo voluntas imperfecta; huiusmodi est voluntas de omnium salute: ergo &c. Probatur minor. Voluntas haec providet tantum gratias sufficientes, quae nunquam effectum suum consequuntur, nuspiam praebet efficaces: ergo &c.

3 Deus non vult sincere omnium salutem, si possit conditionem implere, a qua pendet salutis adsecutio; atqui id verificatur de Deo: ergo &c.

4 Saepe diximus cum D. Thoma, voluntatem antecedentem considerare objectum, prout avulsum ab omnibus circumstantiis: ergo dum Deus vult omnium salutem, hanc in genere spectat, ac proinde sub hoc respectu, quod bonum est, hominem salvari, vult: ergo abstrahit haec voluntas ab homine considerato ut affecto originali peccato: ergo voluntas illa non respicit omnes homines post Adae peccatum.

5 Voluntas antecedens nihil operatur juxta D. Thomam in primum *dist.* 47 *q.* 1 *art.* 2: ergo est mera complacentia

centia de salute hominum, si eam omnes consequerentur, non vera ipsius volitio.

6 Deus eorum salutem non vult, quibus non confert medium ad salutem omnino necessarium, nempe perseverantiam finalem: ergo &c.

7 Si Deus vellet omnium salutem, omnibus conferret media efficacia, quibus actu salvarentur; id non praestat: ergo &c.

8 Voluntas haec conditionata in Deo circa omnium salutem nequit salvari in divinae providentiae oeconomia erga parvulos sine Baptismo morientes: ergo. Antecedens probatur primo; quia eos omnes Deus vult salvare, quibus per humanam diligentiam Baptisma potest adplicari: pro his enim providit medium ad salutem; atqui parvulis in utero matris decedentibus adplicari non potest Baptismus humana diligentia: ergo. Secundo alia esse videtur providentia Dei erga id genus parvulorum, alia circa homines alios, cum illos ad finem supernaturalem non condiderit, sed ad aliam alterius generis perfectioris beatitudinem, quod verbis diversis, sed eodem sensu docet Cardinalis Sfondratus in nodo praedest. *p.* 1 §. 1 *n.* 2. Tertio Deus eos salvare non vult, quibus nihil ex huiusmodi volitione derivatur; atqui nihil parvulis sine Baptismo decedentibus ex Dei voluntate de ipsorum salute derivatur, ut patet: ergo &c. Quarto nulla datur per nos ex dictis n. 24 voluntas Dei omnino inefficax; atqui voluntas Dei erga praedictorum parvulorum salutem est omnino infficax: ergo &c.

Ad 1 respondeo. Distinguo maiorem. Omnia ad eum finem generalem disponens. Concedo maiorem. Omnia ad eum finem particularem. Subdistinguo. Si se habeat ut provisor particularis. Concedo maiorem. Si ut generalis. Nego suppositum maioris, quod provisoris generalis finis esse possit particularis. Et distinguo minorem. Idest falsum, quod Deus, ut provisor generalis, omnia ad finem generalem disponat. Nego minorem. Ad finem particularem. Concedo minorem, & nego consequentiam. Finis Dei, ut auctoris, & provisoris generalis est gloria sua, ad id autem Deus media disponit aptissima. Hinc salvetur, vel pereat homo, gloria Dei semper tecta, & sarta manet: tunc enim si praemia conferet, bonitatem ostendet, si poenas, justitiam, utroque modo gloriae suae consulens.

Ad

Ad 2 concessa maiore, nego minorem, ad cuius probationem respondeo, primo per instantiam Jansenianis molestissimam, nec ab ipsis uspiam solutam. Voluntas Dei antecedens circa omnium Angelorum salutem, quam ipsi admittunt providit tantum gratias sufficientes (cum solum pertineat ad consequentem gratias efficaces conferre) nec pro Angelis reprobis gratias efficaces disposuit: ergo fuit voluntas imperfecta.

Directe pro nunc (rem enim ad liquidum perducere alterius loci erit, *tract. nempe de gratia*) distinguo probationem. Voluntas illa dat gratias sufficientes, quae nuspiam effectum consequuntur, quem proprie praestare debent ex se ipsis. Nego. Quae nuspiam consequuntur effectum ulteriorem ad quem ordinantur. Subdistinguo. Et id ob malitiam creaturae ponentis obicem, Concedo. Aliter. Nego. Ad voluntatem Dei antecedentem circa omnium salutem spectat praestare media sufficientia ad eamdem: haec autem effectum suum semper obtinent, qui est excitare, & praeparare, sed quia peccator iis obicem ponit impedientem effectum ulteriorem nempe operationem, ad quam tendunt media; ideo privantur gratiis efficacibus, quibus actu in ordine ad salutem operentur.

Ad 3 respondetur primo per instantiam desumtam a voluntate Dei circa omnium Angelorum salutem. II per aliam instantiam. Est de fide ex Tridentino *sess.* 6 *can.* 17 gratiam justificationis non conferri solis praedestinatis ad gloriam, ac proinde Deum ipsam, dum justi sunt, largiri reprobis. Est pariter de fide ex *eadem sess. can.* 7, 11, 13, 16, 32, in eo statu ipsos esse heredes aeternae gloriae, eamque adsequi, si in gratia finali decedant: ergo pro illo statu Deus velle debet ipsorum salutem: ergo cum *de facto* quia non decedunt in perseverantia finali, quam Deus posset illis concedere, Deus non voluit ipsorum salutem, quod sine fidei periculo dici non posse fatentur omnes.

Directe nego maiorem; sufficit enim ad huiusmodi voluntatem praeparatio auxiliorum sufficientium, quibus homo si obicem non ponit, gratiam ulteriorem potest obtinere.

Ad 4 nescio, qui nexus sit inter praemissas, & hanc consequentiam ultimam; nam ex hoc quod juxta D. Thomam voluntate antecedenti Deus velit hominem salvari, prout illum considerat, ut homo est ad gloriam aeternam

conditus, non video cur possit inferri: ergo voluntas illa non respicit hominem post Adae peccatum: etenim, supposita praevisione peccati originalis, bonum est hominem salvari, ac proinde exstat adhuc objectum voluntatis antecedentis; quare Janseniani mentem sancti Doctoris non satis intelligunt. Voluntas enim antecedens ex D. Thoma considerare debet objectum in genere, & a circumstantiis personalibus avulsum, qualis certe non est labes originis, ubi voluntas consequens ex adverso debet *considerare rem in se ipsa*; ut autem est in se ipsa, est in particulari, ut habetur hic *q.* 19 *art. 6 ad primum*. Porro, praeviso peccato Adae, adhuc homines possunt in genere considerari, adhuc bonum est illos salvari; nondum tenetur Deus ad eos tantum considerandos singulos, & in particulari: ergo voluntas antecedens de ipsorum salute adhuc defendi potest juxta D. Thomae principia, quia de hominibus lapsis & hanc Dei voluntatem verificari, ac pro ipsis Christum sanguinem fudisse ostendimus n. 102, & quidem non persunctorie; tum quia plura sparsim reperio in D. Thoma, quae hanc eius mentem ostendunt, ut quae leguntur in primum dist. 46 q. 1 art. 1 ad secundum: *Voluntas antecedens potest dici conditionata, nec tamen est imperfectio ex parte voluntatis divinae, sed ex parte voliti, quod non accipitur cum omnibus circumstantiis, quae exiguntur ad rectum ordinem in salutem.* Et in comment. in epistol. primam ad Timoth. cap. 2: *Voluntas potest dupliciter considerari, scilicet in universali, vel absolute, & secundum aliquas circumstantias, & in particulari, & prius est absoluta consideratio, & in universali, quam in particulari, & comparata.* Tum in primum sentent. dist. 46 q. 1 art. 1: *Paratus est omnibus dare gratiam, & ideo gratia nulli deest, sed omnibus, quantum in se est, se communicat, sicut nec sol deest oculis caecis.* Demum lib. 3 contra Gent. cap. 159: *Deus, quantum in se est, paratus est omnibus dare gratiam: vult enim omnes homines salvos fieri . . . sed illi soli gratia privantur, qui in se ipsis gratiae impedimentum praestant: sicut sole mundum illuminante, in culpam imputatur ei, qui oculos claudit, si ex hoc malum aliquod sequatur, licet videre non possit, nisi lumine solis praeveniatur.*

Ad 5 distinguo. Nihil operatur effectus principalis. Concedo. Minus principalis, sed tamen sufficientis. Nego. Sensus istius distinctionis abunde ex superioribus colligitur.

Ad

Ad 6 distinguo maiorem. Non vult absolute. Concedo. Non vult antecedenter, & conditionate. Nego.

Ad 7 nego maiorem, quia media efficacia tribuere, ut quis operetur, ad voluntatem consequentem spectat. Porro dum mediis sufficientibus humanum resistit arbitrium, ponitque obicem gratiae efficaci, quis dicat, nullam esse in Deo voluntatem de ipsius salute, cum ab ipsa fluxerint auxilia sufficientia arbitrio collata?

Ad 8 nego antecedens, ad cuius primam probationem distingo maiorem. Eos parvulos vult Deus salvare voluntate antecedenti, quibus humana diligentia Baptismus potest applicari. Nego maiorem; quia in ea hypothesi non consideratur objectum secundum se, & abstrahendo a circumstantiis peculiaribus. Voluntate consequenti. Concedo maiorem, & distinguo minorem. Applicari non potest ipsis Baptismus humana diligentia, quem tamen Deus ex se tamquam remedium providerat jubendo parentibus, ut quamdiu ii in utero erant, summa cura ipsorum conservationi consuleretur. Concedo minorem. Aliter. Nego minorem, & consequentiam.

Ad 2 argumentum Cardinalis Sfondrati dico, nihil nobis negotii facessere. Vult enim ibidem Sfondratus, *voluntate antecedente omnes ad vitam aeternam, vel ad aliquid melius ipsa destinari*. Audi nunc errores hoc in dogmate contentos: 1 si infantes, ut ipse vult, continentur in hac voluntate, quomodo spectant ad aliam classem? Pugnant ergo secum invicem haec duo, spectare ad voluntatem antecedentem, qua omnes, vel ad vitam aeternem, vel ad aliquid melius destinantur, & pertinere ad alterius providentiae classem.

Secundo. Quid absurdius, quam aliquid vita aeterna melius excogitare?

Tertio. Melioris essent conditionis infantes sine Baptismo morientes, quam cum ipso baptismate e vita migrantes: istis enim vita aeterna, illis melius quidpiam contingeret. Ad tertiam probationem distinguo maiorem. Quibus nihil ex huiusmodi volitione derivatur ex defectu voluntatis, vel praeparationis mediorum. Concedo maiorem. Si dumtaxat praeter intentionem, aut per accidens ex defectu applicationis mediorum. Nego maiorem, & similiter, distincta minore, nego consequentiam.

Ad quartam. Concedo maiorem negando minorem; quia pro ipsis etiam institutum est Baptisma, tum etiam

quia, ut auctor est Angelicus: *huiusmodi antecedentis voluntatis effectus sunt omnia promoventia in salutem tam necessaria, quam gratuita, sicut potentiae naturales, & praecepta legis*. Porro quis neget in pueris potentias naturales, quibus salutiferae ablutionis sint capaces, si vivant? Quae igitur agglomerat adversarius argumenta in contrarium, id non efficient, ut pedem referamus.

116 Opponitur IV contra secundam partem propositionis. Eadem ratio est de divina voluntate salvandi homines omnes, ac de Christi morte pro omnium salute; atqui Christus mortem non obiit pro omnibus, & singulis: nam Matth. 20 habemus: *Filius hominis .... venit dare animam suam ... pro multis redemtionem*; & cap. 26: *Hic est sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum*. Si igitur pro multis: ergo non pro omnibus: ergo dumtaxat pro generibus singulorum, juxta illud Apocalyp. 5: *Occisus es, & redemisti nos Deo in sanguine tuo ex omni tribu, & lingua, & populo, & natione*. Hac de re pro solis electis fusum esse Christi sanguinem Scripturae clamant. Joan. 1: *Animam meam pono pro ovibus meis*; Matth. 4: *vocabis nomen eius Jesum; ipse salvum faciet populum suum a peccatis eorum*; Ephes. 5: *Christus dilexit Ecclesiam, & se ipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquae in verbo vitae*. Matth. 15 ait Christus se missum non nisi *ad oves, quae perierunt domus Israel*. Hinc Joan. 6: *descendi de caelo, ut faciam voluntatem ... eius, qui misit me. Haec est autem voluntas eius, ut omne, quod dedit mihi, non perdam ex eo*: ergo a Patre datae sunt dumtaxat filio oves, quae perierant de domo Israel; ergo non omnes. Unde licet in testimoniis a nobis adductis in huius sententiae confirmationem num. 105 alicubi pro omnibus *oppetita dicatur a Christo mors sua*, id intelligendum est eo sensu, quo interpretes exponunt illud Joan. 12: *Si exsaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipsum*; & 1 Cor. 15: *sicut in Adam omnes moriuntur, ita in Christo omnes vivificabuntur*: huc enim spectat monitum sancti Fulgentii *lib. de Incarnat. cap.* 31, quod *omnes* non semper denotat in sacris Literis omnium hominum universitatem.

Resp. plura hic congeri ab adversario non uno responso diluenda. Itaque particula *pro multis* in duobus primis testimoniis idem reddit, ac pro omnibus, ut ad Rom. 5: *Unius delicto multi mortui sunt*, idest *omnes*. Ita interpretatur

tatur Divus Chrysostomus *homil.* 83 *in Matth.* Si quis cum Augustino *lib.* 2 *operis imperfecti cap.* 175 verbum *multis* velit interpretari non pro omnibus, sed pro pluribus, tunc designat applicationem consequentem mortis Christi, & simpliciter efficacem, non autem & efficacem secundum quid, & hoc pacto intelligas textum Apostoli tertio loco productum: nam voluntate antecedente Christum pro omnibus mortuum suadet Apostolus 2 *Cor.* 5 jam a nobis laudatus num. 105, ubi probat Christum mortuum pro omnibus, qui in Adam peccaverunt.

Quinque autem sequentia testimonia primum in adversarios retorquentur, qui nobiscum sentiunt gratias temporales, quae interdum reprobis conferuntur, effectus esse mortis Christi. Secundo Scriptura locis citatis Christi beneficium non restringit: licet enim ibi significet Christum pro ovibus mortuum esse, seu pro credentibus, non negat tamen pro ceteris etiam obiisse, cum prima Joan. 2 habeamus: *gustasse Christum mortem pro omnibus*; & 1 ad Timoth. 2: *ipsum esse omnium Salvatorem, maxime fidelium.* Quod ibi innuitur ex Matth. 5 desumtum, *Non sum missus,* . . . significat Evangelium a Christo per se ipsum Judaeis solis esse nunciatum. Si autem textus Joan. 6 eodem modo explicetur, quomodo conciliabitur cum alio Joan. testimonio cap. 17: *quos dedisti mihi, custodivi, & nemo ex iis periit, nisi filius perditionis?* cum hic constet Judam Christo datum esse a Patre? Vult igitur Deus *omnes fieri oves suas,* ut salventur, sed cum hoc decreto conditionato plures nolunt salvari. Quod postremo loco additur, verbum *omnes* sumendum esse pro multis, ut innuunt aliqua Scripturarum loca, mutuantur a Socinianis Jansenii fautores; sed eorum caussae nihil prodest: nam ex adjunctis constat hujusmodi interpretationi hic verbum *omnes* non subesse, uti etiam haec Divi Pauli enunciata *omnes peccaverunt, omnes in Ada mortui sunt*: ex contextu igitur auctoritatum e Scripturis deductarum facile colligitur, quando verbum *omnes*, & universos, nec non quando aliquos tantum denotet.

Urgebis. Pro iis solis Christus mortuus est, pro quibus oravit; atqui Joan. 17 oravit pro solis electis: *non pro mundo rogo, sed pro iis, quos dedisti mihi*: ergo &c.

Resp. 1 per instantiam. Christus mortuus est pro quibus oravit: ergo, cum per adversarios non oraverit pro re-

reprobis, pro illis non impetravit gratias illas, quae in hac vita ipsis conferuntur, quod tamen vel ipsi negant.

2 Nego minorem. Equidem Christus non oravit pro reprobis loco nobis objecto, ubi specialiter tantum pro electis, & praedestinatis oravit: at male infertur nunquam Christum pro reprobis orasse. Quemadmodum enim quae nobis praecepta tradidit, non uno in loco, neque tempore uno tradidit, ita quas fudit orationes pro diversis hominibus, non omnes uno loco, & tempore uno fudit. Porro Christum pro reprobis exorasse constat, si verba ista Christi, *Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt*, sint etiam de reprobis intelligenda. Rem vero ita esse patet ex Augustino serm. 170, ubi ait: *Attende Dominum tuum in ligno pendentem, circumspectis undique turbis inimicorum, & dicentem, Pater ignosce illis &c.* Ex quo textu ita arguitur. Christus oravit pro circumspectis undique inimicorum turbis; sed in turbis illis inimicorum reprobos etiam exstitisse nemo negaverit: ergo &c.

Praeterea Christus *oravit pro transgressoribus*, ut habetur Isaiae 53; sed nec omnes transgressores erant praedestinati: ergo Christus etiam pro non praedestinatis, seu reprobis orasse dicendus est. Imo vero loco nobis objecto, Christum etiam pro reprobis orasse, non immerito censent nonnulli; nam verbis in objectione allatis statim adjungitur: *non pro eis autem rogo tantum, sed & pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum* (intellige Apostolorum) *in me.* Porro non omnes, qui in Christum crediderunt, salvati sunt: ergo sequitur aperte, Christum pro non praedestinatis ibi exoravisse.

Instabis. Si Christus pro omnibus orasset, omnes salvarentur: omnis enim Christi oratio fuit exaudita, ut habetur Joan. 11: *Ego sciebam, quia me semper audis*: ergo &c.. Praeterea Christus non id a Patre exoravit, cuius concessio Patri ipsi erat omnino impossibilis; porro concessio salutis reproborum, posito immutabili de eis ad gloriam non eligendis decreto, erat Patri ipsi impossibilis: ergo &c.

Rursus. Non tribuenda Christo oratio Patris voluntati contraria, sed Christi oratio pro salute reproborum est Patris voluntati, qua aliquos ad perditionem destinavit, contraria: ergo &c.

Insuper. Christus pro reprobis in Inferno sepultis non fudit orationem: ergo nec pro reprobis viventibus.

Denique

Denique non oravit Christus pro iis, quorum salutem non intendebat; atqui reproborum salutem non intendit Christus: ergo nec pro iis exoravit.

Ad 1 respondeo. Distinguo maiorem. Si Christus exorasset oratione simpliciter efficaci, & respondente voluntati consequenti, & absolutae de omnium salute, omnes salvarentur. Concedo. Si oratione efficaci dumtaxat, secundum quid, & respondente voluntati antecedenti, & condionatae Dei. Nego maiorem: nec enim omnis oratio Christi fuit absoluta, ut ea, quae habetur Joannis 11 supra nobis objecto, cum exempla orationis conditionatae habeamus Matth. 26: *Pater, si possibile est, transeat a me calix iste; verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu.*

Ad 2 eamdem adhibeo responsionem, & distinctionem.

Ad 3 respondetur negando minorem: non magis enim Christi oratio pro salute reproborum adversatur Patris voluntati, quam nostra pro eorumdem salute obtinenda; atqui nostrae preces pro reproborum salute supplicanda nullatenus Patris aeterni voluntati opponuntur, aliter ab eo, aut ab Ecclesia pro reprobis orationes fundere prohiberemur, quod falsum omnino est: ergo, &c.

Ad 4 negatur paritas. Oratio enim Christi pro reprobis supplicio aeterno addictis, & jam vita functis ex omni parte fuisset supervacanea, cum supplicia culpis debita minuere nulla ex parte potuisset, nec eos ab Inferis, ubi nulla est redemtio, extrahere. Sed longe alia est ratio orationis Christi pro reprobis vitam adhuc degentibus: nam oratio, quae minuit poenas reproborum ipsis in Inferis infligendas pro ratione noxarum in hac vita admissarum, supervacanea dici non potest. Porro id effecit oratio Christi pro reprobis: nam haec certe illis obtinuit sufficientem abstinendi a peccato facultatem, impetravit remedia, quibus plurimas, dum viverent, tentationes vincerent, adeoque rarius Deum offenderent, ac demum plures actus bonos, & meritorios elicerent; quae profecto omnia minuunt poenas reprobis in barathro infligendas pro sceleribus; unde oratio Christi minuit poenas praedictas, ac proinde non fuit inutilis.

Ad 5 Respondeo. Nego minorem: nam, sicut Christus, ut ait s. Leo sermon. 1. de nativit. Domini, *nullum a reatu liberum invenit, ita pro omnibus liberandis venit*: ergo venit etiam pro reprobis liberandis, ac proinde eorum liberationem, seu salutem intendit: ergo, &c.

Urgent iterum. Sciebat certissime Jesus, qui erant damnandi, qui salvandi: ergo nisi ipsum ignorantiae, aut imprudentiae incusemus, pro reprobis orasse est omnino negandum. Probatur consequentia ex Augustino lib. 21 de civit. Dei cap. 4: *Si de aliquibus certa esset* (intellige Ecclesia) *tam pro iis non oraret, quam nec pro ipso* (Diabolo): ergo cum tunc sciret Christus, quinam essent reprobi, pro ipsis non oravit.

Resp. 1 per instantiam de Dei voluntate salvandi omnes Angelos a Jansenistis admissa.

Resp. 2. Concesso antecedente, distinguo consequens. Non oravit pro reprobris oratione speciali, consequente, & efficaci. Concedo consequentiam. Oratione generali, & antecedente. Nego consequentiam. Quemadmodum Deus, ut provisor generalis, duplici modo hominum salutem respicit: primo secundum se, abstrahendo nempe ab omnibus circumstantiis; secundo ut iisdem affectam: ita Christus Redemtor universalis omnium sub duplici ratione humanam salutem respexit. Prima secundum se, & quia ut talis bona erat, atque conveniens fini redemtionis, eam voluntate generali omnibus voluit, & pro omnibus Patrem rogavit; secunda vero ratione eam respexit, ut indutam circumstantiis peculiaribus. Priori modo auxilia sufficientia a Patre omnibus impetravit, a quovis obice praescindendo, qui ab illis hominibus poni posset, & a quovis negativae eorum reprobationis decreto; secundo auxilia specialia pro electis imploravit, quorum proinde salus erat divina voluntate consequente decreta. Augustinum vero esse intelligendum de efficaci, & consequente oratione, ex eo patet, quod ibidem agat adversus eos, qui Sanctos in caelis asserebant orare pro damnatis, ut ab aeternis cruciatibus eruantur, aitque sanctus Doctor, quod, si Ecclesia nosset, qui damnandi sunt, pro iis non oraret, ut non orat pro Diabolo, consequenter nec Sanctos dicendos esse orationes fundere pro damnatis. Patet autem homines hic non considerari, nisi ut iis circumstantiis affectos, quae propriae sunt voluntatis consequentis; unde nullatenus ad voluntatem generalem pertinent, ad quam, si quis referre vellet orationem illam Christi Domini, *Pater si possibile est, transeat a me calix iste*, non arbitror ipsi crimini tribuendum.

117 Opponitur III. D. Augustinus epist. 169, alias 102 ad Evodium ait: *non perit unus ex illis, pro quibus mor-*

mortuus est; lib. 21 de civit. cap. 24 illud Apostoli interpretans: *Conclusit enim Deus omnes in infidelitate, ut omnium misereretur*, ait: *Quid est omnium? Et eorum scilicet, quos ex Gentibus, & eorum, quos ex Judaeis praedestinavit, vocavit, justificavit, non omnium hominum, sed istorum omnium neminem damnaturus*; lib. 1 de adulterinis conjugiis. cap. 15: *Omnis, qui sanguine Christi redemtus est, homo est, non tamen omnis, qui homo est, etiam sanguine Christi redemtus est*; & tract. 1 in epist. primam Joan. explicans illud: *ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem, sed etiam pro totius mundi*. Eadem cum Augustino vestigia premit sanctus Thomas 3 p. q. 21 art. 4 ad 2 aiens: *Dominus non oravit pro omnibus crucifixoribus, neque etiam pro omnibus, qui erant credituri in eum, sed pro his solum, qui erant praedestinati, ut per ipsum vitam consequerentur aeternam*. Quis porro sugillet sententiam, quae his patronis gloriatur?

Resp., adversarium temere prorsus triumphum canere: nam primo Augustinus demonstrare intendit homines, utut rudes, & tardioris minervae salvari. Hinc ex contextu patet iis verbis: *non perit unus ex illis, pro quibus mortuus est*, subintelligi adnexa haec alia *ex incapacitate, impotentia, & sine culpa*.

Rursus. Quid respondebit adversarius, si testimonio Augustini opponatur Apostolus 1 Cor. 8: *peribit in tua conscientia frater infirmus, pro quo Christus mortuus est?*

II loco loquitur Augustinus de voluntate simpliciter efficaci, & consequente, quae solos respicit electos; ibi enim male carpit Origenistas, qui etiam damnatos ex meritis mortis Christi ad caelestem gloriam transferendos contendebant.

III testimonium distinguo. *Non omnis est redemtus*, quoad sufficientiam. Nego. Quoad efficaciam Subdistinguo. Defectu, & culpa peccatoris. Concedo. Defectu pretii a Christo soluti. Nego. Hanc esse testimonii Augustini veram interpretationem suadent nonnulla. Primum, quod Augustinus *lib. 1 contra Julianum cap. 4* docet, eum redemtum esse, qui media habet sufficientia, ut possit salvari. Secundum, quod D. Prosper responsione prima ad objectiones Vincentianas eum pariter vocat redemtum, qui per gratiam est a peccato: ac Daemonis servitute liberatus: ergo, cum omnibus praeparaverit Deus auxilia ad salutem aptissima, nec ulli ipsa desint, ac omnes a peccato, si non obsistant

sol-

solvantur, ipsique infantes, nisi caussae naturales prohibeant, possint ab originis labe mundari, omnes, qui homines sunt, hoc sensu, juxta Augustinum, eiusque discipulum Prosperum redemtos esse dicendum est; quamvis non omnes redemtionem efficacem propria culpa experiantur.

Ad D. Thomam respondetur, eumdem sanctum Doctorem esse consulendum in loco ipso, unde objectio eruitur. En primo articuli propositio, seu conclusio: *Cum Christi voluntas absoluta Deo semper fuerit conformis, semper eius oratio a Deo Patre fuit exaudita*; tum in corpore articuli: *& ideo voluntas absoluta Christi, etiam humana fuit impleta, quia Deo conformis, & per consequens omnis eius oratio fuit exaudita*: ergo de absoluta voluntate, non de conditionata loquitur hic s. Thomas. Stat igitur pro omnibus Christum mortem obiisse, quamvis multi salutiferae passionis effectui obicem ponant. Sententia haec nobis certissime stat: hanc enim hausimus ex Tridentino sess. 6 de justificatione cap. 3, sic fideles edocente: *Etsi Christus pro omnibus mortuus est, non omnes tamen mortis eius beneficium recipiunt, sed ii dumtaxat, quibus passionis eius meritum communicatur*. Sed de his satis.

ARTICULUS TERTIUS

quae supersunt ad hoc argumentum dubia spectantia expenduntur.

Quaeres I quaenam certitudo tribuenda sit sententiae a nobis propugnatae.

118 Respondeo I, esse fidei proximam sententiam, qua Deus adfirmatur voluisse in statu innocentiae vere, & sincere homines, & Angelos salvare; quia, si secus sentiatur, impingimus in errorem Calvini aientis, Deum aliquas creaturas innoxias condidisse, ut ipsas damnaret: ergo si in statu innocentiae aliquos Angelos, vel homines innocentes non voluit salvare, eos voluit creare ad exitium. Tum quia certum est de fide, eos Deum velle salvare, quibus dat media ad salutem necessaria; ita est de Angelis, & hominibus in eo statu, ut docet Augustinus *lib. de corrept., & gratia cap.* 11: ergo non dixi, esse omni-

omnino certam de fide, sed fidei proximam; quia nullus exstat canon, quo sit expresse definita.

119 Resp. II, certum esse de fide, Deum habere sinceram voluntatem salvandi aliquos reprobos, & Christum mortuum non esse pro solis praedestinatis. Prima pars probatur ex Joanne in cuius cap. 6 habemus: *Haec est voluntas eius, qui misit me, ut omne, quod dedit mihi, non perdam ex eo, sed resuscitem illud in novissimo die. Haec est autem voluntas Patris mei, ut omnis, qui videt Filium, & credit in eum, habeat vitam aeternam*; & cap. 17: *Quos dedisti mihi, custodivi, & nemo ex iis periit, nisi filius perditionis.* Jamvero sic arguitur. Est de fide, quod omnes a Patre datos Christo, eos Pater salvos esse voluit: est de fide, quod inter datos Filio a Patre fuit Judas, qui periit: ergo de fide est inter eos, quos Pater salvos volebat fuisse aliquem, qui periit.

Tum quia est de fide ex Tridentino *sess.* 6 *can.* 17: aliquos reprobos justificari: est de fide, reprobos in eo statu esse heredes gloriae caelestis ex eodem concilio *sess.* 6 *cap.* 4: ergo de fide est, aliquos reprobos esse heredes gloriae, & ita heredes, ut, si obicem non ponant, eam possint obtinere ex concilio Tridentino *sess.* 6 *cap.* 11: ergo est de fide, eos reprobos justificatos Deum velle salvare.

Secunda autem pars probatur ex damnatione propositionis quinta Jansenii: *Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse, falsam, temerariam,* (intellige propositionem) *&c., & intellectam eo sensu, ut Christus pro salute dumtaxat praedestinatorum mortuus sit... haereticam declaramus:* ergo sententia contraria est fidei dogma; & Ecclesia Lugdunensis *lib. de tenenda veritate* Scripturarum docet, hanc esse Ecclesiae fidem, u innui supra.

120 Resp. III, fidei proximam esse sententiam, quae ad omnes reprobos hanc voluntatem extendit, ac pro omnibus omnino hominibus Christum mortuum esse adfirmat: nam ut talis sit haec sententia, debet ei suffragari Scriptura, Traditio patrum, & Scholae consensus, & sola deesse expressa, & publica declaratio; id contingit in re nostra: ergo &c.

Quaeres II, an divina voluntas antecedens circa omnium salutem sit conditionata.

121 Resp., divinam voluntatem antecedentem esse subjective absolutam, & objective conditionatam. Responsio eo sensu debet intelligi, quo innuimus num. 26, eamque docet expresse D. Thomas in primum sentent. dist. 46 art. 1 ad secundum: *Dicendum, quod voluntas antecedens potest dici conditionata, nec tamen est imperfectio ex parte voluntatis, sed ex parte voliti, quod non accipitur cum omnibus circumstantiis, quae exiguntur ad rectum ordinem in salutem.*

Constat, quod sit absoluta ex parte Dei, quia actus suspensio Deum dedecet ex dictis: quae igitur vult, vult actu absoluto. Et sane Deus absoluto dirigit, & promovet creaturam rationalem ad finem salutis, ideoque leges instituit, Sacramenta &c.. Item media confert, quibus homines ad huiusmodi finem dirigantur; sed quia homines ab huiusmodi mediis ad salutem non diriguntur, nisi dependenter a conditione, quod applicentur, & iis homines utantur: idcirco huiusmodi voluntas est objective conditionata. A quo autem determinanda sit haec conditio, non levis est controversia, vel saltem levis esse non debet inter Molinistas, & Thomistas: ex hoc enim pendet utriusque Scholae systema, vel saltem ipsi est omnino connexum.

Scientiae mediae assertores censent, conditionis determinationem pendere a consensu creaturae, ut tamen adjutae divina gratia.

Thomistae a voluntate consequente Dei, quatenus spectat ad supremum Dei dominium singulis applicare illa media, ac rectum usum illorum in singulis promovere, cum caussa creata agere non possit, nisi mota a primo movente, nec ullam a futuro creaturae consensu dependentiam habere possit divina voluntas, quod firmant auctoritate sancti Fulgentii lib. de incarnat., & gratia Christi cap. 26: *Quomodo omnia, quae vult, facit, si volens hominem salvum fieri . . . ipsum velle non in homine Deus inchoat, sed ut ab homine nascatur, exspectat? O quam pessimum nefas adseritur! Dum gratiae Dei contumaciter repugnantur, & qui nullius eget adjutoris, ut hominem faciat, operari tamen quod vult, in hominis voluntate non possit, priusquam in homine velle ipsum repererit.*

Quaeres III, an voluntas antecedens de omnium salute, quam veram esse, ac sinceram diximus, proprie, & formaliter sit in Deo, an vero solum eminenter, quatenus versatur,

qui-

quidem circa antecedentia ad salutem; *non vero circa ipsam salutem*.

121 Respondent antiqui Scholae Magistri, ut Alensis 1 *p. q.* 36 *memb.* 2, sanctus Bonaventura in secundum *dist.* 46 *q.* 1 *art.* 1, Durandus, Egidius, Columna in primum *dist.* 46, aliique gravissimi Thomistae veterum sententiam explicantes respondent, inquam, voluntatem praedictam esse in Deo formaliter, sed non immediate, & formaliter de omnium salute in se ipsa, sed immediate, & formaliter de salute, ut virtualiter contenta in mediis, & caussis ad eam promoventibus, mediate vero de eadem in se ipsa.

122 Probant autem hanc sententiam, qua ajunt, Theologorum omnium dissidia posse conciliari auctoritate D. Prosperi, vel alterius cuiusvis lib. de vocat. Gentium cap. 25, ubi docet, *Deum velle omnes salvos fieri*, inde subdit, *& hoc non aliunde monstratur*, *quam ex his beneficiis*, *atque providentia Dei*, *quam universis generationibus communiter*, *atque indifferenter impedit*; atqui in his beneficiis solum indigitatur divina voluntas, ut formaliter, & immediate volens eadem beneficia, salutem vero, ut virtualiter contentam in eis; haec autem ab ipsa immediate, & formaliter non indigitatur: ergo. Suadent minorem, quia ex huiusmodi beneficiis sola designatur voluntas formaliter requisita; atqui voluntas ad id requisita est voluntas immediate, & formaliter volens huiusmodi beneficia, non voluntas aliquid ulterius volens; ergo &c.

123 Probant eamdem opinionem duplici hoc argumento. I Divus Thomas in secundam epistolam Paullinam ad Timoth. cap. 20 ait: *Velle ponitur quandoque pro voluntate beneplaciti*, *quandoque pro voluntate signi*; *pro voluntate signi vult salvare omnes*, *quia omnibus proposuit salutis praecepta*, *consilia &c.*, *pro voluntate beneplaciti exponi potest quatuor modis*; atqui nequeunt componi haec duo, quod nempe Dei voluntas circa omnium salutem sit voluntas signi, & beneplaciti, nisi dicatur voluntatem beneplaciti versari circa media, voluntatem signi circa salutem, cum illa velit immediate, hanc mediate, ac proinde virtualiter in mediis: ergo &c.

II idem s. Thomas hic art. 6 ad primum ait: *Nequa tamen id*, *quod antecedenter volumus*, *simpliciter volumus*, *sec secundum quid*, *quia voluntas comparatur ad res*, *secundum quod in se ipsis sunt*; *in se ipsis autem sunt in particulari*,

unde

unde simpliciter volumus aliquid, secundum quod volumus illud consideratis omnibus circumstantiis particularibus; quod est velle consequenter. Unde sic arguunt huius opinionis fautores. Ex Divo Thoma, cum Deus vult antecedenter, non vult simpliciter, sed secundum quid: ergo cum Deus non possit velle salutem immediate, nisi in se ipsa, & in se ipsa eam velle non possit, nisi in particulari, cum in se talis non sit, nisi in particulari, sequitur, eam Deum velle non posse, nisi mediate; quia dum antecedenter eam vult, eam velle nequit in particulari.

124 Sed respondent adversarii, salutem in se ipsa posse terminare divinam voluntatem in genere, ut avulsam a circumstantiis, & ut ipsis singillatim, ac in particulari indutam. Priori modo objectum esse volunt voluntatis antecedentis, secundo consequentis.

Sed perperam aiunt alii; quia salus sic in genere sumta, nec futura est, nec exsistet, sed est tantum possibilis; atqui Deus non vult tantum eam esse possibilem; id enim designat voluntatem plus nimio otiosam: ergo vult eam esse futuram, aut exsistentem eo modo, quo sumta in genere esse potest vel futura, vel exsistens; atqui talis esse non potest, nisi in causis eam promoventibus, idest in mediis: ergo. Minorem subsumtam sic probant. Quia id quod Deus vult, vult esse eo modo, quo vult; atqui salutem in genere non vult exsistentem in se ipsa in genere, quia nihil exsistit in universali, sed in particulari: ergo vult tantum ipsam secundum se, & in genere contineri in mediis ipsam promoventibus: ergo. Plura opponi solent ab adversariis, sed sua sunt etiam objectis responsa; nimis autem longum esset, ac operosum huc omnia conferre. Quae dixi, abunde sufficere arbitror, ut quisque in eam partem descendat, quae magis ipsi arriserit.

QUAESTIO V

quinam affectus Deo conveniant relate ad creaturas.

Quaeres I, an Deo conveniant desiderium, spes, & desperatio.

125 Resp. negative. Et primo quod attinet ad desiderium, liquida res est: nam istud involvit carentiam boni, & *subjectum in potentia relate ad illud*; sed nihil boni deest

deest supremo Numini, cum omnia eminenter contineat: ergo &c.

Hinc, quamvis Deus velit aliquod bonum creaturae, non est desiderium, quia desiderium *est motus exsistentis in potentia*; atqui motus ex D. Th. hic *q.* 53 *art.* 1 *ad tertium* est propter indigentiam, quod de Deo citra crimen affirmari nequit.

126 Probatur secunda pars. Spes versatur circa bonum absens, & arduum; Deus autem, utpote omnis boni fons, & origo, nullum bonum habet absens; aliunde, cum sit omnipotens, nullum bonum ipsi arduum concipies: ergo &c. Ex hoc autem sequitur neque vitium spei oppositum, nempe desperationem, cadere in Deum posse.

Quaeres, an in Deo sit tristitia, dolor, timor, poenitentia, invidia, ira, aut aliquid aliud ad huiusmodi passiones spectans.

127 Resp. negative. Nam tristitia est de malo praesenti: nullum autem Deo inhaerere potest malum, a quo laedatur; hinc pariter ab ipso excludendus est dolor.

Timor est de malo proprio imminenti. Quis autem dicat enti supremo, & omnipotenti posse malum imminere? Poenitentia infert animi mutationem: ergo ab ente immutabili, qualis est Deus, debet exsulare.

Invidia est de bono alterius apprehenso ut sibi malo; atqui bonum omne creatum est supremi boni participatio: ergo nequit apprehendi ut Deo malum.

Ira est appetitus vindictae cum spe ulciscendi ex dolore, & tristitia procedens, *concepta ex injuria illata*, ut definit D. Thomas; atqui dolor nullus est in Deo, tristitia nulla: ergo &c.

Et sane passiones impetum aliquem caecum involvunt, quem soli imperfecto enti convenire omnes consentiunt. Quare, siquando Scripturae affectus istos Deo tribuunt, eos in sensu metaphorico esse intelligendos auctor est D. Augustinus *lib.* 2 *de diversis quaestionibus ad Simplicianum q.* 2, & *in Enchirid. cap.* 33.

Quaeres, an Deo conveniat gaudium de hominum salute, aliisque ipsorum bonis spiritualibus.

128 Resp. affirmative D. Thomas 1 *contra Gentes cap.* 90. Rem autem ita evincit. Unumquodque gaudet suo simili, quasi in aliquo, quod secum convenit, nisi forte haec similitudo alterius aliquod bonum impediat; atqui bonum omne, quod est in creatura, est supremae Dei bonitatis par-

participatio, ac similitudo, nec ista ab illo impeditur: ergo de salute nostra, &c. utpote bona Deus gaudet.

229 Opponunt tamen nonnulli. Deo non convenit desiderium de ullo bono creato: ergo nec gaudium.

Praeterea. Si Deus de bono aliquo creato gauderet, augeretur intrinsece in Deo gaudium, ac proinde Deus mutaretur *ad intra*, quod absurdum est: ergo. Demum si Deus gauderet de bono creato, illo frueretur; atqui Deus ex dictis n. 31 frui nequit bono creato; ergo nec gaudere. Probatur maior; quia gaudere de aliquo bono est illo frui.

Respondent Thomistae ad primum, concesso antecedenti, negando consequentiam; quia desiderium nunquam habet praesens objectum, ac proinde supponit subjectum in motu, ac potentia ad bonum, quod sibi optat; contra gaudium in Deo semper fuit de propria bonitate, prout ad creaturas terminata, quod est gaudere de bono nostro. Hinc ipsi semper praesens fuit bonum nostrum, quin uspiam fuerit ad illud in potentia.

Ad secundum negant sequelam majoris; quia Deus non gaudet de bono creato propter ipsum, sed propter bonitatem suam, unde gaudium de propria bonitate, quin ullatenus in se mutetur, est secundarie gaudium de bonitate creata, quia ad ipsam libere terminatur, tanquam ad participationem propriae bonitatis. Hinc uti amor Dei terminatus ad creaturas nullam mutationem infert in Deo, quia actus, & objectum formale sunt eadem, ita gaudium, ut ad bonum nostrum terminatum, utpote idem cum gaudio, quod habet Deus de se ipso, & specificatum ab eodem objecto formali, nempe divina bonitate, augmentum nullum etiam accidentarium infert Deo.

Ad tertium negant maiorem, ad cuius probationem distinguunt. Gaudere de aliquo bono creato in se ipso, & propter se est eodem frui. Concedunt. In Deo, & propter Deum. Subdistinguunt. Est eodem frui absolute. Negant. In Deo. Transmittunt; quia eo tantum voluntatem frui volunt absolute, quod ipsa propter se diligit, & quo propter se gaudet, non si illud amet, eoque gaudeat in alio, quod propter se diligit, & quo in se gaudet.

Quaeres, an Deo conveniat formaliter odium.

130 Resp. odium juxta D. Thomam p. 2 q. 2 art. 1 est *dissonantia appetitus ad id, quod apprehenditur, ut repugnans, & nocivum.* Duplex autem est; abominationis, & ini-

inimicitiae. Ista vult aliquis malum personae, illa voluntas aliquid odit ac detestatur, quin feratur in personam.

Jamvero Vasques, aliique censent, Deo convenire odium inimicitiae adversus peccatorem, & odium abominationis contra peccatum. Suares, & Molina solum tribuunt odium abominationis, non inimicitiae.

Divus Thomas demum 1 contra Gentes cap. 96, aliique cum ipso, ut Pasqualigus disput. 37 sectione prima, Durandus utrumque a Deo excludunt.

PROPOSITIO

nullum in Deo proprie, & formaliter esse potest odium, ac proinde nec odium inimicitiae proprie talis, nec abominationis eidem tribui potest.

131 Evincitur I tum ex Sap. 11: *Diligis omnia, quae sunt, & nihil odisti eorum, quae fecisti*; tum ex sancto Damasceno *lib.* 1 *fidei orthodoxae cap.* 14 sentiente, odium & inimicitiam Deo convenire tantum metaphorice, tum ex Hieronymo *in caput primum Malachiae* docente, eodem modo Deum odisse, quo dicitur dolere, flere.

132 Evincitur II, & quidem per partes. Deo tribui nequit odium inimicitiae: ergo. Probatur antecedens ex D. Thoma loco laudato. Primo per odium istud vult aliquis alteri malum; atqui Deus velle nequit alteri malum, quia voluntas nequit velle malum, nisi aliquo modo proponatur ut bonum, & hoc per errorem, quod de Deo dici nequit.

Confirmatur, quia ex D. Thoma loco citato inimicitia versatur tantum circa res subsistentes; atqui ens nullum subsistens Deus potest odisse odio inimicitiae; nam si aliquod ens ita odisset, maxime hominem peccatorem, quod tamen est falsum: ergo. Probatur minor; quia si Deus oderit hominem, ut peccatorem, eidem malum volet *ex displicentia in ipso* juxta principia D. Thomae; hoc autem nequit contingere, nisi Deus in homine subsistente sibi displiceat.

2 Ex huiusmodi displicentia eidem malum velle debet.

3 Quod hoc malum velit illi formaliter, ac proinde ut malum; porro non potest Deus in homine subsistente sibi displicere, quia homo subsistens est opus Dei: docet autem sanctus Thomas, uti supra, Deum omnia opera

 ua

ſua diligere; ut artifex propria artefacta: nequit igitur in eo ſibi diſplicere.

Quod autem aiunt nonnulli, poſſe adhuc Deum ſibi diſplicere in homine, uti peccatore, quamvis non ut ſubſiſtente, non obſtat: nam homo, ut eſt peccator, non poteſt dici ſubſiſtens; odium autem ex Angelico eſt rei ſubſiſtentis.

Inſuper adhuc ſtat, eum hominem adhuc amari, ut hominem; ergo odium ipſius, ut peccatoris, erit odium metaphoricum; uti verum odium non eſt illud, quo dum filium pater amat, ſibi diſplicet, eum eſſe pravae indolis, cum huiuſmodi affectus ſit potius amoris, quam odii.

2 Ex hac diſplicentia Deus velle nequit homini malum: nam ex una parte non poteſt illi velle malum, ut homini; cum ſibi in ipſo complaceat, nec etiam ut peccatori, quia malum homini, ut peccatori, eſt malum peccato; quod eſt malum peccato, utpote ipſius contrarium, erit eiuſdem deſtructivum; quod autem eſt peccati deſtructivum, nequit eſſe malum, ſed bonum: ergo malum peccatori, uti tali, erit bonum, non malum: ergo Deus illi, ut peccatori, bonum volet, non malum.

Quod enim ipſum puniat, non probat, eum velle malum homini, etiam ut peccatori, quia poena illa, utpote juſta, eſt verum bonum, & objectum juſtitiae, ac proinde bonum honeſtum a voluntate recta appetibile, ac rationali creaturae conforme: igitur Deus puniens peccatorem, illi malum nullum vult, ſed bonum. Uti bonum ſibi, non malum, vult homo poenitens, dum ex juſtitia imperfecta ſibi poenas imponit in peccati expiationem. Hinc

3 Sequitur, quod Deus malum non vult homini formaliter ut malum. Uti enim, dum ipſi vult aerumnas, ut eiuſdem exerceatur patientia, nemo dixerit, Deum velle malum formaliter ut malum homini; ita, cum Deus punit peccatorem, & vult aliquid ipſi, quod videtur malum, ipſum non vult formaliter ut malum, quia ipſum vult propter bonum illius, ut rationalis, nempe ut peccatum non remaneat inultum, quod ut bonum honeſtum eſt conveniens craturae rationali, ac ſecundum primariam ipſius inclinationem.

133 Evincitur III quoad eamdem partem. Dum Deus videtur malum velle peccatori, vel hic viator eſt, vel damnatus. Si primum; eum punit Deus ad correctionem: ergo

ergo non illi vult malum, ut malum, cum eum velit emendari, quem amat. Si secundum; illi vult poenam sub ratione boni: per ipsam enim vult illum in ordinem reduci, a quo deflexerat; bonum est autem peccatori, ut sit Deo ordinatus, ac subjectus.

134 Evincitur IV, & quidem quoad eam partem, qua abominationis odium a Deo exclusimus; quia Deus ferri nequit in objectum secundarium, nisi medio primario. Porro objectum primarium, & quidem formale est divina bonitas, quae determinare quidem potest ad amorem, non vero ad odium: igitur in malum ut malum Deus ferri nequit odio abominationis.

Responsiones ad objecta.

135 Opponitur I congeries locorum Scripturae, ubi innuitur Deus odio habens peccatores, ut Zachar. 8: *Omnia enim haec sunt, quae odi, dicit Dominus*; Matth. 1: *Jacob dilexi, Esau autem odio habui*; Psal. 5: *Odisti omnes, qui operantur iniquitatem*; Sap. 14: *odio sunt Deo impius, & impietas eius*.

Respondet D. Thomas contra Gentes cap. 96: *Dicitur Deus aliqua odisse similitudinarie, & hoc dupliciter, uno modo ex hoc, quod Deus amando res, volens earum bonum, vult malum non esse, unde malorum odium habere dicitur*. Vult igitur Deus eo, quod amat in homine sanctitatem, privationem impietatis, quae volitio odium vocatur.

136 Opponitur II. Negari nequit in Deo odium inimicitiae adversus peccatorem, si velit illi malum poenae, ut illius malum ex displicentia in ipso, seu ex displicentia personae; ita est: ergo. Probatur minor; quia Deus vult illi poenam, ut poenam: ergo ut malum peccatori.

Insuper homo, ut peccator displicet Deo: ergo poenam illam vult Deus ex displicentia peccatoris.

Demum homo habens odio hominem ex ipsius displicentia, ipsum non odit ut hominem, sed ut eum, a quo injuriam accepit: ergo idem dicendum in re nostra.

Resp. ad 1, concessa maiore, negando minorem, ad cuius primam probationem distinguo antecedens. Vult illi poenam, ut poenam, sed justam. Concedo antecedens. Ut injustam. Nego antecedens, & distinguo consequens. Si sit injusta, & contraria homini, ut rationali. Concedo consequentiam. Si justa, & solum con-

traria ipsius pravae voluntati. Subdistinguo. Est malum peccatoris, seu creaturae ipsius rationalis, malum, inquam, verum. Nego. Malum apparens rationi inordinatae. Concedo consequentiam.

Ad 2 distinguo antecedens. Displicet Deo, quatenus vult Deus in eo privationem peccati. Concedo antecedens. Quatenus indicat positivam displicentiam, quae est species quaedam tristitiae. Nego antecedens & consequentiam. Quia, cum Deus amet hominem, ut hominem, etiamsi illi vellet malum ex ipsius displicentia, prout peccatoris, actus tamen huiusmodi non esset odii, quia ex num. 131 in confirmatione ad odium non sufficit odium hominis, ut peccatoris, ubi ipsius habetur amor tanquam hominis.

Ad 3 nego antecedens. Nec enim in odiis hominum haec praecisio est, cum inimici se totos odio habeant, nec distinguant quod ipsi a Deo boni habent, ab eo, quod videtur in illis esse malum ob injuriam illatam.

137 Opponitur III, & quidem contra secundam partem propositionis, ubi negatur Deo odium abominationis. Odium istud habetur, quando ex amore personae odio habetur ipsius malum; atqui homines Deus diligit, eorumque proinde peccata, utpote ipsorum mala odisse debet: ergo.

Ulterius. Peccatum est contra divinam voluntatem: ergo illud abominatur.

Insuper. Ex propria bonitate Deus determinatur ad omnis boni amorem; atqui ex hoc amore derivatur odium relate ad malum: ergo, etiam admisso, quod actus voluntatis in Deo ab eius bonitate specificentur, negari nequit eiusdem in peccatum abominatio.

Resp. ad 1. Concessa maiore, distinguo minorem. Eorum peccata, ut mala, odisse debet per hoc, quod Deus velit hominibus virtutem, & honestatem. Concedo minorem. Alio affectu, aut tendentia positiva in peccata, ut talia. Nego minorem, & consequentiam. Responsio est D. Thomae aientis loco supra citato: *Deus amando res, volens earum bonum esse, vult* (eodem actu, eademque tendentia) *contrarium bono, scilicet malum non esse, & hoc pacto malorum odium habere dicitur*.

Ad 2, distinguo. Est contra divinam voluntatem, id est Deus non vult peccatum positive. Concedo. Non vult Deus peccatum permissive. Nego antecedens, & consequen-


sequentiam; quia si actu positivo Deus abominaretur peccatum, ferretur Deus in objectum aliquod *ad extra*, quin a proprio objecto formali specificetur, ut superius innuebam.

Ad 3. Concessa maiore, nego minorem. Nam istud odium attingere debet vitaliter aliquod objectum, non Deum; secus Deus odio haberet se ipsum; ergo malum, ac proinde aliquod *ad extra*; atqui id repugnat ex dictis: ergo &c.

Haec erant, quae de Dei voluntate virum Theologum non latere jus, fasque existimavi.



TRACTATUS



TRACTATUS SECUNDUS

CONTINENS PRAELECTIONES THEOLOGICAS

DE PRAEDESTINATIONE, ET REPROBATIONE.

De Praedestinatione, & reprobatione dicturus illud unum in votis habeo, ut rectam Deoque dignam utriusque notionem vobis ingeram. Hanc porro non aliunde tutius, quam ex D. Pauli sententiis, ac D. Augustini testimoniis hauriendam putavi: nec enim in sacris Literis huius argumenti frequentior est mentio, quam in epistolis Paulinis, neque ullum invenies Ecclesiae Patrem, qui in eiusdem tractatione Augustinum adaequaverit. Hic enim, uti in omnibus magnus, ita hac in re longe maximus fuit. Antequam vero ad rem accedam, operae pretium existimavi praecipuas de divina providentia notiones praemittere eo, quod Praedestinatio providentiae supernaturalis actus sit, & quidem praecipuus. Quare materiam universam triplici dissertatione comprehendam. Prima, quae ad providentiam divinam spectant, breviter complectetur; secunda, quae de Sanctorum praedestinatione disputari in Scholis consueverunt, fusius exhibebit; tertia denique circa improborum reprobationem versabitur.

DISSER-

DISSERTATIO I

de divinae providentiae definitione, exsistentia, essentia, & proprietatibus.

Quaeres I, quid sit divina providentia generatim spectata.

1 Resp., providentiam juxta nominis etymologiam idem reddere ac antecedentem rerum futurarum cognitionem, vel procul videntiam; sed ut vides, hoc sensu non satis distinguitur a divina praescientia. Pressius autem considerata ampliorem habet acceptionem, eoque sensu communiter definitur: *ordinatio rerum in suum finem.*

Quaeres II, quaenam sit divinae providentiae definitio.

2 Resp., eam a Boëtio lib. 4 consolationis philosophiae prosa sexta definiri: *Divinam rationem in summo omnium principe constitutam, quae cuncta disponit . . . quae cum, in ipsa divinae intelligentiae puritate conspicitur, providentia nominatur; cum vero ad ea, quae movet, atque disponit, refertur, fatum a veteribus appellatum est; ut sit fatum inhaerens in rebus mobilibus dispositio, per quam providentia suis quaeque nectit ordinibus.* Hinc vides in providentia duo necessario includi, & rerum omnium in divina mente dispositionem, & eius ordinis in tempore exsecutionem. Porro eamdem definitionem brevioribus verbis conclusam sic habe: *Providentia Dei est rerum omnium creatarum ordinatio in proprios fines, ac constans in tempore eiusdem ordinis certa exsecutio.* Quo sensu definitam habes providentiam spectatam tum *ad intra*, tum *ad extra*, idest, prout involvit intrinsecam in Deo rerum directionem, eamque directionem *ad extra* rebus applicatam.

Quaeres III, an revera exsistat Dei providentia.

Ante responsionem illud mihi monendi estis, plures errorum architectos longe a Deo voluisse divinam providentiam: huiusmodi fuerunt primo loco impii homines, de quibus *Job. cap.* 22. II veteres philosophi, qui timentes, ne per eam humana libertas laederetur, providentiam omnem a Deo sustulerunt, cuiusmodi fuere Democritus, Epicurus, Tullius. Item inter Christianos Marcion relatus a Tertulliano *lib.* 2 *contra ipsum*, Bardesanac Syrus, de quo Augustinus *libro de haeresibus* 35, Priscillianus

&c. Porro inter divinae providentiae oppugnatores eos etiam collocandos crediderim, qui fatum quoddam ex syderum influxu constituebant, quo omnia haec inferiora dirigi adfirmabant, nec non eos, quorum erat ineptissimus error sorte quadam, ac casu fortuito omnia, quotquot videmus, ima, summaque contingere; tum demum eos omnes, qui rerum graviorum curam esse numini concedebant, at rerum abjectarum, ac viliorum neutiquam. Jamvero

3 Respondetur I, admittendam esse in Deo providentiam. Probatur Scripturarum testimonio. Sic sapientiae IV habemus: *sua . . . Pater providentia ab initio cuncta gubernat*; cap. 8: *attingit a fine usque ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter*; cap. 12: *non est alius Deus, quam tu, cui cura est de omnibus*; Proverb. 16: *hominis est animam praeparare, & Dei gubernare linguam*; Matth. 6: *Respicite volatilia caeli, quoniam non serunt &c . . . . . & Pater noster caelestis pascit illa*; cap. 7: *Si vos, cum sitis mali, nostis bona dare filiis vestris, quanto magis Pater vester, qui in caelis est?* cap. 10: *Nonne duo passeres asse veneunt, & unus ex illis non cadet super terram sine Patre vestro? vestri autem capilli capitis omnes numerati sunt*; prima Petri 5: *ipsi cura est de vobis*. Alia mitto in re certa.

Suadent hoc etiam infinita Patrum testimonia, quae quidem indicasse sufficiet, quin ea ad paginam implendam referamus. Huiusmodi sunt quae habentur apud Irenaeum *lib. 2 cap. 45*, Tertullianum *lib. 2 adversus Marcionem cap. 24*, Clementem Alexandrinum *lib. 6 Stromatum*, Ambrosium *lib. 1 de officiis cap. 13*, Augustinum *lib. 4 de Genesi ad literam cap. 12*, aliosque passim.

Accedit in huius rei confirmationem, quod providentia est perfectio simpliciter simplex. Hinc in Deo statuenda est, ut probant Theologi *in tractatu de Deo, eiusque attributis*. Tum quia, si Deo negemus providentiam, maxime quia Deus vel nesciret, vel nollet, vel non posset providere. Non primum, quia Deus est omniscius: non secundum, quia *Deus nihil odit eorum, quae fecit*: non denique tertium, quia Deus est omnipotens: ergo admittenda est providentia.

4 Resp. II, nec fatali necessitate, nec casu fortuito contingere, quae passim in rebus creatis mutationes obveniunt. Nam fatum, ut dixi, est dura illa, ac ita dicam

cam, ferrea necessitas in syderum influxu constituta, qua omnia dirigi nonnulli impii, vel, ut mollissime dicam, ineptissimi homines autumarunt; atqui hanc necessitatem, hoc fatum nullum habere in res creatas influxum, probant argumenta quam plurima, quibus veteres Ecclesiae Patres Genethliacos turpiter in hoc errare demonstrarunt: ergo. Minorem probo. Nam, semel dura illa fati necessitate admissa, actum est de humana libertate. Porro ubi ista pessum eat, jam nullus est locus merito, vel demerito, ac proinde suppliciis, ac praemiis, summa erit in vivendo licentia, exsul erit, quae tamen est omnibus inserta, religio; ita Lactantius *de ira Dei cap.* 8, & Augustinus *lib. de utilitate credendi cap.* 16; quin imo, admisso semel fato, non sola tollitur religio, sed etiam ipsa divinitas. Ut enim arguit Eusebius *lib.* 6 *de praeparatione evangelica cap.* 4, si fato tribuatur Evangelii propagatio, invicta Martyrum constantia, & mundi universi ab idolorum cultu ad fidem conversio, quae solius Numinis opus esse possunt, illud consequens erit, quod summum, quod habemus divinitatis argumentum corruet, ac cum ipso illius supremi Numinis exsistentia, a quo religionis huiusmodi propagatio dumtaxat esse potuit. Male itaque caussae suae consuluerunt, qui fatum in rerum omnium directione caussam unam esse voluerunt; inde enim Numinis exsistentiam ab iisdem negari necessum fuit. Hoc porro negato, ait Augustinus *epist.* 246, alias 243, ea omnia e medio tolli necessum est, quibus universum genus humanum regitur, & subsistit.

Quod si aliquando ea, quae a syderum influxu esse derivanda nonnulli astrologi praedixerunt, revera contigisse novimus, id vel alteri caussae naturali omnino tribuendum est, non syderum influxui necessario inferenti quod fuit praedictum, vel, ut docet Augustinus *lib.* 2 *de Genesi ad literam cap.* 17, Daemonum operationi, ac industriae, qui quidem eo loci illud etiam addit vanius nihil esse, quam constellationibus credere, cum in Jacob, & Esau ex eadem matre, & ex eodem concubitu, sub eodem sydere natis, longe adeo diversa fortuna fallacem ostendat esse, ac errori obnoxiam opinionem de syderum influxu res, maxime humanas, necessario dirigente; quod quidem, quamquam non suppeterent alia, omnino falsitatis convincitur celebri illo Jeremiae testimonio cap. 10: *A signis coeli nolite metuere, quae timent gentes.*

5 Quod autem fortuito nihil etiam contingat, facile suadetur ex hoc, quod sortes ipsae, quibus nihil fortuitum magis videtur occurrere, dirigente Deo, extrahantur juxta illud Proverb. 16: *Sortes mittuntur in sinum, sed a Deo temperantur.* Fortuita fuisse videtur Josephi venditio, ut ipsam divina providentia ordinante contigisse probat illud Geneseos 45: *Pro salute vestra misit me Deus ante vos in Ægyptum....., non vestro consilio, sed Dei voluntate huc missus sum*; & cap. 50: *Vos cogitastis de me malum, sed Deus vertit illud in bonum, ut exsaltaret me, sicut in praesentiarum cernitis*. Quis insuper credat, mirabilem hanc mundi structuram sine ullo suarum partium detrimento tamdiu posse conservari, si omnia, quae in ipso contingunt, casu fortuito eveniant? Certe, si res ita esset, omnia in chaos relaberentur, nec ea posset conservari perfecta rerum omnium dispositio, quae tamen tot seculorum serie sarta servata est, ac indemnis.

6 Resp. III, ad viliora quaeque, & abjecta divinam prodentiam etiam extendi. Probatur iis testimoniis, quae Deum probant rebus omnibus providere, ut Sapientiae 6: *Non est alius Deus, quam tu, cui cura est de omnibus*; act. 17: *ipse dat omnibus vitam, inspirationem, & omnia*. Nihil autem capillis vilius est, & tamen istorum curam habet, cum omnes ab ipso sint numerati: *vestri capilli capitis numerati sunt*, ut habemus Matth. 10. Quid quod passerculis providet Deus, jumentis, herbis, floribus, imo peccata ipsa, supposita humani arbitrii ad peccatum determinatione, sub ipso providentiae ordine constitui certum est: nam hac prava voluntate supposita, mala culpae eo dirigit providissimum Numen, tum ut bonum inde eruat, tum ut justitiam suam in peccati vindicta manifestet, quamvis peccatum primario per se nuspiam intendat. Horum omnium non mihi, sed Scripturis, & Patribus fides esto. Sic habemus Matth. 6: *Respicite volatilia caeli, &c.... Pater vester caelestis pascit illa*; psalmo 147: *Dat Deus jumentis escam*; Matth. 6: *Considerate lilia agri quomodo crescunt: si autem foenum agri Deus sic vestit, quanto magis vos modicae fidei?* Geneseos 50: *Vos cogitastis de me malum, sed Deus vertit illud in bonum*; Rom. 9: *Deus volens ostendere iram... sustinuit in multa patientia vasa irae.* Hinc optime Augustinus cap. 11 Enchiridii: *Deus, cum summe bonus sit, nullo modo sineret mali esse aliquid in ope-*

operibus suis, nisi usque adeo esset omnipotens, ut benefaceret & de malo; & lib. 11 de civit. Dei cap. 22: *Quae per inconvenientiam perniciosa quidem sunt, convenienter autem adhibita in salubria medicamenta vertuntur.*

7 Dices: Corinth. 1, 9 habetur: *Numquid de bobus cura est Deo?* Hieronymus in cap. 9 Abacuc, *Absurdum est*, inquit, *ad hoc deducere Dei maiestatem, ut sciat per momenta singula, quot nascantur culices, quotve moriantur*. Insuper. Si Dei providentia omnia haec inferiora dirigit, cur monstra esse permittit, quae sunt a naturae legibus aliena? cur etiam peccata non impedit? Demum a peccatoribus justos passim opprimi videmus, illos divitiis, felicitatibusque affluere, istos contra aerumnis, & afflictionibus obrui: quocirca satius erit providentiam tollere, quae certe, si esset, necessitatem induceret: necessario enim contingere debet, quod Deus providerit.

Respondetur, haec talia non esse, quae nos ad gradum deserendum adigant. Respondet enim ad primum sanctus Bernardus *sermone* 68, Deo parem non esse de bobus, ac de hominibus curam, cum illos in commodum hominis esse velit, hunc in gloriam Dei; *Quocirca*, inquit Hieronymus in cap. 1 Abacuc, *eos sugillans, qui Angelum Custodem rebus singulis tribuebant: non simus tam fatui adulatores Dei, ut in nos ipsos iniuriosi simus, rationabilium, & irrationabilium eamdem providentiam esse dicentes.* Hinc patet responsio ad secundum: vult enim Hieronymus, parem non esse providentiam, qua Deus brutis consulit, & nobis: nam post verba in objectione relata statim subdit, quae mox in responsione ad primum ex eodem recitavimus.

Ad tertium dico, haec a Deo permitti, quia inde maius bonum derivari providum Numen constituit.

Ad quartum respondet Augustinus lib. 1 de civit. Dei cap. 8: *Placuit divinae providentiae praeparare imposterum bona justis, quibus non fruentur injusti, & mala impiis, quibus non excruciabuntur boni. Ista vero temporalia bona utrisque voluit esse communia, ut nec bona cupidius appetantur, quae mali quoque habere cernuntur, nec mala turpiter evitentur, quibus & boni plerumque afficiuntur ... Nam si nunc omne peccatum manifesta plecteretur poena, nihil ultimo judicio servari putaretur*. Rursus. *Si nullum peccatum nunc puniret divinitas, nulla esse divina providentia videretur.* Et in

in psalm. 54 inquit: *Justos a malis opprimi, ut illorum virtus exerceatur, & in Christiana palaestra erudiantur.*

Ad quintum respondet D. Thomas 1 parte quaest. 22 art. 4 ad 1: *Dicendum, quod effectus divinae providentiae non solum est aliquid evenire quocumque modo, sed aliquid evenire vel contingenter, vel necessario; & ideo evenit infallibiliter, & necessario, quod divina providentia disponit evenire infallibiliter, & necessario; & evenit contingenter, & libere, quod divinae providentiae ratio habet, ut contingenter, & libere eveniat.*

Quaeres IV, in quonam actu consistat providentia.

8 Resp., sitam esse ne dum in actu intellectus, sed etiam voluntatis. Probatur prima pars. Providentia objective considerata est ipse ordo, quo res ita disponuntur, ut ordinate se habeant ad eos fines, quos Deus ipsis constituit: ergo providentia formalis, idest ex parte ipsius Dei, erit ipsa ordinatio, prout a rebus abstracta; atqui haec ordinatio intellectus actum necessario infert: ergo ...

Secunda pars constat; quia providentia modum illum ab actu intellectus ordinatum rebus imponit; atqui id infert necessario actum voluntatis, quo res esse determiminantur eo modo, quo ab actu intellectus fuerunt dispositae: ergo &c.

Quaeres V, an Dei providentia finem suum semper adsequatur.

9 Resp. 1, providentiam non semper adsequi finem suum specialem. Nam eadem ratio esse debet de providentia, ac de voluntate Dei; haec autem, si ut antecedens consideretur, non semper finem suum specialem obtinet, ut Theologi omnes demonstrant in tractatu de divina voluntate: id autem adserunt Theologi his innixi Scripturarum testimoniis, Ezechielis 34: *Volui te mundare, & non es mundata*; item Proverb. 1: *Vocavi, & renuistis, & non fuit, qui aspiceret.* Idem igitur dicendum est de divina providentia.

10 Resp. 2, a divina providentia obtineri semper finem eius generalem, qui est divinae gloriae manifestatio. Responsio est D. Augustini lib. de spiritu, & litera cap. 33: *Infideles quidem contra Dei voluntatem faciunt, cum eius Evangelio non credunt, nec ideo tamen eam vincunt experturi in suppliciis eius potestatem, cuius in donis misericordiam contemserunt.* Adde Angelicum Doctorem q. 103 art.

art. 7: *Cum Deus*, inquit, *sit caussa universalis totius entis, impossibile est, quod aliquid contingat praeter ordinationem divinae gubernationis.*

Quaeres VI quotuplex sit providentia.

11 Resp., duplicem eam esse, naturalem nempe, & supernaturalem. Prima est ordinatio caussarum naturalium ad finem ipsum naturalem per media naturalia; altera vero est ordinatio creaturae rationalis ad finem supernaturalem per media supernaturalia. Divisio haec, nisi falsus animi sum, coincidit cum ea, quam adhibet Suarez *lib. 3 de attributis Dei cap.* 10, qui duplicem admitti providentiam, physicam unam, moralem alteram. Primam exercet Deus circa omnia entia creata, & huius actus sunt creatio, conservatio, dispositio, aliaque id genus ad universi regimen spectantia. Moralis est, quae Deo convenit in ordine ad creaturas rationales; haec enim earum mores instituit, & dirigit mediis, praeceptis, consiliis, &c. ad aliquem ipsarum finem specialem, qui est ipsemet Deus ab iisdem possidendus. Verum haec de providentia generatim indicasse sufficiat: quae enim ad providentiam supernaturalem spectant, commodius, aptiusque in sequenti dissertatione referemus.

DISSERTATIO II

de Praedestinatione.

Dissertationem hanc in quinque sectiones distribuam. Prima erit de Praedestinationis nomine, ac definitione; secunda circa ipsius naturam, exsistentiam, ac necessitatem versabitur; tertia varios circa ipsam errores exponet; quarta de ipsius caussis, & effectibus aget; postrema tandem proprietates eius complectetur.

SECTIO

SECTIO I

de Praedestinationis nomine, ac definitione.

QUAESTIO I

de nomine Praedestinationis.

12 Praedestinare juxta vim Latini sermonis idem significat ac rem, antequam fiat, decernere, ordinare, ac definire: quo sensu tum Deo, tum creaturae rationali juxta convenit, ut clare innuit ille Apostoli locus 2 Corinth. 9: *Unusquisque prout destinavit in corde suo.* Verum ab antiquis huius verbi significatio adoptata est ad sola designanda divinae voluntatis decreta, quibus Deus ab aeterno quidpiam *ad extra* vel permittere constituit, vel facere. Hoc autem sensu Praedestinationem indiscriminatim usurpatam reperimus apud Ecclesiasticos Scriptores tam ad electorum ad gloriam destinationem significandam, quam reproborum ad poenam. Ita sanctus Augustinus *in Enchirid. cap.* 100 *lib.* 15 *de civit. Dei cap.* 5, sanctus Prosper, sanctus Isidorus, & concilium Valentinum can. 3, cuius sunt haec verba: *Praedestinationem electorum ad gloriam, & Praedestinationem impiorum ad mortem.*

Quamvis autem Praedestinatio pro divino decreto usurpata finem solum ac terminum, non autem media, solam scilicet gloriam, aut interitum, non vero gratiam, aut permissionem peccati significare posse pluribus probet Maldonatus ex Graecarum vocum etymologiis, utriusque tamen ei significationem tribuunt sancti Fulgentius *lib.* 3 *de verit. praedestinat. cap.* 5, & Augustinus *de praedest. ss. cap.* 10.

Dixi ab antiquis Ecclesiae Patribus ad significanda Dei decreta praedestinationem fuisse adoptatam. Quamvis enim ex Rom. 11 v. 2 *non repulit Deus plebem suam, quam praescivit*; & Matth. 7: *nunquam novi vos*; cap. 25: *Nescio vos*, quamvis, inquam, plurimi inferant, maxime Augunus *lib. de dono perseverantiae cap.* 18, praescientiam, & praedestinationem idem quandoque reddere, attamen, ut vere, & acute notat idem Augustinus *lib. de praedest. ss. cap.* 10, Praedestinatio minus late patet, quam praescientia: haec enim esse potest sine illa, non contra.

Verum

. Verum frequentius longe, ac communius Praedestinationis vocabulum usurpatum videmus apud Scholae Magistros ad significandam justorum ad gloriam destinationem, ubi impiorum ad gehennam ordinationem reprobationem vocare consueverunt. Hoc autem sensu accepta Praedestinatio ab ea omnino secernitur, qua cuiusvis rei a Deo in tempore efficiendae praeordinatio designatur, tum etiam ab ea, quae soli creaturae rationali potest accommodari: prima enim ens quodvis creatum pertingit, secunda solas creaturas rationales, ubi, quae nunc in considerationem vocatur, solis accommodatur electis.

QUAESTIO II

de Praedestinationis definitione.

13 Duplex circumfertur in Scholis definitio Praedestinationis strictori sensu acceptae. Prima sancti Augustini, altera D. Thomae. Prioris haec est: *Praedestinatio est praescientia, & praeparatio beneficiorum Dei, quibus certissime liberantur, quicumque liberantur*; cap. 14 *de dono perseverant.* dicitur *praescientia*: Deus enim novit quae sit ipse facturus, quaeque proinde auxilia creaturae rationali salvandae sit ipse collaturus; eoque sensu dixit Apostolus ad Rom. 8: *Quos praescivit, & praedestinavit.* Dicitur *praeparatio*, seu firmum dandi propositum. Hinc Augustinus *de praedest. ss. cap.* 10 ait: *praedestinatio est gratiae praeparatio, gratia vero est ipsa donatio.* Dicitur *beneficiorum*, nempe supernaturalium. Dicitur, *quibus certissime*, quo sensu excluduntur auxilia, ut vocant sufficientia, per se tantum spectata: plures enim iis dumtaxat adjuti perierunt. Dicitur *liberantur*: an autem a culpa, in qua erant, qui fuerunt praedestinati, an vero ab illa, quam potuissent contrahere; item an a poena, cui jam erant addicti, an ab ea, quam potuissent subire, controvertitur a Scholae Magistris, & nos inferius expendemus. Dicitur demum *quicumque liberantur*, ut constet neminem posse salvari, quem Deus non praedestinaverit, cuius rei uberiorem explicationem dabimus, ubi de Praedestinationis necessitate. Jam vero

Quaeres

Quaeres I, quid praescientiae nomine intelligat Augustinus?

14 Resp. I, hic non designari scientiam simplicis intelligentiae. Nam primo scientia simplicis intelligentiae versatur tantum circa possibilia, sed praescientia, de qua hic Augustinus, eorum est scientia, quae Deus relate ad electos certo facturus est, idest beneficiorum, quibus isti certissime sunt liberandi: ergo .. Secundo scientia simplicis intelligentiae est mere speculativa, sed praescientia, de qua Augustinus, est practica, conjuncta nempe cum voluntate aliquos liberandi, qui idcirco in sacris literis vocantur *praecogniti*, ut Joan. 10: *Cognosco oves meas*; Rom. 8: *Quos praescivit, & praedestinavit*; Rom. 11: *Non repulit Deus plebem suam, quam praescivit*; prima Petri: I *praecogniti quidem ante mundi constitutionem*.

Nec est cur nobis opponant, Augustinum in sua definitione *praescientiam praeparationi* praeponere, nec aliam nisi scientiam simplicis intelligentiae praeparationem antecedere. Nam haec praescientia est conjuncta decreto, & voluntatis proposito de donis conferendis. Hinc idem Augustinus *de dono persever.* cap. 17: *bona sua*, inquit, *in praescientia praeparavit*; atqui scientia simplicis intelligentiae, quae praeparari possunt, cognoscit solum, non autem disponit, ac praeparat, quod solius est scientiae visionis, seu approbationis: manet ergo in allata Augustini definitione Praedestinationis nomine praescientiae scientiam simplicis intelligentiae non designari.

15 Resp. II, multo minus scientiam mediam ab Augustino hic designari. Primo enim, postquam Deus per scientiam mediam ea cognovit, quibus homo est consensurus, vel a quibus est dissensurus, praedestinare adhuc potest, vel non praedestinare: nulla ergo inter ipsam, & Praedestinationem est infallibilis, & necessaria connexio. Atqui scientia, de qua Augustinus, est cum praedestinatione omnino connexa, aiente eodem sancto Doctore *de dono persever.* cap. 17, & 18: *Haec utique dona, quae dantur electis secundum Dei propositum vocatis, si nulla est Praedestinatio, quam defendimus, non praesciuntur a Deo; praesciuntur autem: haec est igitur Praedestinatio*. Stat igitur in definitione Augustiniana nihil plane occurrere, quod scientiae mediae suffragetur.

II Augustinus eodem libro cap. 18 disertissime ait, Deum praedestinare, & hoc praescisse, quod erat ipse facturus; at scientia media a suis adsertoribus non inducitur, ut Deus

Deus praescìat, quid sit ipse facturus, sed quod factura sit voluntas creata hoc, vel illo auxilio adjuta; nec ullus profecto concedet unquam, idem esse aliquem praedestinare, ac ipsum praescire consensurum his auxiliis, si ei conferantur: ergo &c.. Et sane passim videas apud Augustinum praescientiam, & Praedestinationem promiscue usurpari, idemque reddere, ut liquet ex eiusdem verbis loco laudato, *cum apud aliquos verbi Dei tractatores legimus, Dei praescientiam, & agitur de vocatione electorum; nihil prohibet eam praedestinationem intelligere*. Quis porro dixerit, scientiam mediam idem significare, ac denotat praedestinatio? Stat itaque hanc non eam esse scientiam, quam Augustinus appellat.

16 Resp. III, praescientiae nomine ab Augustino intelligi scientiam visionis. Ait enim de praedest. ss. cap. 17: *Electi sunt ante mundi constitutionem ea praedestinatione, in qua Deus facta sua praescivit*; & cap. 17 *de dono perseverantiae* de donis, quae pro tempore tribuuntur electis sic loquitur: *Si & dantur, & ea se daturum esse praescivit, profecto praedestinavit.... in sua, quae falli, mutarique non potest, praescientia, opera sua futura disponere; id omnino, nec aliud quidquam est, quam praedestinare*. Scientia igitur, de qua Augustinus, ea est, qua Deus ea dona praescit, quae collaturus est ut media, quibus & a poena, & a culpa certissime liberantur homines liberandi; atqui Deus, quae facturus est, praescit praescientia absoluta, libera approbationis, & visionis, quae media practice dictat ad finem necessaria; ergo &c.

Quaeres II, an beneficiorum nomine aut gratiam solam, aut solam gloriam, an potius utramque intelligat Augustinus.

17 Respondetur, tum gratiae, tum gloriae dona intelligi ab Augustino. Sanctus enim Doctor ea omnia in Praedestinatione includi vult, quibus homines a peccati, & corruptionis servitute liberantur; atqui a peccato per gratiam, a corruptione per gloriam liberantur, dicente Apostolo ad Rom. 7: *Infelix ego.... quis me liberabit de corpore mortis huius*? & cap. 8: *Sed & creatura liberabitur a servitute corruptionis in libertatem gloriae filiorum Dei*: cui consonat Augustinus lib. 6 contra Julianum cap. 14: *qua gratia liberatus sum a reatu peccatorum.... liberabor, ut spero, in aeternum*: ergo &c.

Huc accedit quod sanctus Doctor per huiusmodi beneficia intelligit omnes effectus a Deo erga electos praestan-

ſtandos; atqui effectus huiuſmodi ſunt tam juſtificatio, quam glorificatio, juxta Apoſtolum Rom. 8: *quos praedeſtinavit, hos . . . juſtificavit . . . & glorificavit.*

Quaeres III, de qua poena loquatur Auguſtinus, dum ait certiſſime liberantur, quicumque liberantur.

18 Reſp., Paſqualigum congregationis noſtrae Theologum, Juennin, alioſque plurimos cenſere Auguſtinum loqui de liberatione a culpa, eiuſque ideo definitionem ſolam hominum a perditionis maſſa ereptorum Praedeſtinationem ſpectare, non Angelos, non Deiparam, qui nulla originis labe notati fuerunt.

Alios autem putare, Auguſtinum loqui de liberatione tum a poena, tum a culpa. A culpa, vel qua erant notati, vel qua notari potuiſſent: a poena, quam incurriſſent, vel potuiſſent incurrere, niſi Deus eos gratiae auxilio liberaviſſet. Cum autem Angeli & Deipara peccabiles, & defectibiles eſſent; hinc duplicem diſtinguunt liberationem, ſanantem unam, alteram praeſervantem. Primam pro hominibus in Ada lapſis eſſe volunt, ſecundam pro Deipara, & Angelis; unde inferunt, quod, quemadmodum quivis praedeſtinatus, prout eſt ad gloriam electus, a poena dicitur liberatus; quamvis ei nuſpiam poſſit dici addictus, ſi nunquam peccaverit: quia ſufficit, ut peccando eam incurrere potuerit; ita cùm Angeli, & Deipara peccare potuiſſent, merito a culpa dicuntur per Praedeſtinationem liberati. Ergo concludunt ipſi, admittenda Auguſtini definitio non ad explicandam ſolius humani generis in Ada lapſi, ſed univerſam omnium electorum Praedeſtinationem.

19 Quia vero num. 13 aliam Praedeſtinationis definitionem indicavi a D. Thoma traditam, e re noſtra eſſe arbitror eam hic ſubjicere, paucisque explicare. Sic autem ab Angelico definitur: *Praedeſtinatio eſt tranſmiſſio, ſeu ratio tranſmiſſionis creaturae rationalis in finem vitae aeternae in mente divina exſiſtens.* Sola indiget terminorum explicatione haec definitio, ut eiuſdem veritas pateat. Frequens eſt hac in re D Thomae exemplum a ſagitta deſumtum. Haec, ait ipſe, ubi ad ſcopum dirigitur, eo dicitur tranſmitti; ita, quando creatura rationalis a Deo deſtinatur ad gloriam, ad hanc optime dicitur tranſmitti; ſed quia haec tranſmiſſio quid innuere videtur divinae operationis *ad extra*, Praedeſtinatio autem, tota quanta eſt, in Deo eſt, idcirco libuit Angelico eamdem vocare *rationem tranſmiſ-*

ſionis

sionis, non vero transmissionem Jamvero quemadmodum generalis Dei providentia, qua res omnes disponit, est ratio quaedam non speculativa, sed practica exsistens in mente Dei; ita Praedestinatio, quae est providentia supernaturalis, & specialis Dei erga aliquos, erit ratio quaedam divinae mentis non speculativa, sed practica media, aliaque omnia ad huiusmodi finem disponens, quibus praedestinatus transmittatur ad gloriam.

Sunt porro, qui ordinem hunc ab huiusmodi providentiae ratione servari velint. Deus primo ex speciali dilectione eligit, quem vult ad gloriam transmittere. Secundo certum determinat eiusdem gloriae gradum, ad quem vult illum transmitti. Tertio seriem omnem mediorum disponit, & ordinat, quibus rationalis creatura ad eum gloriae gradum transmittatur.

Ex his omnibus aliqui Scholae magistri deducunt Praedestinationem scholastice sic definiri posse: *Praedestinatio est praeparatio, & ordinatio divinae mentis omnium auxiliorum, quibus creatura rationalis certissime transmittenda est in vitam aeternam*; seu brevius: *Efficax, & certa ordinatio creaturae rationalis per certam mediorum seriem ad gloriam aeternam.* Ea nunc a vobis eligatur, cui sitis magis accommodi.



SECTIO II

de Praedestinationis natura, exsistentia, & necessitate.

QUAESTIO I

de natura Praedestinationis.

ARTICULUS PRIMUS

quinam actus ad Praedestinationem requirantur.

PROPOSITIO I

ad Praedestinationem requiritur primo ex parte voluntatis divinae electio praedestinati ad gloriam, eiusque dilectio. Secundo mediorum electio, quibus gloriam certo consequatur electus. Tertio ex parte intellectus requiritur nedum scientia de subiecto, fine, & mediis, quae simul in Praedestinationis oeconomia concurrunt, sed etiam judicium tam de fine Praedestinationis ut futuro, quam de mediis, quae ab eodem practice proponuntur, ut proportionata ad finem, idest ad gloriam obtinendam.

20 Evincitur prima pars. D. Th. q. 6 *de verit.* art. 1 in corpore ait: *Finis, in quem praedestinatio ordinat, non est universaliter consideratus; sed secundum comparationem eius ad illum, qui finem illum consequitur, quem oportet esse distinctum apud dirigentem ab his, qui finem illum non consequuntur; & ideo Praedestinatio praesupponit dilectionem, per quam Deus vult salutem alicuius . . . praeexigitur ergo electio, per quam ille, qui in finem infallibiliter dirigitur, ab aliis separetur, qui non hoc modo in finem diriguntur, & ideo Praedestinatio praesupponit electionem, & dilectionem.* Et sane dum Deus aliquem praedestinat ad aeternae vitae finem eum ordinando, illi vult summum bonum; velle autem alicui bonum est ipsum amare: ergo &c. Hic autem amor est amor *dilectionis*, idest amor distinguens: cum enim bonum, quod Deus vult praedestinato, non sit commune, sed singulare infallibiliter a praedestinato obtinendum, amor, quo Deus vult alicui huiusmodi bonum, debet esse discernens,

nens, seu distinguens ipsum ab aliis, qui ad talem finem non ordinantur; atqui amor huiusmodi amor est *dilectionis*: ergo &c.

Hinc patet, cur etiam requiratur electio. Cum enim qui ordinatur ad finem vitae aeternae, nedum prae aliis diligatur, verum etiam, ceteris omissis, ipse in vas electionis seligatur, inde consequens est, ut electio, & dilectio, qui actus ad voluntatem spectant, ad Praedestinationem requirantur: ergo &c.

21 Evincitur secunda pars, quia, ubi aliquis ex speciali dilectione ad gloriam electus est, debet ad hanc obtinendam habere media proportionata; haec autem cum varia sint, aliqua certe a Deo eligi debent, quibus praedestinatus infallibiliter aeternam gloriam consequatur.

22 Evincitur tertia pars. Nihil enim velle potest Deus, quod non praecognoscat. Si ergo vult alicui subjecto gloriam aeternam certis mediis ab ipso obtinendam, cognoscere debet huiusmodi finem, subjectum, cui vult finem, nec non media, quibus huiusmodi finis adsecutionem alligavit.

23 Evincitur quarta pars. Siquidem si intellectus divinus proponere practice debet, quod mox ostendam, divinae voluntati media, cum aeternae vitae adsecutione infallibiliter connexa, debet hanc judicare, ut infallibiliter futuram: huiusmodi ergo judicium ad Praedestinationem requiritur.

24 Evincitur quinta pars Apostoli testimonio Ephes. 10: *Qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suae.* Quae igitur operatur Deus, consilio, seu judicio mentis seligentis & proponentis media operatur, quod quidem consilium cave, ne humano simile credas. Nostrum enim quaedam est inquisitio, qua plura media inter sese conferuntur; ubi divinum consilium est judicium firmum, ac practicum, media cum fine certissime connexa proponens.

in quonam ex recensitis actibus statuenda sit Praedestinationis essentia.

PROPOSITIO

Praedestinatio probabilius statuenda videtur ex aeque in actibus intellectus & voluntatis.

25 Nam praescire, & disponere media, & dirigere sunt actus intellectus, ea autem adprobare, & eligere, voluntatis: ergo ubi haec praescientia, haec dispositio, haec directio, haec electio, haec adprobatio concurrunt, intellectus, & voluntatis actus concurrunt; atqui auctore Augustino de dono perseverantiae cap. 17: *In sua, quae falli, mutarique non potest praescientia, opera sua futura disponere, idem omnino, nec aliud quidpiam est, nisi praedestinare*: ergo &c.

Et sane, quod media praesciat Deus, quibus potest homo salvari, hoc certe non reddit hominem praedestinatum. Quod pariter Deus media disponat, ac voluntati proponat, neque etiam hoc est Praedestinatio. Media enim, quibus homo debet salvari, ita debent ordinari, ut ordinentur per modum electionis, qua aliquibus praeparantur, aliis seclusis; atqui electio haec praeparationi laudatae omnino jungenda actus est voluntatis: ergo &c.

Quod quidem diserte etiam innuunt scripturae. Sic habemus Rom. 8: *Quos praescivit, & praedestinavit*; Ephes. 1: *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem*; pariter Rom. 8: *Qui secundum propositum vocati sunt sancti*. Scripturae igitur & praescientiam includunt in Praedestinatione, & electionem, seu propositum.

Denique Augustinus passim utrumque pariter actum innuit aiens lib. de praedest. ss.: *Praedestinatione Deus praescivit, quae fuerat ipse facturus*; & de dono perseverantiae cap. 22: *Ita se habet definita sententia voluntatis Dei*. Alia omitto, quae hic adducere longioris esset instituti.

QUAESTIO II

de necessitate, & exsistentia Praedestinationis.

ARTICULUS PRIMUS,

utrum sit in Deo admittenda Praedestinatio.

PROPOSITIO

admittenda est in Deo Praedestinatio.

26 Propositio ad fidem pertinens evincitur I Scripturae testimoniis clarissimis, ut Matth. 25: *Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi*; Lucae 12: *Nolite timere pusillus grex, quia complacuit patri nostro dare vobis regnum*; Rom. 8: *Quos praedestinavit, hos & vocavit*; Ephes. 10: *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti . . . . praedestinavit nos secundum propositum voluntatis suae.*

Hinc Augustinus de dono persever. cap. 19 *Hoc*, inquit, *scio, neminem contra istam praedestinationem, quam secundum scripturas sanctas definimus, nisi errando disputare potuisse*; quod passim etiam docent celebres Augustini discipuli sancti Prosper, & Fulgentius, primus quidem responsione prima ad objectiones Gallorum, ubi ait: *Praedestinationem Dei nullus Catholicus negat*, alter lib. de fide ad Petrum cap. 35 sic loquens: *Nullatenus dubites, omnes, quos vasa misericordiae gratuita bonitate Deus facit, ante constitutionem mundi in adoptionem filiorum Dei praedestinatos a Deo.*

27 Evincitur II, quia, ut auctor est D. Thomas hic q. 23 art. 10 in corp. *ad illud, ad quod non potest aliquid virtute suae naturae pervenire, oportet quod ab alio transmittatur, sicut sagitta a sagittante mittitur ad signum; unde proprie loquendo rationalis creatura, quae est capax vitae aeternae, perducitur in ipsam quasi a Deo transmissa.* Qui igitur salvantur, utpote ad gloriam sibi comparandam propriis viribus impares, a Deo ad eam transmittuntur.

Aliunde cum Deus nihil in tempore moliatur, ac praestet, quod ab aeterno non decreverit, praesciverit, atque singulari providentia non disposuerit, clara consecutione deducitur, quotquot in tempore salvantur, electos a Deo fuisse ab aeterno, atque ad caelestem gloriam praedestinatos.

Evin-

Evincitur III. Nihil in hoc rerum omnium ordine contingit, cuius in divina providentia consilium, ac decretum non exstiterit ab aeterno; atqui Praedestinatio providentiae divinae est potissima pars: nemo igitur salutem aeternam comparabit in tempore, cuius salus ab aeterno non fuerit praeordinata, & decreta: secus enim qui consequuntur salutem, beneficium obtinerent, Deo non decernente, ac proinde vel praeter, vel contra Dei voluntatem, quod est absurdissimum.

Responsiones ad objecta.

29 Opponi solent falsa illa ratiocinia, quae divinae providentiae, atque animae immortalitatis osores passim occentant, emeriti quidem, ut his verbis indigitentur Sap. 2: *Nescierunt Sacramenta Dei, neque mercedem speraverunt, nec judicaverunt honorem animarum sanctarum.* Aiunt autem isti primo. Semel praedestinatus necessario salvari debet; si quae igitur sit in Deo Praedestinatio, fatalis libertati necessitas in creaturas inducitur. II Praedestinatione admissa, vel socordes evadent homines, vel praesumtuosi: quivis enim hoc sibi efformabit dilemma. Vel sum praedestinatus, vel non; si primum, quidquid egerim, salutem adipiscar aeternam; si secundum, nunquam obtinebo: ergo si primum, mores, quantumvis pessimi, nihil oberunt; si secundum, inutilis erit omnis ad virtutem conatus. Postremo Deus injustitiae erit culpandus, qui hunc potius, quam illum elegerit.

Resp. ad primum, in tractatu de gratia Christi explicari; quomodo media licet efficacia, quae a Deo ad salutem praedestinato tribuuntur, libertatem non laedant: licet igitur salus illis infallibiliter debeat contingere, quos Deus praedestinaverit; id tamen illaesa eorumdem praestatur libertate.

Ad secundum quod spectat, dico, ita Deum aliquos ad gloriam praedestinare, ut tamen velit eos bonis operibus ipsam sibi ut mercedem promereri. Hinc monet D. Petrus epist. 2 cap. 1: *Satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem, & electionem faciatis.* Aliunde, cum nemo sit reprobus (positive), nisi quia malus, a quolibet vitandum est peccatum, unde sua oriri posset reprobatio.

Ad

Ad tertium. Fatemur Praedestinationem mysterium esse, & quidem obscurum; ast non ideo traducendus est Deus tamquam violatae justitiae reus; eo quod ignota nobis sit ratio, cur Deus hunc elegerit, illo relicto. Hinc consulto Augustinus hanc nobis regulam tradidit ut nostris hac in re ratiociniis modum imponamus. En sancti Doctoris verba lib. de spiritu, & litera cap. 34: *Si ad illam profunditatem scrutandam quisquam nos coarctet, cur illi ita suadetur, ut persuadeatur, illi autem non ita; duo solum occurrunt, quae respondere mihi placeat. O altitudo divitiarum, & numquid iniquitas apud Deum? Cui responsio ista displicet, quaerat doctiores, sed caveat ne inveniat praesumtiores.*

ARTICULUS SECUNDUS

sitne ad salutem necessaria Praedestinatio.

PROPOSITIO

ita ad salutem necessaria est Praedestinatio, ut sine ea nemo salvari possit.

30 Evincitur I pluribus Scripturae testimoniis. Sic habemus Matth. 25: *Statuit quidem oves a dextris, haedos autem a sinistris. Tunc dicet Rex iis, qui a dextris eius erunt, Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi.* Jam vero verba ista *Venite benedicti* ad eos omnes dirigi perspicuum est, qui debent salvari; atqui omnes in aeternum salvandi sunt praedestinati, cum ipsis paratum sit regnum a constitutione mundi, haec autem praeparatio sit ipsa Praedestinatio, ut liquido probant verba illa Apostoli Rom. 9: *Ut ostenderet divitias gloriae suae in vasa misericordiae, quae praeparavit in gloriam*; illi igitur dumtaxat salutem consequuntur, qui sunt praedestinati. Quod quidem disertius evincunt alia eiusdem Apostoli verba loco laudato; *Quod si Deus volens ostendere iram, & notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia vasa irae apta in interitum, ut ostenderet divitias gloriae suae in vasa misericordiae, quae praeparavit in gloriam, quos & vocavit nos non solum ex Judaeis, sed etiam ex Gentibus.* Ex his sic arguitur.

Comparantur hic ab Apostolo vasa irae, nempe reprobi cum vasis misericordiae, idest salvandis; illa vocantur indiscri-

discriminatim *apta in interitum*, ista sine ulla distinctione *praeparata in gloriam*: ergo, quemadmodum eadem est reprobatio, quae omnia vasa irae contingit; ita pariter aequo modo dicenda sunt praedestinata vasa misericordiae, idest cuiusvis generis homines, qui salvantur.

Illud etiam hic non omiserim, quod ait idem Apostolus Rom. 8: *Quos praescivit, & praedestinavit conformes fieri imaginis filii sui... quos autem praedestinavit, hos & vocavit: quos vocavit, hos & justificavit: quos autem justificavit, illos & glorificavit.* Igitur quoquot salvandi sunt, ii erunt conformes imaginis filii Dei. Quoquot autem illi erunt conformes, ii omnes ex aequo, nulla exceptione, vocantur praedestinati: ergo &c.

31 Evincitur II ex D. Augustino, qui in solam Praedestinationem refundit, quod aliqui a peccato resurgant, alii neutiquam. Sic enim disserit contra Julianum: *ait Apostolus: Bonitas Dei ad poenitentiam te adducit, verum esse constat, sed quem praedestinavit, adduxit ... novit Deus qui sunt eius, & omnia cooperantur in bonum, sed his, qui secundum propositum vocati sunt: non enim omnes, qui vocati sunt, secundum propositum sunt vocati. . . . Qui ergo electi, hi secundum propositum vocati. Ex isto numero electorum, & praedestinatorum, etiam qui pessimam duxerunt vitam per Dei benignitatem adducuntur ad poenitentiam*: atqui haec non Praedestinationem aliquam quidem pro viris egregie sanctis indigitant, sed parem pro omnibus modum Praedestinationis: ergo etiam ex Augustino probatur & neminem, nisi praedestinatum salvari, & unum pro omnibus esse modum Praedestinationis. Similia exstant apud D. Fulgentium *de fide ad Petrum cap.* 35.

Responsiones ad objecta.

32 Opponitur I. *Matth.* 20 simile esse dicitur regnum caelorum patrifamilias, qui operarios suos in vineam missos, alios quidem summo mane, alios hora tertia, alios nona, alios denique undecima, omnes tamen eadem vult mercede donari; quod cum inique ferrent primi, eisdem paterfamilias respondit: *Non facio tibi iniuriam. Nonne ex denario convenisti mecum? ... Annon licet mihi quod volo facere? ... Sic erunt novissimi primi, & primi novissimi: multi enim sunt vocati, pauci vero electi*. Unde sic licet pro Ambrosio Catharino insigni concilii Tridentini e Domi-

minicana familia Theologo arguere. Qui primi advenerunt, hi appellantur vocati, qui vero novissimi, electi nuncupantur: ergo aeque salvantur vocati, & electi, sed hi praedestinati sunt, illi vero non item: ergo etiam non praedestinati salvantur, aeque ac praedestinati, cum omnibus mercedem tribuerit Domini procurator incipiens quidem a novissimis.

Resp., ex illo textu nihil colligi posse, quod adversae sententiae suffragetur: illa enim extrema verba *multi sunt vocati &c.* a Christo non adducuntur tamquam ratio & caussa eorum, quae in eadem parabola dixerat, in qua perspicuum est, fuisse omnes electos, sed sunt appendix sententiae praeiactae cap. 19 v. ult. *Multi autem erunt primi novissimi, & novissimi primi.* Sensus igitur est, multos ad fidem Christi, & perfectionem esse vocatos; paucos autem ad easdem electos, paucos consequenter ad gloriam. Quocirca nihil mirum, ut ii, quos in vocatione primos homines arbitrantur, evadant novissimi, & *vice versa*, cum ea supernaturalis electio peculiare sit donum Dei, qua, nedum quis vocetur, ut pluribus contingit, verum ex Apostoli phrasi juxta propositum, atque consilium vocetur: hoc enim modo vocati sunt praedestinati, justificati &c.

Et sane rursus *Matth.* 22 habemus, hominem non habentem vestem nuptialem, manibus, pedibusque ligatis, in exteriores tenebras fuisse pulsum, idque figurare judicium finale, quando quotquot vocati fuerunt, sed non electi, detrudentur ad inferos, ut ea verba indicant, quae citata sequuntur: *Multi enim sunt vocati, pauci vero electi.* Stat igitur, alios non esse ad gloriam admittendos, quam qui fuerint electi; quippe Matth. 13 legimus: *Elegerunt bonos in vasa; malos autem foras miserunt: sic erit in consummatione seculi. Exibunt Angeli, & separabunt malos de de medio justorum*; & cap. 24 reperimus: *Nisi breviati fuissent dies illi, non fieret salva omnis caro, sed propter electos breviabuntur ... surgent Pseudoprophetae .... ita ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi ... mittet Angelos suos, & congregabunt electos eius.* Patet porro vocem hanc, ubi de salutis negotio agitur, non id reddere, quod vult adversarius, e bonorum scilicet numero fieri, quo sensu sumitur, quoties aliquis ad dignitatem dicitur electus, sed talem significare aliquorum electionem, quae aliorum reprobationem involvat: ergo &c.

SECTIO

de erroribus, quos passim invexerunt haeretici, aliique a communi Ecclesiae sensu discordes.

Quia in Praedestinationis negotio explicando nemo ultra fines jaculum expedivit magis, quam Pelagius, eorum idcirco methodus prae ceteris mihi probatur, qui omnes divinae Praedestinationis impugnatores in tres omnino classes distribuunt. Prima eorum est, qui Pelagianis erroribus praeluserunt; secunda eorum, qui Pelagianam haeresim propagarunt; tertia demum illorum, qui illam sunt subsecuti.

33 Inter Pelagianae haeresis prodromos communi scriptorum consensu primo loco referuntur Anonymi quidam ab Apostolo *in epist. ad Rom.* relati, quorum aliqui e Judaismo, alii e Gentilium erroribus ad Christi fidem recens conversi electionem suam bonis suis operibus naturalibus, vel moralibus tribuendam senserunt, quorum tamen audaciam fregit idem Paulus in laudata epistola cap. 13, ubi ait: *Si ergo & in hoc tempore reliquiae secundum electionem gratiae salvae factae sunt, si autem gratia jam non ex operibus, alioquin gratia non est gratia.*

34 Ponuntur secundo Manichaei, & Priscillianistae ab eorum antesignanis Maneto, & Priscilliano sic nuncupati, quorum meminit Augustinus *lib. de haeresibus cap.* 46, & 70. Hi autem eius erant insaniae, ut non tam naturales eventus, quam humanos & liberos, ipsam imo Praedestinationem, & reprobationem a syderum influxu pendere arbitrarentur, prout malum sydus, vel bonum in suo ortu cuique contigerat, quos plane ad necem usque jugulat celebre illud Apostoli Rom. : *Rebecca ex uno concubitu habens Isaac patris nostri; cum nondum nati essent, aut aliquid boni egissent, aut mali (ut secundum electionem propositum Dei maneret) non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei, quia maior serviet minori, sicut scriptum est* (Malach. 10) *Jacob dilexi, Esau autem odio habui.* In quae verba sic Augustinus *lib.* 10 *ad Simplicianum quaest.* 2 ait *ex uno concubitu*, ut nec Astrologis daret locum, vel eis potius, quos Genethliacos appellaverunt, qui de natalibus nascentium mores, & eventa conjectant . . . facile animadvertunt, si volunt, responsa illa, quae miseris vendiant, nullius artis expositione, sed fortuita suspicione praefari.

35

35 Ponitur tertio loco Origenes, qui in periarchon juxta Platonicae philosophiae principia passim docet, animas hominum ante mundum conditum fuisse creatas; eoque in statu alias bene, male alias egisse, unde in humana postmodum corpora intrusa pro bonis, vel malis actibus in ea priori vita elicitis, hominibus, quorum deinde formae fuerunt, vitam, vel interitum, Praedestinationem nimirum, vel reprobationem promeruerunt. Mitto quae in eam sententiam scripta sunt a Cyrillo Alexandrino *lib.* 1 in Joannem, a Hieronymo *in epist. ad Pammachium*, *ab* Augustino *de civitate Dei lib.* 14 *cap.* 23, a quarto demum Lateranensi concilio, a quo in commentum eiusmodi anathema dictum est. Haec, & alia plura praetereo: nam ad suffodiendum ab imo hunc errorem, sufficiunt haec Apostoli verba, *cum nondum nati essent* &c.

36 Sequitur quarto notissimus ille hac in re architectus Pelagius cum gregalibus suis. Hic, referentibus Hieronymo in praefatione libri secundi, & quarti in Jeremiam, & Augustino in libris contra Pelagianos, cum omnem ad opera salutaria gratiae necessitatem negaret, & vires naturales cuique vellet sufficere ad vitam pie sancteque exigendam; solam voluntatem creatam nulla Dei gratia adjutam, sed solis instructam naturae viribus in caussa esse docebat, cur aliqui hoc modo bene, vel male acturi a Deo praevisi ad vitam, vel interitum essent ab ipso destinati, contra quos facit illud Joan. 15: *Manete in me, & ego in vobis. Sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso, nisi manserit in vite; sic nec vos, nisi in me manseritis . . ., sine me nihil potestis facere.* Tum etiam hoc aliud, quod si per naturam, & liberum arbitrium justitia comparatur, gratis Christus Dominus mortuus est, cum, ipso aiente, *non sit opus medico valentibus sed male habentibus.* Unde Dominicae Incarnationis, passionisque Mysterium omnino evacuatur. Sed de his fusius alibi.

37 Porro inter haeresis Pelagianae fautores praecipuos apud Augustinum passim, aliosque legimus Caelestium, & Julianum, quos tamen idem Augustinus ita convicit, & attrivit, ut tanto impugnatore Pelagiana haeresis confossa ex integro fuerit.

38 Verum cum in Augustini libris nonnulla in malum ab aliquibus sensum fuissent intellecta, Semipelagianorum haeresi praebuerunt originem, qui Pelagii dogma emollientes

lientes, quamvis bonorum operum initium a naturae viribus derivandum esse censerent; eorum tamen complementum, & consummationem divinae gratiae referebant accepta. Quocirca inferebant, non aliam tandem esse Praedestinationis caussam, quam huiusmodi pietatis initia viribus naturalibus elicita, quibus homines praevidebantur ad gratiae, gloriaeque dona se se praeparantes. Quem in gregem ii etiam includendi sunt, qui, licet ceterorum bonorum operum initia divinae tribuerent gratiae; fidem tamen ipsam viribus adscribebant arbitrii, fidem, inquam, non consummatam, sed inchoatam quam quidem primum esse volebant affectum, volutemve credendi. Hinc eos ab aeterno adfirmabant esse praedestinatos, quos Deus praeviderat se se huiusmodi credulitatis affectu ad gratiam, & gloriam praeparantes. Verum cum parvulorum urgerentur exemplo, qui licet nec in bonam, nec in malam partem credendo, aut non credendo se se possent inflectere, alii tamen praedestinati sunt, alii reprobati, ad ea confugiebant opera conditionate futura, quae a Deo erant praevisa ab iisdem elicienda, si adultam contigissent aetatem.

39 Errorem hunc fuse commemorant, & explodunt s. Hilarius *epist. ad Augustinum*, s. Prosper *epist. ad eumdem*, nec non sanctus Augustinus *lib. de praedestinatione* ss. cap. 2. Primum autem aliorum Semipelagianorum commentum de cuiusvis operis salutaris initio viribus naturae tribuendo refert, & elidit s. Doctor ibidem, nec non s. Prosper adversus collatorem, idest collationes Cassiani cap. 5. Utrumque tamen errorem penitus ex aequo convellunt vulgata Scripturae testimonia Rom. 9: *Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei*; 1 Cor. 4: *Quis te discernit? Quid habes, quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* Joan. 15: *Sine me nihil potestis facere*; ad Philip. 1: *Vobis donatum est pro Christo non solum ut credatis in eum, verum etiam ut patiamini pro eo*; in quae verba praeclare Augustinus *lib. de praedest. ss. cap. 2.*

Praeter memoratos Catholicae veritatis osores de Praedestinationis negotio recensendi fuissent & Praedestinatiani, quorum error praecipuus hic erat, Deum videlicet ab aeterno aliquos ad gloriam alios ad gehennam praedestinasse. Alia errorum capita sequens digressio exhibebit. Cum vero non constet, an haeresis huiusmodi unquam, aut quo tem-

tempore in Ecclesia grassata fuerit, idcirco extra laudatas haereticorum classes visum est opportunum peculiarem Praedestinatianis locum tribuere. Quare sit

Digressio historico critica de haeresi Praedestinatiana.

De controversia, utrum exstiterint, necne Praedestinatiani sine ullo partium studio verba facturus, quae pro utraque parte afferri consueverunt, exceptiones, atque responsa, quae hinc inde mos est in medium adducere, Historici potius, quam Theologi personam induens breviter exponere aggredior.

Momenta sententiae affirmantis proferuntur.

40 Qui sectam hanc olim exstitisse contendunt, his putant ratiociniis, & auctoritatibus rem posse omnino conficere. Ait Apostolus ad Rom. 1 c: *Dicis itaque mihi, voluntati eius quis resistit?* Tum infert Boucat. Jam erant, qui ex doctrina de gratia, & Praedestinatione, quam praedicabat Apostolus, ex utriusque scilicet efficacia, de libertate nostra esse conclamatum censerent; atqui hic unus erat ex Praedestinatianorum erroribus: jam ergo Apostoli aetate Praedestinatiani exstitisse videntur.

Hos tertio rursus seculo celebres fuisse insinuare aiunt Origenem Periarchon lib. 7 cap. 8, ubi haec leguntur: *Si ad communem referatur intelligentiam hoc quod dicit* (Apostolus) *quos praescivit, hos & praedestinavit, ingentem fenestram patefaciemus iis, qui negant esse in hominis potestate, ut salvus fiat.* Erant ergo qui Origenis temporibus libertatem adimerent ad salutem obtinendam.

Item proferunt Augustinum, qui epistola ad Valentinum Adrumetini Monasterii Praesulem ita scribit: *Retulerunt* (Felix & Cresconius) *monasterium vestrum nonnulla dissensione turbatum, eo quod quidam in vobis sic gratiam praedicent, ut negent hominis esse liberum arbitrium.* Nec Adrumeti solum, sed & Massiliae, inquiunt, 5 seculo Praedestinatiani fuere: quippe s. Augustini discipuli Hilarius, & Prosper in suis ad eumdem epistolis referunt *Massiliae multos esse affirmantes, divina constitutione virtutes removeri, tolli libertatem, & sub nomine Praedestinationis fatalem necessitatem induci.* Imo pergunt. Huiusmodi luem remotis illis temporibus longe lateque fuisse diffusam citra dubium

sua-

suadent Fulgentius, & Evodius Ticinensis Episcopus; ille quidem *lib. 2 de verit. praedest.*, *& gratiae cap.* 2 asserit, *plures in quaestione gratiae, & libertatis non tenere discretionem, sed ita unum asserere, ut alterum satagant auferre.* Iste autem *lib. 2 epist.* 19 ad Constantium eos tacito nomine refellit, qui non aliam dicebant potestatem homini inesse, nisi eligendi malum. Hi porro aeque ac illi, qui libertatem satagebant auferre, Praedestinatiani profecto erant; haec igitur haeresis jam aevo illo grassabatur. Idem etiam adstruunt Fausti libri, in quibus frequentissime reperias, *qui gratiam praedicent, & adimant libertatem.* His adde quod Arelatensis, & Lugdunensis synodi diris voverunt homines libertatis oppugnatores, & suis literis Lucidum quemdam Presbyterum, qui se Praedestinatianis adhaesisse confessus est, palinodiam recinere compulerunt. Praeterea proferunt chronica Sygeberti, & Prosperi Tyronis, laudantque Arnobium juniorem, & Gennadium quinti seculi scriptores non contemnendos. Ex Photii Bibliotheca cod. 54 verba ista commemorant: *Post Augustini mortem coeperunt quidam in clero impium illud dogma asserere, male etiam loqui de Augustino, atque adeo conviciis lacessere, tamquam libertatem arbitrii tollendam docuisset.* Item ex auctore, qui dicitur *praedestinatus*, haec alia adducunt: *Tandem aliquando ad manus nostras pervenit liber, qui Augustini mentitur titulo, cum se haereticum ostendat in textu*: ergo, concludunt, fuere Praedestinatiani. Maximos autem hanc haeresim rumores nono seculo excitasse, ex eo evinci putant, quod Hincmarus Rhemensis antistes de literis optime meritus *lib. de Praedestinatione* totus omnino sit in praefata haeresi impugnanda. Credibilene vero est, tantum virum industriam omnem collocasse, ut aërem verberaret? Num etiam verisimile est, Carisiacam synodum caeco impetu ductam anno 849 quatuor illa in Gothescalum edidisse anathematis capitula, in quibus, ut phrasi Laurentii Berti utar, *sunt procul dubio Praedestinatianorum dogmata fulgurita*? Addunt Arausicanum secundum can. 25 hunc in modum decernere: *Aliquos vero ad malum divina potestate praedestinatos esse, si qui sunt, qui credere velint, cum detestatione anathema illis dicimus.* Afferunt denique concilium Moguntinum, quod idem fere praestitit, ac synodus Carisiaca, ex quibus omnibus jure arbitrantur se colligere posse nono praesertim seculo Praedestinatianos caput extulisse.

Ex-

Exceptiones, atque responsa ad haec argumenta.

41 Propositis hucusque rationibus ita respondent, qui Praedestinatianos exstitisse negant, ut Apostoli verba *Dicis itaque mihi &c.* id evincant, in cuius gratiam allata sunt. Quare omnino est demonstrandum, nec ea mente ab auctore fuisse prolata, ut Philosophos illos respiceret, qui divinam tuituri praescientiam, *Deum faciebant sacrilegum*, nec eo consilio, ut objectionem praeoccuparet ex efficacia gratiae contra humani libertatem arbitrii facile repetendam; atqui neutrum argumento probabili potest excludi: allata igitur Pauli verba adversariorum sententiae nequaquam favent. Eidem faverent verba Origenis ex Periarcho decerpta, si evidenter indigitarent, Christianos aevo illo exstitisse, qui negarent *esse ullo modo in hominis potestate, ut salvus fiat*. At nonne, inquiunt, ea verba referri ex aequo possunt ad Philosophos illos Ethnicos, in quos in Periarcho stylum saepissime acuit? Nonne potiori etiam jure credi potest, Origenem Pelagianorum antesignanum Catholicos eo loci perstringere, qui negant in sola hominis esse potestate, ut salvus fiat? Augustinus ad Valentinum scribit se Cresconium, & Felicem aliquanto diutius retinuisse, quo ad novos haereticos instructiores redirent, ad Pelagianos nempe. Valentinus ad Augustinum haec habet: *Servi tui Flori fides est, pater, non sicut fratres illi locuti sunt, in praesentiarum audierunt ab eo dictum, non juxta merita nostra dari donum pietatis, sed per gratiam Redemtoris, & liberum arbitrium Dei gratia non negamus.* Unde initio libri de corrept. & gratia sic Monachis Adrumetinis Augustinus gratulatur: *Hanc fidem, quae sine dubio vera, & prophetica, & Apostolica fides est, etiam in fratre nostro Floro invenisse me gaudeo, unde hi potius corrigendi sunt, qui eum non intelligebant.* Unde inferunt ex iis, quae tertio loco ex Augustino citata sunt, probari non posse Monachos Adrumetinos Praedestinatianae haeresi ortum dedisse.

Levius tamen est, si eos audias, quod ex Prospero, & Hilario obiicitur, cum evidenter ex eo deduci nequeat, num ad Augustinum detulerint eiusdem de Praedestinatione sententiam a Massiliensibus pluribus sic defendi, ut libertatem omnem adimerent, an potius de Semipelagianis conquerantur, qui Augustinianam doctrinam reiiciebant, quasi libertatis humanae peremtoriam.

Rem profecto conficerent, aiunt, sancti Fulgentii, & Evodii Ticinensis Episcopi testimonia, si probari posset, eos falsis rumoribus non fuisse deceptos, sed visu proprio, & auditu homines cognovisse, qui crederent, solam homini potestatem inesse eligendi malum; vel ita gratiam asserent, ut everterent libertatem. Verum hoc opus, hic labor est.

Parvi etiam ducunt momentum ex Fausti libris desumtum. Hunc enim a Semipelagiana labe purgare difficile nimis putant. Forte igitur per summam invidiam Augustini doctrinae defensores Praedestinatianismi insimulavit. Urgetur tamen. Forte, aiunt, unice retulit, quod falso ab aliis dictitabatur: perperam ergo Fausti libris fides adhibetur.

Nec melioris notae sunt, quae loco septimo proferuntur. Synodi enim Arelatensis, & Lugdunensis proscripserunt tantum sex dogmata a Fausto illis oblata, nulla tamen hominum facta mentione, qui eadem propugnarent. Potuerunt igitur concilia haec oblatam illis a Fausto larvam nigro θ notare, vel etiam sex illa dogmata sugillare, ut Praedestinatianam haeresim praefocarent, si forte in posterum surgeret. Eam autem jam tunc emersisse, nec Lucidi confessio, nec Palidonia demonstrant, tum quia unicus historiae huius auctor est Faustus, tum etiam quod ea confessio ad summum probat, prava dogmata affixa Praedestinatianis, a quibusdam obscuri nominis tradita, & propugnata fuisse, quod se non negare declarant.

Sygebertum rumores adversus Augustini doctrinam a Semipelagianis vulgatos veram Praedestinatianorum haeresim credidisse plurimi arbitrantur. Prosperum Tyronem in historia Ecclesiastica hospitem, & anachronismis redundantem se ostendere animadvertunt; unde eum deducunt crytices sanioris ignarum Faustinam fabulam facile adoptare potuisse. Arnobium, & Gennadium Semipelagianismo laborare adversariis ostendunt; & hoc pacto se a quatuor illis auctoritatibus facile expediunt.

Photii testimonium extra rem esse censent. Nam Praedestinatiani libertatem tollunt ex Augustini testimoniis a genuino sensu detortis: sed qui fieri potest, ut eum conviciis incesserint, quem auctorem sequi falso profitebantur? impium ergo dogma, de quo Photius, nihilominus est quam Praedestinatianum. Agnoscunt ultro eam phrasim a praedestinato usurpatam, *tandem aliquando &c.* in suspicionem

nem adducere, vel librum, de quo ibi differitur, vel errores, quibus ille scatebat, celebres eo tempore fuisse; at quaerunt undenam colligatur, eos fuisse Praedestinatianos, cum auctor dicat in genere *se haereticum ostendere in textu*, nulla peculiaris haereseos mentione facta. Ad Hincmari auctoritatem reponunt, eam non esse tanti faciendam, quanti ab adversariis ducitur. Notae enim sunt eius cum Gothescalco simultates: notum est ex sententia Pontificis Nicolai Hincmarum proclivem admodum fuisse ad errandum atque fallendum.

Carisiacae, ac Moguntinae synodi Patres eiusdem Hincmari fraudibus acerbius in Gothescalcum judicium pronunciasse decernunt.

Quod tandem ad synodum Arausicanam attinet, ipsam objectioni responsum suppeditare contendunt. Ait enim *si qui sunt*: ergo incertus nimis, ac vagus fuit rumor de Praedestinatianis, quam ut concilii Patres decretorie quidpiam de illis constituendum putarint. Objectioni ex synodo Moguntina petitae responsio mox adducta est.

Argumenta pro Sententia negante.

42 Dilutis, ut putant, adversae partis rationibus, ita suas exponunt, qui Praedestinatianam haeresim elapsis retro seculis non admittunt. Augustinus ipse circa annum 428, sedatis jam in Adrumetino monasterio dissidiis, librum inscripsit ad Quod vult Deum de haeresibus, in quo obscurioribus quibuscumque memoratis eam, quae in controversiam venit, silentio praetermittit: & praefatum librum claudens ait: *omnium esse recentissimam Pelagianam.* Unde ex Augustino Praedestinatiana haeresis Adrumetinum Monasterium nunquam infecit.

Sanctus Prudentius Trecensis Episcopus in libro contra Joannem Erigenam cap. 4 ait: *Tertiam vero haeresim, quam Pelagianis contrariam asseritis, qua ita dogma gratiae praedicatur, ut libertas arbitrii funditus auferatur, nec legimus, nec audivimus.* Huic concinit sanctus Remigius ad eumdem Erigenam aiens: *Quae est ista secunda haeresis tam incognita, tam inaudita, quae, libero arbitrio denegato, solius gratiae sit praedicatrix, nisi ut vobis videtur, disputator iste vel beatum Augustinum latenter quasi haereticum accusat?* Haec porro scripta sunt circa finem noni seculi; nulla igitur usque ad illam aetatem fuit haeresis Praedesti-

natiana. Nam Gothescalchum monachum Orbacensem de Praedestinatione divina duriuscule quidem, ac imprudenter fuisse locutum, juxta regulam tamen catholicae fidei, sine dubio Remigio Lugdunensi Episcopo videtur in libro de tribus epistolis, quem secuta est Lugdunensis Ecclesia. Judicium hoc veritati fuisse conforme ipsa insinuat Gothescalchi confessio apud Hincmarum, ubi legimus Gothescalchum dixisse, quosdam esse praedestinatos ad mortem aeternam, reprobos scilicet ad interitum, seu ad malum poenae propter praescita certissime propria ipsorum merita.

Judicium vero Hincmari & Carisiacae Synodi in Gothescalchum fuisse prorsus iniquum suadere arbitrantur Valentinum concilium anno 855 coactum, quod quatuor Carisiaci capitula Gothescalchi opinionibus opposita hisce verbis explodit: *Porro capitula quatuor, quae a concilio fratrum nostrorum minus perspecte suscepta sunt propter . . . errorem contrarium veritati a pio auditu fidelium penitus explodimus, & ut alia, & similia caveantur, per omnia auctoritate Spiritus sancti interdicimus.* Ex quibus patet, aiunt ipsi, Praedestinatianam haeresim ante Calvinum purum esse, putumque figmentum. Sed legatur opus eruditum Petri Francisci Fogginii continens ss. Patrum doctrinam *de gratia Dei, & Praedest. ss. tom. 6 Romae edito anno* 1771. Multa enim ibi reperies, quae suadent Praedestinatianam haeresim fuisse fictitiam.

Exceptiones pro sententia affirmante.

43 Ad auctoritatem divi Augustini, qui in haereseon elenco Praedestinatianae haereseos non meminit, respondent sanctum Doctorem, vel ante diffidia Adrumetina opus illud scripsisse, vel si post eas dissensiones compositas scripsit, eam haeresim omisisse, utpote ab auctoribus eiuratam.

Ut autem Prudentii, atque Remigii auctoritates elevent, Evodii, & Fulgentii testimonia opponunt, qui longe antiquiores Prudentio, & Remigio noni seculi scriptoribus maiorem fidem merentur. Vide eorum verba n. 40 relata.

Gradum hinc faciunt ad Lugdunensem Ecclesiam, eiusque Antistitem Remigium, quibus Orbacensis monachi doctrinam sensu simulate Catholico expositam, mirum non est probatam, & acceptam fuisse.

At

At quoniam malo Hincmari animo ab adversariis tribuitur Gothescalchi tamquam haeretici delatio, observant Hincmarum, non sponte propria, sed Rhabani Archiepiscopi Moguntini, & Nottingi Veronensis Antistitis suasione, & impulsu calamum, & linguam in Gothescalchum acuisse, quo fit, ut judicii a conciliis Moguntino, & Carisiaco prolati summa ratio habenda sit.

Ad concilium Valentinum reponunt, non ob id praecise Patres Carisiacos damnasse, quasi injustam contra Gothescalchum sententiam tulerint, eumque a quovis errore vindicatum voluerint, sed tantum ut errores eorum Patrum sugillaret.

Pontifici autem Nicolao negant sine ullo etiam Pontificiae dignitatis detrimento fasces e vestigio submittere, quia de solo facto putant hic esse quaestionem. Quidni igitur pergunt, inordinatae plurium erga Gothescalchum pietati plus aequo indulserit? Quidni etiam, operum eius disquisitione posthabita, dogmata libertati contraria illi monacho immerito affigi crediderit? Fassus quidem hic est, Deum impios damnare ad interitum propter praescita certissime eorum merita. Hoc tamen Gothescalchum ab omni Praedestinatianismi suspicione non liberat. Certum quippe erit oppositum, si semel probetur ex ipso Gothescalcho a Deo propria impiorum merita certo certius praesciri, quia ab ipsomet Deo ita praeordinentur, ut libertas auferatur arbitrii.

Quare, cum rem non evincant magis quae pro affirmante sententia a Syrmondo, Petavio, aliisque sanae critices Theologis in medium afferuntur, quam quae pro negante a Norisio, Gilberto, Maguino commemorantur, prudentis Theologi nobis esse videtur sub judice relinquere litem, utrum Praedestinatiani sive obscuri, sive celebris nominis unquam exstiterint, facta cuicumque potestate, eam, quae magis arriserit, partem amplectendi.

SECTIO IV

de caussis, atque effectibus Praedestinationis.

QUAESTIO I

de caussis Praedestinationis.

44 Ne morosas hic quorumdam Theologorum contentiones de variis Praedestinationis caussis excitemus, tanquam certum ponimus, quod monet D. Thomas *quaest. 23 art. 5 in corp.*, nullam esse caussam physicam Praedestinationis, nisi caussam aliquam physicam adsignare Deo velimus, cum quo identificatur actus Praedestinationis, quoad entitatem spectatus: *Nullus fuit tam insanae mentis, qui diceret merita esse caussam divinae Praedestinationis ex parte actus praedestinantis.*

Ulterius id etiam sine dubitatione ponendum censemus, quod cum Deus solus praesciat, ordinet, & conferat auxilia, quibus Praedestinatus certissime salutem consequitur, idcirco solus Deus est caussa efficiens Praedestinationis consideratae, prout habet respectum ad creaturam libere in gloriam transmittendam. Ipse pariter Deus est unica eiusdem caussa finalis, aiente Apostolo, Ephes. 10: *Praedestinavit nos in adoptionem filiorum . . . secundum propositum voluntatis suae in laudem gloriae suae.* Caussa vero materialis est creatura praedestinata, formalis divinum decretum creaturam ad gloriam transmittens, & dirigens; exemplaris tandem, & moralis meritoria praedestinato extrinseca est Christus Dominus, D. Paulo id diserte testante Rom. 8: *Praedestinavit conformes fieri imaginis filii sui*; Ephes. 10: *Benedixit nos in omni benedictione . . . in Christo, sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem . . . . qui praedestinavit nos in adoptionem filiorum per Christum.* Atque in his conveniunt universi.

Quod igitur hoc loci in controversiam vocatur, illud est, an ex parte creaturae, quae praedestinatur, aliqua reperiatur caussa motiva, & moralis, quae Deum moveat ad eam potius, quam aliam praedestinandam, seu, an Deus hunc potius, quam alium eligat ad gloriam, quia eius merita praescivit, an vero gratuita prorsus sit huiusmodi electio, quamvis meritorum praevisionem praecedens,

His

His terminis conclusa gravissima, quae Theologorum ingenia exercet, controversia, ad rem accedimus.

45 Notandum interea Praedestinationem bifariam spectari a Theologis. Primo in ordine, ut aiunt, intentivo, & in exsecutivo. Ordo intentionis est ipsum Dei decretum aliquos ad gloriam ab aeterno destinantis. Ordo exsecutionis est ipsa eiusdem decreti in tempore exsecutio; seu gloriae collatio. Secundo Praedestinationem in ordine intentionis considerari dupliciter posse, adaequate nimirum, & inadaequate, vel scilicet prout est ad gratiam simul & gloriam, quo sensu spectatur divinum decretum, prout complectitur gratias efficaces, perseverantiam finalem, & gloriam, breviter, quae describitur a D. Thoma: *Praeparatio gratiae in praesenti, & gloriae in futuro.* Vel prout solam respicit gloriam, aut gratias solas, cuiusmodi sunt vocatio, iustificatio, & perseverantia. Hinc duplex oritur articulus; primus de Praedestinatione ad gratiam, secundus de Praedestinatione ad gloriam.

ARTICULUS PRIMUS

an Praedestinatio ad gratiam sit ex meritis praevisis.

PROPOSITIO

Praedestinatio ad primam gratiam gratuita omnino est, & a meritis independens.

46 Evincitur propositio 1 ex Apostolo. Si prima gratia esset ex operibus, non esset amplius gratia, sed merces: ergo prima gratia est a meritis independens.

2 Augustinus lib. de Praedest. ss. cap. 14 ait: *Praeclarissimum lumen Praedestinationis, & gratiae . . . Christus Jesus, qui ut hoc esset, quibus tandem suis vel operum, vel fidei praecedentibus meritis natura humana, quae in Christo est, comparavit; respondeat, quaeso, ille homo; ut Patri coaeterno in unitatem personae assumtus Filius Dei unigenitus esset, unde h c meruit? Quod eius bonum qualecumque praecessit? Quid egit ante? Quid credidit? Quid petivit?* Christus igitur ad gratiam hypostaticae unionis ex Augustino praedestinatus non fuit ob praevisa merita; atqui Christi Praedestinatio, nostrae est exemplar; nemo igitur ex Augu-

stino ad primam gratiam praedestinatur ob praevisa naturae merita.

3 Quae porro fuit Augustini contra Pelagianos, & Semipelagianos sententia, hanc Ecclesiae firmatam auctoritate passim, & constanter habemus. Concilium enim generale Ephesinum, Arausicanum II, & Tridentinum praecipuum hoc fidei caput ex iis didicerunt, atque probarunt sacrorum codicum testimoniis, quae nos supra adduximus, dum Origenem, Pelagium, aliosque huius furfuris homines dispungebamus. Manet igitur Praedestinationem ad primam gratiam omnino esse gratuitam.

Responsiones ad objecta.

47 Neque huiusce dogmatis vim, ac robur infringet, qui eas apponet scripturae locutiones, *hominis est animam praeparare, & Dei gubernare linguam*; Prover. 16: *Cor hominis disponit viam suam, sed Domini est dirigere gressus eius.* Haec enim, aliaque id genus testimonia liberum quidem hominis commendant arbitrium, sed gratuitam Praedestinationem ad gratiam nequaquam evertunt. Huius autem responsionis fideiussor mihi est Augustinus lib. 20 ad Bonifacium cap. 9: *Homo praeparat cor, non tamen sine adiutorio Dei, qui sic tangit cor, ut homo praeparet cor . . . ecce Deus admonet, ut praeparemus voluntatem in eo, quod legimus, hominis est praeparare cor; & tamen, ut hoc faciat homo, adjuvat Deus, quia praeparatur voluntas a Domino*; & Tridentinum sess. 6 cap. 5: *In sacris literis, cum dicitur, convertimini ad me, & ego convertar ad vos, libertatis nostrae admonemur, cum respondemus, converte nos, Domine, ad te, & convertemur, Dei nos gratia praeveniri confitemur.*

Quod si quis adhuc moleste urgeat, Deum esse personarum acceptorem, qui huic gratiam conferat, non illi, dum in gratiae collatione dirigenda nullius merita praevidet, & consulit; non aliud afferat, quam Augustini responsum de gratia, & libero arbitrio cap. 22, ubi parvulorum exemplo jugulat ac confodit haereticos his verbis: *Aliquando filiis infidelium praestatur gratia haec, . . aliquando filii fidelium eam non consequuntur . . . Fiunt vero ista per occultam Dei providentiam, cuius inscrutabilia sunt judicia.* Tum epist. 194 ad Sixtum probat excusabiles non esse, qui male vivunt, quamvis fidem, & gratiam (intellige effi-

efficacem) nequaquam acceperint: *Non possunt veraciter dicere, nihil mali se facere, quia male vivunt: si enim nihil mali faciant, bene vivunt, si autem male vivunt, de suo male vivunt, vel quod originale traxerunt, vel quod insuper tradiderunt.*

Quaeres, an ita Praedestinatio ad primam gratiam sit a meritis independens, ut ne quamdam quidem praeparationem, ac dispositionem supponat in creatura, cuius intuitu primam gratiam huiusmodi creaturae Deus conferre decernat.

48 Resp. cum D. Thoma negative: nam ut ait s. Doctor 3 contra gentes cap. 149: *Homo non movet se ipsum ad hoc, quod adipiscatur divinum auxilium, sed potius ad hoc adipiscendum a Deo movetur: motio autem moventis praecedit motum mobilis ratione & caussa: non igitur propter hoc datur nobis auxilium, quia nos ad illud per bona opera promovemur, sed potius nos ideo per bona opera proficimus, quia divino auxilio praevenimur.* Tum in epistolam ad Haebreos cap. 12 lect. 3 inquit: *Hoc ipsum, quod est non ponere obstaculum gratiae, ex gratia procedit; unde si aliquis ponat, & tamen moveatur cor eius ad removendum illud; hoc est ex dono gratiae Dei vocantis per misericordiam.*

His Angelici ratiociniis haec alia ad probationis cumulum addi possunt, quod tunc initium salutis esset a nobis, applicatio redemtionis, ac proinde justificatio non esset gratis, ut vult Apostolus Rom. 3: *Iustificati gratis per gratiam ipsius:* nam daretur aliquod naturale habens cum gratia connexionem, cuius intuitu Deus illam conferret.

49 Nonnulli tamen aiunt, quod, si nostrae salutis initium gratuitum est, salus nostra a Deo pendet, non a nobis, nec incusari possumus, si damnemur, cum gratia, utpote non debita, nec a meritis dependens, possit non conferri, ac ubi non confertur, damnationem incurri necesse sit. Hinc illud consequens putant, orationes irritas esse, & frustraneas, cum gratiae collatio a solo pendeat Numinis arbitrio. Tum vulgatum illud ponunt: *Facienti quod in se est, Deus non denegat gratiam.*

Sed quia hic adversarii veterem dumtaxat repetunt cantilenam, veterem sibi habeant responsionem. Ad primum quidem damnationem non incurri, nisi ob peccatum; atqui mox ex Augustino evicimus, peccatum a nobis esse: corruit igitur prima objectio. Ad alterum respondemus, orationes ad secundam gratiam comparandam inservire, non autem ad primam: ut enim definitum exstat in can.

II,

II, & VI synodi Arausicanae secundae: *Orare nemo potest, quem gratia non praevenerit, atque ad id excitaverit.* Ad postremum τὸ *facienti quod in se est* intelligendum est cum. D. Thoma prima secundae quaest. 109 art. 2 ad 2 hoc sensu, quod is, qui gratia adjutus facit id, quod debet, ulteriora a Deo obtinet auxilia.

ARTICULUS SECUNDUS

an Praedestinatio ad gloriam sit gratuita, & a meritorum praevisione independens.

CAPUT I

Theologorum hac in re sententiae proferuntur.

50 Tres omnino, quod sciam, in re praesenti memorantur Theologorum sententiae.

Prima eorum est, qui pro vario partium studio modo Augustiniani audiunt, modo Jansenistae. Horum systema est, quod innocentis naturae status a statu naturae per Adae peccatum corruptae sedulo est distinguendus; aiuntque in primo gratiam, quae nedum esset sufficiens, sed etiam versatilis, Angelis, primisque parentibus fuisse concessam, liberoque eorum consensui, ac determinationi permissam: fuit igitur ex meritis praevisis. At longe aliter rem esse volunt in statu naturae corruptae: in hoc enim Praedestinationem, qua plures e massa perditionis liberantur, gratuitam esse asserunt; & merita praevisa antecedentem.

Altera est non omnium, ut male criminantur nonnulli, sed plurium e Ludovici Molinae sectatoribus. Gratiam isti cum universa Molinae schola versatilem ponunt, non in se, sed ab eventu efficacem, idque cum in hoc, tum in naturae innocentis statu; inde autem colligunt Praedestinationem in utroque statu posteriorem fuisse meritorum praevisioni, quatenus Deus, praeviso consensu aliquorum, iis auxiliis, quae ipsis in tempore est collaturus, eos ob huiusmodi merita elegit efficaciter ad gloriam.

Tertia est Thomistarum nullum inter utrumque naturae statum; quoad hoc discrimen admittentium. Isti decretum de aliquorum ad gloriam electione antecedens esse volunt ad quemvis creaturae consensum praevisum. Unde cum homi-

hominum, tum Angelorum Praedestinationem anteriorem esse contendunt ad merita, & ab illis prorsus independentem. In his autem haec sententia dissidet a prima, quod illa gratiam solam excitantem, seu sufficientem in statu naturae integrae admittit, & in statu naturae corruptae gratiam nomine, non re sufficientem, quae vires impares habet ad concupiscentiam superiorem comprimendam. Thomistae vero tam pro statu innocentiae, quam pro hominibus lapsis necessariam fuisse contendunt gratiam nedum excitantem, & sufficientem, verum etiam intrinsecus efficacem, quam quidem pro statu naturae corruptae admittunt etiam primae sententiae adsertores. Differt etiam, quod prima peccatum originale, ut ut per Baptisma dimissum, caussam primam esse vult reprobationis: ab illa quippe movetur Deus ad gratias efficaces nonnullis denegandas; ubi altera contrarium adfirmat. Mihi cum schola Thomistica, a qua ne latum unguem discedere religio huc usque fuit, sentiendum est. Quocirca ad eius placitum pro viribus defendendum libens accedo.

CAPUT II

Praedestinatio ad gloriam gratuita, & a meritis independens statuitur.

PROPOSITIO

Praedestinatio ad gloriam facta est ante praevisa merita, hinc caussa motiva sola est bonitas divina.

Ut rationum, quae in medium proferuntur, distributio rei amplitudinem expeditam faciat, singulas earumdem classes seorsim exhibebimus, quocirca sit

§. I

Argumenta ex Scripturarum testimoniis.

51. Evincitur propositio ex Scripturae locutionibus, & primo ex Lucae 12: *Nolite timere, pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum.* Porro hic nomine *pusilli gregis* intelligitur ex venerabilis Bedae interpretatione coetus praedestinatorum; atqui isti ad regnum non dicuntur electi ex meritis, sed gratuito, & ex solo Dei bene-

beneplacito: ergo &c. Huc spectant alia loca, in quibus destinationem ad gloriam pendere dicitur a sola Dei voluntate, ut quando Christus Matth. 20 haec dixit filiis Zebedaei: *Sedere ad dextram meam, vel sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est a Patre meo.* Sequuntur secundo loco hae Scripturae locutiones, in quibus habetur Deum plura dona conferre electis ob electionem jam factam, ita ut illa praeordinatio sit caussa tum gratiae, tum operum, quae cum illa eliciuntur, non autem ista opera meritoria sint caussa electionis. Sic Joan. 10 legimus: *Vos non creditis, quia non estis ex ovibus meis: oves meae vocem meam audiunt, & ego cognosco eas, & sequuntur me, & ego vitam aeternam do eis, & non peribunt in aeternum, & non rapiet eas quisquam de manu mea*: ergo cum oves, idest praedestinati, dicuntur credere, non posse perire, & in aeternum victuri, quia sunt ex ovibus, scilicet quia sunt electi, ubi ex adverso reprobi, seu qui non sunt oves, dicuntur non credere (intellige ad salutem); quia non sunt ex ovibus: clara consecutione deducitur, Praedestinationem non fieri ob fidem salutarem praevisam, sed imo hanc esse Praedestinationis effectum. Quo tendunt etiam verba illa Christi Domini ibidem cap. 13 v. 17: *Si haec scitis, beati estis, si feceritis ea: non dico de omnibus, ego scio quos elegerim.* Sed sunt alia, quae me longe plus movent.

52 Evincitur II ex Apostolo, cuius testimonia in re praesenti decretoria sunt, nec ullis cavillamentis obnoxia. Ponam autem primo loco celebrem eius sententiam Rom. 9, quam licet prolixam, ex integro tamen referre jus, fasque est. *Cum nondum nati essent* (intellige Jacob, & Esau) *aut aliquid boni egissent, aut mali* (ut secundum electionem propositum Dei maneret) *non ex operibus, sed ex vocante Deo dictum est Rebeccae, quia maior serviet minori, sicut scriptum est Jacob dilexi, Esau autem odio habui. Quid ergo dicemus, numquid iniquitas apud Deum? Absit. Moysi enim dixit, miserebor, cuius misereor, & misericordiam praestabo, cuius miserebor: igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei . . . . ergo, cuius vult, miseretur, & quem vult, indurat. Dicis itaque mihi, quid adhuc queritur? Voluntati eius quis resistit? O homo! tu quis es, qui respondeas Deo? Numquid dixit figmentum ei, qui se finxit? Quid me fecisti sic? Annon habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in*

con-

contumelium? Jam vero sic arguitur. In hoc symbolo Jacob, & Esau figuram exprimit D. Paulus mysterii Praedestinationis, eoque modo vult Deum se gerere in electis praedestinandis, uti se gessit in Jacob diligendo, reiecto fratre suo Esau; atqui illum isti praeposuit gratuito, non ex operibus: ergo gratuita pariter est electorum ad gloriam Praedestinatio. Minor facile suadetur. Dicant enim per fidem suam adversarii, quaenam possint fingi merita, quae a Deo in Jacob praevisa, eidem caussa fuerint, ut eum potius, quam Esau praeeligeret, dum unam eiusdem electionis causam clamat Apostolus fuisse, non quidem praevisionem meritorum, quam excludit omnino, sed Dei vocantis arbitrium. *Cum nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent, aut mali, ut secundum electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante dictum est.* Vide soli electioni, vocationi soli, nullatenus operibus etiam futuris adtribui Jacob electionem, quam quidem, si a meritorum praevisione ortam cognovisset Apostolus, id silentio non praeteriisset: nam hoc ad scrupulos, & anxietates sedandas erat aptissimum, & opportunum, nec palam adfirmasset unam dumtaxat esse electionis caussam, Dei nempe arbitrium, ubi ad id etiam merita creaturae, tamquam caussam partialem confacere cognovisset. Quod sane eo fidentius adfirmo, quia idem Apostolus hanc sibi difficultatem opponit, qua homines male feriati Deum iniquitatis, & injustitiae insimulant, quod hunc prae alio elegerit. *Quid ergo dicemus? numquid iniquitas apud Deum?* Huius autem difficultatis solutionem inde non petit, quia Deus traduci nequit ut iniquus, eo quod eius, quem elegit, bona opera praevidit, quae quidem in non electo non praevidit, illumque elegit, quem se vocantem secuturum praenovit, illo non electo, cuius sibi reluctantem fore voluntatem praescivit, quo pacto facillime hominibus illis impia ora obtruxisset; sed aliam prorsus viam inivit, inquiens, Deum ut iniquum non posse traduci, quia justitiam praedestinando non exercet, sed misericordiam. *Numquid iniquitas apud Deum? Absit. Moysi enim dictum est, miserebor, cuius misereor, & misericordiam praestabo, cuius miserebor*; seu juxta lectionem Hieronymi in Exod. 33: *Miserebor, cui voluero, & clemens ero, cui placuerit mihi: igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.*

Ex his facillimum est illud etiam in rem nostram deducere, quod si Praedestinatio, juxta mentem Apostoli,

ex

ex praevisis creaturae meritis penderet, dici ab eodem non posset opus Dei miserentis solum, & non hominis currentis, & volentis, sed imo opus Dei, & hominis; illius miserentis, istius volentis, & currentis; quod tamen perfracte negat. Stat igitur in ordine intentionis, gratuitam prorsus esse Praedestinationem, nec a meritis dependentem; si enim secus res esset, dum sibi obiicit malum illud aliquorum suffugium, Deum injuste conqueri de hominibus, vitam pravam agentibus, eo quod, cuius vult miseretur, & quem vult indurat, nemoque eius voluntati potest obsistere: *Dicis itaque mihi, quid adhuc queritur? Voluntati eius quis resistit?* Si, inquam, secus res esset, facilis eidem responsio esset, Deum idcirco conqueri, quod hos male acturos praevidit, dum alios arbitrio suo bene usuros praenovit: atqui tamen viam init prorsus oppositam huius fursuris hominum insanam proterviam sic coercens: *O homo! tu quis es, qui respondeas Deo? Numquid dicit figmentum ei, qui se finxit: cur me fecisti sic? An non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud in contumeliam?* & cap. 11 eiusdem epistolae: *O altitudo divitiarum sapientiae, & scientiae Dei, quam incomprehensibilia sunt judicia eius, & investigabiles viae eius! Quis cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius eius fuit, aut quis prior dedit illi, & retribuetur ei?* Dicant porro aequi rerum aestimatores quinam sit admirationi locus, ubi ex meritorum praevisione electio ad gloriam dependeat, & quam inepta dicenda non sit luti, & figuli comparatio? Ego certe, quantum in hac re sapio, quantum capio, si Apostolus ex meritis pendentem agnovisset Praedestinationem, fidenter pronuncio, quod nuspiam ab eo laudata comparatio adhibita fuisset; nec eidem mirari subiisset. Quid enim mirari, quod aliquem Deus eligat, quia praevidet vocationi respondentem? quid luti nullum meritum relate ad figulum habentis similitudo, cum creatura praevisa bene arbitrii viribus usura Deumque ob praevisa eius merita movente ad eamdem eligendam?

Confirmatur primo testimonium illud Apostoli aliis eiusdem verbis ad Ephes. 1 ubi haec leguntur: *Benedictus Deus . . . qui benedixit nos in omni benedictione spirituali, in caelestibus, in Christo, sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti, & immaculati in conspectu eius in caritate, qui praedestinavit nos in adoptionem filiorum*

per

per Jesum Christum in ipsum secundum propositum voluntatis suae in laudem gratiae suae, in qua gratificavit nos in dilecto filio suo, in quo habemus redemtionem . . . secundum divitias gratiae eius . . . . ut notum faceret nobis sacramentum voluntatis suae secundum beneplacitum eius, quod proposuit in eo . . . . in quo etiam & nos sorte vocati sumus praedestinati secundum propositum eius, qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suae. Porro iniquus certe fuerit qui sententiam nostram ex verbis laudatis liquido demonstrari inficietur: nam si Praedestinatio sit post merita praevisa, aliquos Deus elegit, quia sanctos praevidit, non vero ideo praevidentur sancti, quia fuerunt electi; atqui hoc alterum docet Apostolus: ergo &c

Ulterius. Si merita praevisa aliquem habent in Praedestinationem influxum, cur, quaeso, hic solum memorat Apostolus divinum beneplacitum? Cur altum servat de humano arbitrio silentium? Cur illud tam frequenter inculcat, Deum nos *praedestinasse secundum propositum voluntatis suae? . . . . in laudem gratiae suae . . . secundum divitias gratiae eius . . . ut notum faceret sacramentum voluntatis suae . . . . secundum beneplacitum eius . . . secundum propositum eius?* . . . Cur illud etiam indigitat, *nos sorte vocatos esse?* quasi diceret, non meritum nostrum, non caussa ulla extra Deum impulit eum ad nos praedestinandos, sed gratuita omnino fuit electio nostra, sors mera fuit a solo numinis arbitrio nobis decreta. Profecto, si aliter sensisset Apostolus, alium loquendi modum adhibuisset, nec nos vellet sola Dei misericordia ad gloriam electos, quos ex bonis operibus praevisis destinatos ad vitam intellexisset, dignosque inventos, quos Deus eligeret: imo homines illos felicissimos sua laude non fraudaret, quod eorum virtutes praecognitae electionem huiusmodi promeruissent.

Confirmatur II ex eodem ad Rom. 8, ubi inquit: *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum iis, qui secundum propositum vocati sunt sancti. Nam . . . quos praedestinavit, hos & vocavit . . . & quos vocavit, hos & justificavit, quos autem justificavit, hos & glorificavit.* Jam vero sic arguitur. Praedestinatio est propositum vocandi vocatione illa sancta, quae connexa est cum perseverantia finali, nec non conferendi in tempore illa gratiae dona, quibus certissime liberantur, quicumque liberantur; atqui propositum istud gratuitum esse docet Apostolus, & a meritorum praevisione independens, cum primo omnium

statuat

statuat Praedestinationem, deinde vocationem, postmodum justificationem; ubi, si Praedestinatio esset post merita praevisa, primo statueret vocationem, cui praevisus est homo respondens, postmodum Praedestinationem. Insuper haec electio, seu propositum est gratia illa, quae electis ante tempora destinata est in Christo Jesu praedestinatorum capite, qua aliquos Deus ab aeterno dilexit propter solam bonitatem suam, non propter eorum opera futura, ut clare ostendunt alia eius verba 2 Timoth. 1: *Nos liberavit, & vocavit vocatione sua sancta secundum propositum suum, & gratiam, quae data est nobis in Christo Jesu ante tempora secularia.*

Confirmatur III ex eodem Apostolo ad Ephes. 2, cuius verba haec sunt: *Deus autem, qui dives est in misericordia propter nimiam caritatem suam, qua dilexit nos: & cum essemus mortui peccatis, vivificavit nos in Christo, cuius gratia estis salvati . . . ut ostenderet in seculis supervenientibus abundantes divitias gratiae suae in bonitate super nos in Christo Jesu . . . gratia enim salvati per fidem, & hoc non ex vobis; Dei enim donum est non ex operibus, ne quis glorietur; ipsius enim sumus factura, creati in Christo Jesu, in operibus bonis, quae praeparavit Deus, ut in illis ambulemus.* Porro plumbeos esse oportet quotquot pertinaciter negant, Praedestinationem gratuitam verbis laudatis designari. Nam si sit haec ex meritis praevisis, qui fuit ad hanc sortem electus ex operibus suis bonis, eam sibi promeruisset, integrum ipsa Dei donum non esset, & sic propter merita praedestinatus gloriari posset, vel saltem ipsi relinqueretur gloriandi locus; atqui oppositum eo loci docet D. Paulus iis verbis: *Propter nimiam caritatem suam ... justificavit nos ... gratia salvati ... & hoc non ex vobis; Dei enim donum est non ex operibus, ne quis glorietur*: ergo &c.

His adde quod idem D. Paulus adfirmat ibidem, merum esse Dei donum Praedestinationem, nec aliquem de illa gloriari posse, quia opera bona, quae in tempore ab electis praestantur, *praeparata fuerunt in Christo Jesu, ut in illis ambularemus*; atqui hoc Apostoli ratiocinium penitus eliditur, semel admissa Praedestinatione post merita praevisa: ergo &c. Minor suadetur. Nam si merita praevisa non sint effectus Praedestinationis, sed ipsius causa motiva, jam Deus, dum praedestinat, opera salutaria in Christo non praepararet, sed potius ab hominibus praepararentur merita, quorum intuitu Deus praedestinaret, nec

ipse

ipse praedestinando opera illa ordinasset, ut in ipsis electi ambularent, sed quia ambulaturos eos praevidit in viis justis, illos ad gloriam destinasset, quo nihil ab Apostoli mente magis alienum: nam, ut omne suffugium occludatur, diserte statuit Apostolus, *non esse in Christo creatos in operibus bonis*; ac proinde nihil in nobis supponit, quod Deum ad nos praedestinandos compulerit. Uti enim quidquid in creatura est, totum in creationis decreto comprehenditur, ita in Praedestinationis decreto electus in operibus sanctis creari dicitur eo, quod omnia ipsius merita in eodem includantur.

§. II

argumenta ex ss. Patribus.

53 Summam in materia de gratia, ac proinde in Praedestinationis negotio explicando auctoritatem sibi vendicasse Augustinum, & tota semper retro tenuit antiquitas, & Pontificia saepe saepius declararunt oracula. Nullus ideo invidiae locus erit, si ipsum in Patrum serie Praedestinationem gratuitam defendentium, & primum in ordine, & peculiari in classi constituamus.

Evincitur itaque primo iis omnibus sancti Doctoris testimoniis, quibus rationem nullam adferri posse testatur, propter quam hic a Deo adsumatur, alius non item, quam certe rationem potuisset facillime adducere, & difficultatem prorsus removere, si Praedestinationem meritorum posteriorem propugnasset, aiendo hunc a Deo electum fuisse, quia sanctum praevisum, hunc autem reprobatum, quia impium praescitum. At nuspiam nodum ita solvit Augustinus, sed semper ad divinam misericordiam confugit, & ad abscondita Dei judicia epist. 105, seu 194 ad Sixtum: *Cur illum potius*, inquit, *quam illum liberet, aut non liberet, scrutetur, qui potest judiciorum eius tam magnum fundum, verumtamen caveat praecipitium*; lib. 9 ad Bonifacium cap. 6: *Quare istos homines oves facit, & istos non facit, apud quem non est acceptio personarum, ipsa est quaestio, quam beatus Apostolus curiosius, quam capacius proponentibus ait: O homo tu quis es, qui respondeas Deo? Numquid dixit figmentum ei, qui se finxit, quare sic me fecisti? ipsa est quaestio, quae ad illam pertinet altitudinem, quam perspicere volens idem*

Apostolus, quodam modo expavit, & exclamavit: O altitudo divitiarum sapientiae, & scientiae Dei! &c. Non itaque istam scrutari audeant inscrutabilem quaestionem. Cur autem iste accipiat, ille non accipiat, cum ambo non mereantur accipere ... sufficiat eis scire, quod non sit iniquitas apud Deum. His similia habet *lib. de spiritu, & litera cap. 34 serm. 7 de verbis Apostoli cap. 5 lib. de dono persever. cap. 11, & alibi passim.*

54 Evincitur II aliis sancti Doctoris testimoniis, quibus passim comparat Praedestinationem adultorum ad gloriam cum parvulis statim post Baptisma decedentibus: uti enim isti ad gloriam nullis eorum meritis antea praevisis destinantur, ita, si comparatio sit ad rem, gratuita esse debet adultorum ad gloriam ordinatio. Porro, quod ita senserit Augustinus, testis luculentissimus est eiusdem liber de dono persever. cap. 11: *Ex ore infantium suam perfecit laudem, ut quod in his videmus, quorum liberationem bona eorum merita nulla praecedunt, & in his, quorum damnationem utrisque communia originalia sola praecedunt, hoc & in maioribus fieri nequaquam omnino cunctemur, idest, non putantes, vel secundum sua merita gratiam cuique dari, vel nisi suis meritis quemque puniri*; lib. autem 2 ad Bonifacium habet: *Sed ut vobis auferretur vestrae religionis latebra, propterea geminos tales proposui, qui .... infantiae primordio; unus baptizatus, alter sine Baptismate moreretur, ne diceretis Deum, sicut de Jacob, & Esau contra Apostolum dicitis, opera eorum futura praescisse; quomodo enim ea praescivit futura, quae illis in infantia morituris .... praescivit potius non futura?*

55 Evincitur III, quia doctrina ab Augustino propugnata censeri debet illa, ob quam apud Pelagianos, & Semipelagianos amaras historias audire compulsus est, eorumque invidiam subiit, quin sibi ab iisdem imponi uspiam conquestus fuerit; imo doctrinam huiusmodi ab illis sic impetitam suam esse palam, aperteque declaraverit; atqui doctrina, quae in scriptis Augustini eiusdem adversariis stomachum movit, fuit doctrina de Praedestinatione gratuita: ab hac enim, aiebant illius osores, arbitrii libertatem ab imo suffodi, torporem, & socordiam induci, desperationem in plurimos derivari, Deumque quasi injustum personarum acceptorem sacrilegis hominum contumeliis, & injuriis committi, ut probant diserte verba illa Prosperi epistola ad Augustinum Massiliensium querimonias

nias referentis: *Hoc propositum vocationis Dei, quo . . . . eligendorum, & reiiciendorum dicitur facta discretio, ut, secundum quod placuit Creatori, alii vasa honoris, alii vasa contumeliae sint creati, & lapsis curam resurgendi adimere* (intellige putant), *& sanctis occasionem torporis adferre . . . . removeri omnem industriam, tolliqut vires, si Dei constitutio humanas praeveniet voluntates*: hanc autem esse sententiam suam passim docet Augustinus *in lib. de Praedest. ss. de dono persever. & alibi*; ergo &c.

56 Evincitur IV argumento palmari deducto ex sancti Doctoris pugna cum Pelagianis, & Semipelagianis. Horum quippe cum Augustino dissidio, eiusque ad ipsos responsis penitus inspectis, hanc unam stetisse Augustino sententiam, nisi mea me fallit opinio, cordatus nemo negaverit. Porro disputatio Pelagianorum cum Augustino haec erat, quod, referente eodem Augustino *de Praedest. ss. cap.* 18, & 19, Pelagius, eiusque gregales sentirent, praescivisse Deum, qui futuri essent sancti per liberae voluntatis arbitrium, & ideo eos in sua praescientia, qua tales futuros esse praescivit, elegit. Hoc autem commentum, ut elidat, nihil non experitur Augustinus *in lib. de Praedest. ss.*, *& de dono perseverant.* Eam igitur electionem adstruebat sanctus Doctor, quam reiiciebat Pelagius; atqui ab isto solius mentio erat electionis ad gloriam: ad gratiam enim hominem praedestinari negabat Haereticus, qui gratiae nullam necessitatem adstruebat, ubique vires nostras extollens: ergo electio, quae contra Pelagium ab Augustino adserebatur, erat electio ad gloriam non suspensa a praescientia, sed ab illa independens, ab illa quidem praescientia, non solum meritorum naturalium, quae sola admittebat Pelagius, sed a quavis praenotione, seu praescientia, quae decretum suum antecederet. En verba Augustini cap. 19 de Praedest. ss.; *Elegit nos*, inquit ... *ut essemus sancti* ... *non ergo, quia futuri eramus, sed ut essemus, nempe certum est ... non quia futuros nos tales esse praescivit, sed ut essemus tales per electionem gratiae suae, qua gratificavit nos in Christo . . . . Cum ergo nos praedestinavit, opus suum praescivit, quo nos sanctos, & immaculatos facit.*

Disputationis autem, quae inter Augustinum, & Pelagianos intercessit, status hic erat, quod, cum passim sanctus Doctor defendisset electionis decretum, quamvis meritorum praevisionem antecedens absolutum, & efficax;

 hoc

hoc offensi quamplurimi, quasi decretum illud fatale non electis necessitatem damnationis inferret, alio confugerunt, & oppositum systema adoptarunt, quo contendebant, Deum aliquos eligere ad gloriam ex ipsorum meritorum praescientia. Huius rei facit fidem luculentam Prosper in epistola ad Augustinum: *Haec ipsorum definitio est . . . qui credituri sunt, quive in ea fide, quae deinceps per Dei gratiam sit juvanda, mansuri sunt, praescisse ante mundi constitutionem Deum, & eos praedestinasse in regnum suum, quos gratis vocatos dignos futuros electione, & de hac vita bono fine excessuros esse praeviderit* . . . . Tum infra, retractatis priorum hac de re opinionibus, inquiebant, *pene omnium par invenitur, & una sententia, qua . . . praescientiam Dei secundum praescientiam receperunt, ut ob hoc Deus alios vasa honoris, alios contumeliae effecerit, quia finem uniuscuiusque praeviderit, & sub ipso gratiae adjutorio, in qua futurus esset voluntate, & actione praescierit.* Ex his jam satis probatam, bonoque in lumine collocatam crediderim Semipelagianorum cum Augustino controversiam. Eam vides fuisse, quod electionem ad gloriam vellent a meritorum praescientia pendere. Dixi *ad gloriam*, ut objectionem praeoccuparem, in qua sibi plaudunt adversarii aientes Semipelagianos inter & Augustinum de sola ad gratiam electione litem motam fuisse: nam verba illa *praedestinasse in regnum suum, aliquos vasa honoris efficit, requiri praescientiam de vita sancte finienda*, cui certe adnexa est gloria; haec, inquam, verba, aliaque similia, quae videris apud Prosperum, diserte probant de sola ipsos locutos esse electione ad gloriam, non de electione ad gratiam.

Quando igitur hoc erat inter Augustinum, & Semipelagianos controversiae caput, systema illud ab Augustino propugnatum dici debet, quod Semipelagianorum commentum everteret; atqui systema illud, non aliud est, quam, quod hic defendimus de gratuita ad gloriam Praedestinatione: ergo &c.

Et sane Augustinus, auditis a Prospero Massiliensium, seu Semipelagianorum querimoniis mox relatis, novisque illis placitis mox a nobis memoratis, celebres illos *de Praedestinatione ss.*, *& de dono persever.* libros vulgavit, in quibus priorem sententiam suam de gratuita Praedestinatione iterum defendit, & firmavit, omnesque ipsius impugna-

pugna-

pugnatores penitus confodit, tela omnia ab ipsis in huiusmodi sententiam contorta adversus ipsos regerendo.

Molestus fortassis videri possem, si non mihi, sed Augustini scriptis fidem conciliaturus plura eiusdem testimonia hoc loco congererem, solum igitur addam ipsius argumentum *lib.* 1 *de Praedest. ss. cap.* 15, de quo jam supra tacta a nobis mentio est: *Est etiam*, inquit, *praeclarissimum lumen Praedestinationis, & gratiae ipse Salvator . . . , qui, ut hoc esset, quibus tandem suis vel operum, vel fidei praecedentibus meritis natura humana, quae in illo est, comparavit?* Quasi sic argueret: naturae humanae, quae in Christo est, Praedestinatio ad unionem cum verbo, ad sanctitatem, ad visionem intuitivam fuit omnino gratuita: ergo talis esse debet Praedestinatio hominum ad gloriam, quae certe non ob aliam caussam necessitatem imponere hominibus credebatur a Semipelagianis, nisi quia praescientiam antecedebat: ergo Augustinus, qui illorum questus. & cruda verba non ignorabat, & priorem sententiam ad ipsos refellendos instauraverat, debuit omnino Praedestinationem gratuitam propugnare; quod, ut dixi, bene ac feliciter praestitit.

Ostenditur hanc fuisse Patrum doctrinam, qui ante Augustinum floruerunt, & ipsum secuti sunt.

57 Evincitur hoc facile: nam Patrum, qui Augustinum praecesserunt, hanc fuisse sententiam probant diserte verba illa sancti Clementis Romani seculo 1 in epist. ad Corinth. cap. 1: *Omnes glorificati, & magnificati sunt non per se ipsos, aut eorum opera, aut justas actiones, quas patrarunt, sed per voluntatem eius: sic nos ex voluntate eius in Christo jam vocati sumus.* Quibus consonant, quae scribit Ignatius martyr seculo secundo in epist. ad Smyrneos, & seculo tertio Irenaeus lib. 1 cap. 4 inquiens: *Quare adventus filii hominis . . . in fine adparuerit. & non initio, & quare desperatas gentes coheredes fecit Deus . . . . in talibus . . . . exclamavit Apostolus: O altitudo divitiarum! &c. Deus gratuito quidem donat quae oportet: secundum autem meritum . . . distribuit adversus ingratos justissimus retributor.* Quibus concinuit Cyprianus eodem seculo ob id in sententiae suae confirmationem laudatus ab Augustino contra Pelagianos. Nec ii soli citari possunt, sed & laudare possumus Gregorium Nazianzenum seculo quarto orat. 31 his verbis: *Non est volentis, neque*

currentis, sed miserentis est Dei . . . . docet Paulus, quod ipsum recte velle divino auxilio indigeat . . . . imo, ut rectius loquar, voluntas quoque ipsa, & electio eorum, quae recta . . . . sunt, divinum quoddam beneficium est, atque a Dei benignitate manans . . . . ita, quoniam velle quoque ipsum a Deo est, optimo jure totum Deo adsignavit. Item Gregorium Nissenum in psalmos cap. 14: *Gratis hominibus salus a te venit, non ex operibus justitiae*; Basilium in sua liturgia; Ambrosium lib. 6 in Lucam: *Deus, quos dignatur, vocat, & quem vult, religiosum facit.* Cohaeret his Chrysostomus homilia prima in primam ad Corinth.: *Nos nihil recte egimus, sed per voluntatem Dei salutem invenimus & quoniam ei visum est, vocati fuimus.* Tum etiam Hieronymus in epist. ad Ephes.: *Non eliguntur Paulus, & qui ei similes sunt, quia erant sancti, & immaculati. Sed eliguntur, & praedestinantur, ut in consequenti vita per opera, atque virtutes sancti, & immaculati fiant.*

Haec etiam inter multa, quae possunt adduci testimonia ex veteris Ecclesiae sensu petita, satis esse ad rem nostram firmandam crediderim. Quod si aliquibus ea non esse videantur, quae traditionis in hoc capite fidem faciant, illud certe non ibunt inficias, quod Scripturae, quas superius laudavimus, ea aetate omnium etiam manibus terebantur, eamque fidelibus de Praedestinatione sententiam ingerebant, quam nos ex ipsis desumsimus. Nam in publicis Ecclesiae precibus electionem ex sola voluntate Dei proficisci ratum certumque habebatur, ut constat legenti Augustinum *lib. de dono persev. cap. 7 de Praedest. ss. cap. 12*, Caelestinum epist. ad Gallos, & Petrum Diaconum in epist. ad Praesules Africanos, quibus credere nolle indocilis mentis est. Ubi autem res ita sit, nemo certe, nisi frontis minus verecundae, negaverit, nobis traditionis doctrinam suffragari, in qua profecto, si nec radicem, nec fulcrum habere suam de Praedestinatione gratuita doctrinam Augustinus agnovisset, profecto nec ipse *in lib. de dono persever.*, nec qui cum eo senserunt Caelestinus epist. ad Gallos, Fulgentius *lib. 2. de verit. Praedest.*, & synodus Arausicana secunda: hi, inquam, Pelagio fidenter non obiecissent, doctrinam de Praedestinatione, & meritorum praevisione, non suspensam eam omnino esse, quam a maioribus acceperant.

58 Sed longe maior est, quae post Augustini cum Pelagianis, & Semipelagianis in Patrum scriptis adfulget in sen-

ſententiam noſtram propenſio. Quae enim veteres parce admodum, & jeiune hac in re delibaverant, haec poſteriorum aetatum Eccleſiaſtici ſcriptores fuſo, ac redundanti ſermone docuerunt. Inter hos agmen ducit Caeleſtinus Romanus Pontifex in epiſtola ad Gallos docens: *Ne novitas inceſſat vetuſtatem, Deum gratuita diſpoſitione ex vaſis irae facere vaſa miſericordiae, ipſius gratia omnium merita praeveniri.* Secundum locum damus auctori operis de vocat. Gent. lib. 2 ſic aienti: *Deus quos eligit ſine meritis, dat unde ornentur & meritis.* III ſequitur Proſper in epiſt. ad Ruffinum cap. 11 ſic ſcribens: *Etiam hoc neceſſe habent confiteri, quod ex omni numero hominum, per ſecula cuncta natorum, certus apud Deum definituſque ſit numerus praedeſtinati in vitam aeternam populi, & ſecundum propoſitum Dei vocantis electi.* Audis a Proſpero electos dici ſecundum propoſitum divinae voluntatis, non ſecundum meritorum praeviſionem.

Jam vero ſeculo ſexto habemus Hormiſdam Pontificem epiſt. 15 ad Poſſeſſorem, qui non aliam eſſe ait Eccleſiae Romanae doctrinam, quam quae habetur in libris Auguſtini ad Proſperum, & Hilarium, *in quibus*, inquit, *abunde poteſt cognoſci quid Romana, hoc eſt catholica ſequatur, & ſervet Eccleſia.* Ipſi adſtipulatur Fulgentius lib. de fide ad Petrum cap. 35: *Firmiſſime crede, omnes . . . , quos vaſa miſericordiae gratuita bonitate Deus fecit, in adoptionem filiorum Dei eſſe praedeſtinatos a Deo . . . . Praedeſtinatio illa gratuita donationis eſt praeparatio*; quod quidem etiam adoptarunt Praeſules Africani in Sardinia exſules in epiſt. ſynodica.

Seculo autem ſeptimo habemus Gregorium Magnum *lib. 29 Moralium cap. 15*, ubi docet ex inſcrutabili Dei voluntate, ac judicio pendere Praedeſtinationem; & in epiſt. ad Romanos: *Nemo ſcrutari appetat, cur alius repellitur, alius eligatur; inſcrutabilia ſunt judicia eius.* Huic concinuit Iſidorus Hiſpalenſis.

Jam vero ſeculo octavo nobis ſe offert venerabilis Beda, cuius ſunt haec verba in epiſtolam ad Romanos: *Satis ſit Chriſtiano . . . . noſſe, quod Deus neminem liberet* (intellige ex eadem maſſa damnationis); *niſi gratuita miſericordia, & neminem damnet, niſi aequiſſima veritate.*

Seculum autem nonum aliis longe excedit in Eccleſiaſticorum ſcriptorum numero Praedeſtinationem gratuitam de-

sendentium. Huiusmodi fuerunt Remigius Lugdunensis de tenenda Scripturae veritate. Florus eiusdem Ecclesiae Diaconus in sermone de Praedestinatione, Ratramus Corbeiensis *in duobus libris de Praedest.*, tum synodus Valentina capitulo 3, concilium Tullense can. 3.

Seculum decimum exhibet Remigium Altissiodorensem, vel quivis sit auctor in epistolam *ad Rom. ad caput* 8, & 9.

Seculum undecimum Anselmum Cantuariensem in tractatu de concordia praescientiae, Praedestinationis, & liberi arbitrii.

Seculo 12 habemus s. Bernardum, qui Patrum agmen claudens traditioni pariter finem imponit: ait autem sermone IV in dominicam primam novembris: *Initium meum solius gratiae est, & non habeo quid mihi in Praedestinatione adtribuam*; & sermone 78 n. 3: *Intuere mecum in hoc ... opera nostrae salutis tria esse; quaedam, quae sibi vindicat auctor Deus, praevenitque in illis auxiliationes, & cooperationes suas, Praedestinationem, vocationem, inspirationem*: ergo juxta Bernardi sententiam, uti vocatio, & inspiratio gratuita sunt, ita & Praedestinatio. Testimonia haec, ut vides merae non sunt conjecturae ad arbitrium fictae, ut quamdam sententiae nostrae auctoritatem conciliemus, sed disertae Patrum locutiones, & veteris Ecclesiae constans, & perpetua doctrina, quae profecto fidem integram lectoribus fecerit, modo studio partium vacui sint, & ingenii non illiberalis.

§. III

argumenta ex Theologorum, & accademiarum suffragiis ducta.

Quae sit Theologorum in rebus ad sacram doctrinam spectantibus auctoritas, non est, cur hoc loco exponam. Consulendi sunt quotquot de locis Theologicis scripserunt, inter quos eminet Melchior Canus.

59 Theologorum autem princeps certe est Divus Thomas, quem in praesenti controversia nobiscum sentire aperte probant ipsius verba hic q. 23 *art.* 5 *ad* 3: *Quare hos elegit in gloriam, & illos reprobavit, non habet rationem, nisi divinam voluntatem*; & in cap. 9 epist. ad Rom. lect. 3: *Non potest esse, quod merita consequentia gratiam sint*

ratio

ratio miserendi, aut praedestinandi, sed sola Dei voluntas secundum quam aliquos misericorditer liberat. Demum in epist. ad Ephes. cap. 1: *Ponit Apostolus voluntariam Dei Praedestinationem, cuius quidem Praedestinationis ratio non sunt merita nostra, sed mera Dei voluntas, propter quod subdit secundum propositum eius.*

Divo Thomae, & communi Thomistarum addunt quamplurimi Scotum, sed immerito: hic enim rem indecisam reliquit. Potiori jure addidissent quamplurimos Scotistas, quibus adjunge extra utramque scholam Cardinalem Bellarminum, Suarez, Toletum, Gregorium Ariminensem, aliosque sexcentos de re Theologica bene meritos, quorum unanimis in re praesenti consensus summum est veritatis argumentum. Hinc optimo jure sanxerunt celeberrimae accademiae Parisiensis, Lovaniensis, Duacensis: prima quidem anno 1347, altera in sua censura ad assert. 20 21, 23, 30: tertia demum ad assert. 1, & 20, ne quis contrariam sententiam adoptaret, & ab Augusti systemate deflecteret: quibus addi potest Taurinensis, cui a Divi Thomae placitis recedere religio est.

§. III

argumenta a ratione petita.

60 Evincitur I. Deus eligit aliquos gratuito ad finalem perseverantiam in gratia; atqui haec electio vel est illorum electio ad gloriam, vel saltem illam supponit: igitur gratuito, & non ex meritis eligit Deus ad gloriam. Maior certa est: quis enim neget perseverantiam finalem esse donum omnino gratuitum Dei? Minor suadetur; quia perseverantia finalis est medium efficax, & connexum cum gloria; atqui efficax electio medii efficacis, & infallibiliter conjuncti cum fine, vel est ipsa volitio finis, vel istam necessario supponit: electio igitur ad finalem perseverantiam vel erit ipsa electio ad gloriam, vel istam supponit. Atqui si est electio ad gloriam, jam ista erit gratuita, ut patet; si autem illam supponit, potiori jure dicenda est gratuita electio ad gloriam: cum enim electio ad perseverantiam finalem sit ante merita praevisa, ante ista dicenda pariter est electio ad gloriam, quae prior est electione ad perseverantiam. Mirum est quot ab adversa-

tiis quaerantur diverticula, ut ab hoc se laqueo expediant. Haec porro infra eludemus.

61 Evincitur II ratione depromta ex D. Thoma. *In Deo*, ait Angelicus, *ex parte actus volendi non potest adsignari caussa divinae voluntatis, ita ut propter hoc velit hoc, sed solum ex parte volitorum, in quantum vult hoc esse propter hoc, quatenus vult unum objectum ad aliud ordinari, & consequi caussam, & rationem, cur aliud velit*; atqui, admissa Praedestinatione post merita praevisa, jam Deus propter merita vellet gloriam, & non vellet propter gloriam esse merita, cum tamen certum sit, quod merita sint propter gloriam: ergo non movetur Deus ex meritis ad gloriam homini decernendam, quamvis velit merita esse propter gloriam.

62 Evincitur III, quia ex doctrina eiusdem Angelici praeceptoris, *i nobis voluntas diligendo non causat bonum, sed ex bono praeexsistente incitatur ad diligendum bonum; in Deo autem e converso: nam voluntas eius, qua vult bonum alicui, diligendo est caussa cur illud bonum ab eo prae aliis habeatur*: ergo cum electio ad gloriam sit efficax quaedam & peculiaris dilectio, ut monuimus supra, hominem certe non supponit dignum huiusmodi dilectione, sed imo efficit dignum, consequenter merita praecedit, & omnino est gratuita.

63 Evincitur IV; quia Praedestinatio juxta Augustinum *est praeparatio beneficiorum Dei, quibus certissime liberantur, quicumque liberantur*, ac proinde est ordinatio totius seriei mediorum, quae infallibiliter inferunt aeternae gloriae assecutionem; atqui praeparatio huiusmodi beneficiorum, & gratiarum ordinatio nequit esse ex meritis praevisis; quia merita sunt media praecipua, quae in laudata serie continentur; repugnat autem haec merita Deum movere ad eadem merita praeparanda, & ordinanda: ergo &c. His adde, quod, ut auctor est Augustinus lib. de Praedest. *ss.* cap. 10, *Praedestinatio est gratiae praeparatio, gratia vero est ipsius Praedestinationis effectus*; atqui praeparatio gratiae nullam habet caussam motivam ex parte hominis, cui gratia confertur: ergo nec Praedestinatio. Minor facile suadetur; quia si gratiae collatio, & praeparatio caussam habet ex parte hominis, cui confertur, homo sese ad illam disponet propriis naturae viribus, quibus proinde aliquid boni praestabit pertinens ad salutem contra locutiones apertissimas Scripturarum a nobis laudatas superius;

tum

tum quia in ea hypotesi secundum merita nostra confertur: ut enim monet sanctus Prosper lib. adversus Collatorem, *tunc gratia secundum merita nostra datur, cum aliquid praecedit boni operis ex hominibus, propter quod gratiam consequantur*; atqui id damnatum habemus in concilio Palaestino, universa Ecclesia huiusmodi damnationem adprobante: ergo &c.

64 Evincitur V plura congerendo. Et primo si Praedestinatio sit post merita praevisa, tunc discretio praedestinatorum a reprobis erit ab homine, ut patet, contra ac sentiat Apostolus clamans 1 ad Cor. 4: *quis enim te discernit?* Ubi diserte innuit discretionem laudatam esse a solo Deo, non ab homine, etiam ut adjuto divina gratia. Secundo gloria intenditur a Deo, ut finis; merita ergo & eliguntur, & intenduntur ut media: ergo, cum media sint propter finem, profecto Deus prius velle non potest merita, quam gloriam, nec istam propter illa. Tertio, ut optime ratiocinatur D. Thomas quaest. 6. de verit. art. 2 in corp.: *Finis divinae voluntatis est ipsa Dei bonitas, quae non dependet ab aliquo alio, & ideo voluntas eius non inclinatur primo ad aliquid faciendum per modum debiti, sed liberaliter tantum. Ubicumque autem aliquid occurrit, sine quo aliud a Deo volitum esse possit, hoc non procedit ab eo secundum rationem debiti, sed secundum meram liberalitatem. Perfectio autem gratiae, & gloriae, sunt huiusmodi bona, quod sine his natura esse potest; excedunt enim naturalis virtutis limites, unde quod Deus alicui velit dare gratiam, & gloriam, hoc ex mera liberalitate procedit; in his autem, quae ex mera liberalitate procedunt, caussa volendi est superabundans affectio bonitatis*; unde caussa Praedestinationis nihil aliud est, quam bonitas Dei. Hic jam probationum finis esto.

Respondetur objectis ex scriptura petitis, quibus & suam sententiam firmare conantur adversarii, & primum momentum a nobis adductum elidere.

65 Opponitur I. Matth. 25 habetur, Christum in ultimo judicio sic ad justos locuturum: *Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi: esurivi enim, & dedistis mihi manducare &c.*; atqui τὸ *enim* est ratio caussalis, propter quam nedum gloria in tempore confertur, sed etiam regnum fuit ab aeterno praeparatum: ergo &c.

II, Adducunt ea Scripturae loca, in quibus gloria vocatur merces, praemium &c., uti apud Matth. 20: *voca operarios, & redde eis mercedem*; cap 25.: *quia in pauca fuisti fidelis, intra in gaudium Domini tui*; 2 ad Timoth. 4: *reposita est mihi corona justitiae*; 3 illud Apostoli 1 ad Cor 20: *nec in cor hominis ascendit quae praeparavit his, qui diligunt illum*; 4 illud ad Rom. 8: *quos praescivit, & praedestinavit conformes fieri imaginis filii sui*; quasi diceret quos conformes futuros imaginis filii sui praescivit, hos praedestinavit: cui explicationi favet Ambrosius inquiens: *quos praescivit devotos, elegit ad promissa praemia capessenda*. Ad ea vero testimonia Scripturarum, quae ad rem nostram conducere supra significavimus, multiplex est eorum responsio. Illud enim Ephes. 1 *elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti* explicant de electione ad gratiam; quod indicare videntur ea verba, *ut essemus sancti*, quod quidem reponunt etiam ad illud Rom. 9: *cum enim nondum nati essent, aut aliquid boni egissent, aut mali (ut secundum electionem propositum Dei maneret) non ex operibus, sed ex Deo vocante dictum est ei*; necnon ad illud Rom. 11: *reliquiae secundum electionem gratiae salvae factae sunt, si autem gratia, jam non ex operibus*.

Resp. ad I nonnulli Thomistae, ut Godoii, Gonet, aliique duplex in Deo decretum admittendo, unum intentivum, quo Deus decernit gloriam aliquibus conferre, aliud exsecutivum, quod est actus exsecutivus, seu activus Dei conferentis in tempore gloriam. Decretum prius volunt esse gratuitum, & ante merita praevisa, alterum ex justitia, & ex meritis praevisis. Hinc aiunt, textum illum primo loco adductum ab adversariis explicandum esse de decreto exsecutivo, non de intentivo.

Decretum istud reiiciunt alii gravissimi eiusdem Scholae Theologi (& merito, ut infra videbimus) cuiusmodi sunt Salmaticenses, Alvarez &c., bonasque horas collocant, ut duplicem hunc actum a Deo excludant; nos utrique parti satis consultum arbitramur, si, reiecto duplici illo decreto, ordinem dumtaxat duplicem admittamus, intentionis nempe, & exsecutionis, decretum scilicet internum Dei de conferenda gloria, & ipsam gloriam passive comparatam, seu, ut aiunt, receptam a praedestinato. Hinc superius consulto dixi, admittendum esse duplicem hunc ordinem, quin duplicis decreti vocabulum quibusdam Thomistis plus aequo familiare adhibeatur. Hinc.

Resp.

Resp. ad I concedendo maiorem, distinguendo minorem. Si τὸ *enim* referatur ad τὸ *paratum*. Concedo. Si ad τὸ *possidete*. Nego minorem, & consequentiam. Particula *enim* in textu laudato non significat caussam, propter quam *paratum sit regnum*, sed propter quam *possideatur*. Hinc verba illa *esurivi*, & *dedistis mihi manducare*, ad illa referuntur *venite*, *possidete*, non ad illa *paratum vobis regnum*: nam Christus ibidem non loquitur de suo Praedestinationis decreto, sed de illius exsecutione, videlicet de finali judicio, in quo gloria meritis rependetur, quod quidem liquido constat; ubi, si de praeparatione ad gloriam loqueretur, profecto dixisset, quia vos praevidebam mihi esurienti escam in tempore collaturos. Quibus adde quod, si particula *enim* ad illam vocem paratum referatur, ignis aeternus Diabolo, eiusque Angelis paratus erit ob hominum peccata praeterita, aiente Christo: *qui paratus est Diabolo*, & *Angelis*: *esurivi enim*, & *non dedistis* &c Hoc autem si dixero, spissae risum tollent impune coronaé. Dicendum igitur, quod, quemadmodum τὸ *esurivi enim*, & *non dedistis mihi*, non refertur ad ea verba *qui paratus est Diabolo*, sed ad illa *discedite a me*; ita nec ad τὸ *paratum* referri dicenda sunt ea alia, *venite*, *benedicti*: sed ad τὸ *possidete*. Qui enim aliter particularum constructionem velit efferri, hic certe merebitur sub ferula pallere magistra, utpote Gramatices legum imperitu.

Ad II. Integros illos textus de beatitudine sumta in exsecutione intelligi volumus, non in Dei intentione. Nam licet Deus in intentione independenter a meritis homines ad gloriam elegerit; hanc tamen in exsecutione per merita comparari decrevit, quatenus non vult ipsam obtineri, nisi ut mercedem, praemium, & bravium: ac proinde nisi ab iis, qui bonis operibus, & meritis sint instructi.

Ad III. Distinguitur, quae praeparavit Deus his, qui diligunt illum, idest, quae praeparavit danda his, qui diligunt illum. Concedo. Quae praeparavit his, qui diligunt illum, quasi Deus ea praeparaverit propter dilectionem, quae fuerit caussa praeparationis. Nego.

Ad IV. Nego huiusmodi interpretationem tribui posse laudato Apostoli testimonio: nam τὸ *praescivit* ibidem non significat praeviam bonorum operum cognitionem, quasi Deus eos solum praedestinaverit, quos imaginis Filii sui conformes futuros praesciverat, sed significat praedilectionem

nem

nem, qua Deus elegit ad gratiam conformitatis imaginis cum *Filio suo*, quos ab aeterno praedilexit, & elegit. Suadet hoc primo huius loci contextus: nam de operum praevisione altum ibi servat silentium, & in versu antecedenti Praedestinationem appellat, non ex meritis, sed merum divinae voluntatis beneplacitum. II quod cap. 11 eiusdem epistolae *praescire* idem reddit, ac praediligere: sic enim loquitur *non repulit Deus plebem suam, quam praescivit*. Hinc illud etiam didiceris, eum fuisse Hebraeorum morem, ut *scire, cognoscere, amare, & approbare* promiscue passim usurparent, & *nescire* pro reprobare, juxta illud *nescio vos* Matth. 25. Nisi velis illud responsum adhibere a pluribus usurpatum, nempe *praescivit* conjungi, cum *praedestinavit*, ut palam significetur idem juxta phrasim Apostoli esse *praescire*, ac *praedestinare*, & sola ratione differre; cum illud suadeat Augustinus, lib. de Praedest. ss. cap. 10 aiens: *Praedestinatione Deus ea praescivit, quae fuerat ipse facturus*; lib. de dono persever. cap. 18; *aliquando Praedestinatio significatur nomine praescientiae, sicut ait Apostolus* Rom. 11: *non repulit Deus plebem suam, quam praescivit; quod ait praescivit, non recte intelligitur, nisi praedestinavit, quod circumstantia ipsius lectionis ostendit.* Vide etiam sanctum Thomam *in cap*: 8 *epistolae ad Rom. lectione* 8. Hinc testimonii ab Ambrosio desumti sensus hic est, quod eos, quos Deus praedestinavit, seu praeordinavit sibi fore devotos, hos Deus elegit ad promissa hominibus justis praemia obtinenda; nec enim alium ob finem eos Deus praescivit, seu praeordinavit sibi fore devotos, nisi ut praemia illa obtinerent, ad quae meritis comparanda illos elegerat: ergo vides τὸ *praescivit* pro *praedestinavit*, seu *praeordinavit* adsumi juxta regulam Augustini cap. 19 de dono persever.: *quando apud aliquos verbi pertractatores legimus Dei praescientiam, & agitur de vocatione electorum, eamdem Praedestinationem possumus intelligere.*

Quod addebant adversarii textus Scripturarum a nobis laudatos de electione ad gratiam, non vero ad gloriam esse explicandos, eamque esse gratuitam, non istam, facile falsitatis convincitur. Illud enim *elegit nos, ut essemus sancti*, interpretatur Augustinus de electione ad gloriam *lib.* 1 *Ad Simplicianum quaest.* 2: tum quia perspicuum est, textum illum ita potius esse reddendum, elegit nos ad gloriam, ut hanc per merita comparemus, ac pro-

proinde, ut sancti simus, quam ut volunt adversarii. Sensus enim esset: nos Deus elegit ad esse sanctos, ut essemus sancti, quod nimis frigide dictum videtur.

His adde, quod electio in sacris Literis frequentius usurpatur pro electione ad gloriam, quam pro electione ad gratiam iuxta illud: *Multi sunt vocati, pauci vero electi.* Ubi vides τὸ *electi* significare electionem ad gloriam, τὸ *vocati* electionem ad gratiam, qua plures vocantur, licet ad gloriam non eligantur. Porro de electione ad gratiam nec potest intelligi aliud Apostoli testimonium: *Cum enim nondum nati essent &c.*; nec etiam illud: *Reliquiae secundum electionem gratiae salvae factae sunt &c.* Nimirum quia ibidem subdit Apostolus: *An non habet potestatem figulus ex eadem luti massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud in contumeliam?* Quis porro dixerit electionem ad gratiam hic designari per electionem *vasis in honorem*. Cum electus ad gratiam possit damnari, electus autem ad gloriam infallibiliter salutem consequatur. Igitur ex scopo D. Pauli vas electionis in honorem significat electum ad gloriam certe adsequendam, non item secundum. Nam ibi loquitur Apostolus de electione ad gloriam: quaerit enim prius ad modum dubitantis *an Deus repulerit plebem suam.* Inde respondet negative addendo, aliquos a Deo electos esse, qui salvi fierent. Porro cum gratia etiam reprobis conferatur, non poterat Apostolus plebem Israel ab iis excludere, qui gratiam recipiant: dubium igitur dumtaxat esse poterat, an Israel esset exclusus a gloria. Et respondet negative, quatenus plures ex ipsis electi sunt a Deo non ad gratiam, quia hanc omnibus reprobis etiam Judaeis largitur Deus: ergo ad gloriam.

Explicantur testimonia D. Augustini nobis objecta, eumque nobis suffragari novis argumentis demonstratur.

66 Opponitur I. Divus Augustinus laudari nequit tamquam gratuitae Praedestinationis adsertor, si eam passim post merita praevisa docuerit; ita est: ergo &c. Minor suadetur primo ex eiusdem verbis lib. 10. ad Simplicianum quaest. 2: *Quomodo enim est justa, aut qualiscumque omnino electio, ubi nulla est distinctio? si enim nullo merito electus est Jacob, nec omnino eligi potuit, nulla exsistente differentia . . . . non itaque electus est, ut fieret bonus, sed bonus factus eligi potuit . . . non ergo secundum electionem*

pro-

propositum Dei manet, sed ex proposito electio, idest non quia invenit Deus opera bona in hominibus, quae eligat, ideo manet propositum justificationis ipsius, sed quia illud manet, ut justificet credentes, ideo invenit opera, quae jam eligat ad regnum caelorum . . non tamen electio praecedit justificationem, sed electionem justificatio; nemo enim eligitur, nisi jam distans ab eo, qui reiicitur: unde, quod dictum est (quia elegit nos ante mundi constitutionem) non video quomodo sit dictum, nisi per praescientiam Secundo loco producitur ab adversariis eiusdem testimonium serm. 100. n. 3: *elegit autem, sicut dicit Apostolus, & secundum suam gratiam, & secundum illorum justitiam*; electio igitur *prout ex justitia, fit & ex meritis praevisis.* III. Illud in lib. de gratia, & lib. arbitrio cap. 6., ubi cum a Pelagianis duplicem gratiam distingui intelligeret, gratuitam unam, videlicet peccatorum remissionem, alteram ex meritis, nimirum vitam aeternam, de hac sic ait, *si merita nostra sic intelligerent, ut etiam ipsa Dei dona esse cognoscerent, non esset reprobanda ista sententia:* ergo Praedestinationem secundum merita non reiicit Augustinus. IV opponitur quod scribit lib. 8 trium quaestionum quaest. 68: *cuius vult miseretur, & quem vult indurat; haec voluntas Dei injusta esse non potest: venit enim de occultissimis meritis . . . praevidit ergo aliquid in peccatoribus, quo, quamvis nondum sint justificati, digni efficiantur justificatione &c.* V obiicitur eiusdem locus serm. 223 de temp.: *multi scire volunt, quare illum vocat ad se Dominus, & illum non vocat. . . . hunc dignum habet, illum indignum. Audi homo: hunc dignum habet pro bonis operibus suis, illum habet indignum pro operibus suis malis.*

Quae autem a nobis adducta sunt Augustini testimonia nobis in speciem faventia, haec de Praedestinatione gratuita intelligi nequeunt: nam primo Augustinus reiicit dumtaxat Praedestinationem ad gloriam ex praevisis meritis naturalibus, quod unum erat controversiae caput inter ipsum, & Pelagianos, non vero quae pendent ex meritis supernaturalibus praevisis. II alicubi potest exponi de Praedestinatione ad gratiam, vel, si vis ad gratiam perseverantem finaliter, qua certe glorificandi a damnatis secernuntur.

Resp. ad argumentum negando minorem: ad cuius probationem multiplex est auctorum responsio. Prima est Bellarmini *lib. 2 de gratia, & libero arbitrio*, Augustinum scilicet ea scripsisse, cum junior adhuc esset, nec rationes sen-

sententiam de Praedestinatione gratuita suadentes diligenter expendisset. Responsum hoc adoptant illi, qui censent, hic Augustinum ad modum dubitantis locutum esse. Porro ubi ad illud Apostoli testimonium pervenit, *quis te discernit?* dubium omne seposuit, & Praedestinationem gratuitam pro aris, & focis propugnavit, ut idem sanctus Doctor testatur *lib. de Praedest. ss. cap.* 3, *&* 4: ubi etiam arguit Semipelagianos, quod iis tantum uterentur, quae in libro illo ad Simplicianum innuerat, non quae mutata saniori consilio sententia posterioribus libris vulgavit.

Respondent alii, duplicem decreti speciem in Deo admittendo, intentivum unum a meritis independens, aliud exsecutivum ex justitia, & non gratuitum. At isti, ut jam dixi, nodum disrumpunt, sed non solvunt.

Sunt demum, qui negant ea ab Augustino adhuc juniore fuisse conscripta, sed ab ipso jam Episcopo ordinato, cum anno 397 scriptae fuerint ab eodem quaestiones ad Simplicianum. Ab his autem haec adducitur textui laudato responsio, quod nempe sanctus Doctor, licet tunc temporis ratam firmamque haberet de gratuita Praedestinatione sententiam, tamen id aperte affirmare non audebat de electione; censebat nomen electionis tunc solum habere locum, quando is, qui eligitur, meritis distat ab eo, qui reiicitur. Verum hunc scrupulum secutis temporibus deposuit, quando adversus Pelagianos calamum acuit: tunc enim, re maturius discussa, docuit electionem fieri ante merita praevisa; idque passim sine ulla dubitatione ab eodem adsertum videmus *lib.* 1 *retract. cap.* 22 *de Praedest. ss. cap.* 4, *&* 5, *& lib.* 5. *contra Julianum cap.* 3 *serm.* 11 *de verbis Apostoli*, & alibi passim. Hinc in libro ad Simplicianum, a quo desumta est prima adversariorum objectio, hic Praedestinationis ordo a sancto Patre intexitur, ut scrupulum memoratum de electione cum sententia de Praedestinatione gratuita conciliaret. Primo admittit propositum quoddam efficax, & absolutum, quo Deus aliquos homines ab aliis vult secernere. II ex huiusmodi proposito censet, gratiam efficacem derivari. III ex ista profluere merita. IV homines illos in eo signo, utpote ab aliis nullo meritorum subsidio suffultis jam distantes eligi adfirmat. Porro etiam in hoc systemate Praedestinatio, quae est illud propositum juxta mentem Augustini, est ante merita praevisa, electio autem solum

 or-

ordinem exſecutionis videtur ſpectare, in quo nihil incongrui eſt, ſi meritis poſterior admittatur.

Ad II dico, priorem Praedeſtinationem, utpote ſecundum gratiam, eſſe a meritis independentem: alteram vero, quae eſt prioris exſecutio, & ad ordinem exſecutivum ſpectans, eſſe ſecundum electorum merita.

Ad III reſpondeo, inde tantum inferri ſententiam contrariam reprobandam non eſſe ut haereticam, quod etiam libens concedo. Sed illud fidenter nego, hanc ibidem ab Auguſtino adoptari, ſuamque fieri, priori placito de Praedeſtinatione gratuita dimiſſo.

Ad IV reſpondeo, ſanctum Doctorem hic non agere de Praedeſtinatione, ſed de juſtificatione, & peccatorum obduratione, quae cauſſas habet occultiſſimas, ſolique Deo pervias, ut liquet ex eiuſdem verbis ſuperius in objectione recitatis. Sane licet Auguſtinus meritum aliquod ad juſtificationem admittat, quatenus, etiam ipſo docente, unus Praedeſtinationis effectus rationem habet meriti relate ad alium, meritum tamen nullum admittit Deum ad Praedeſtinationem impellens, & movens. Cave tamen ne credas, meritum illud ad juſtificationem ab Auguſtino praeſuppoſitum ab eodem intelligi ſolis naturae viribus comparatum: nam *lib. 2 retract.* explicans haec ipſa verba, quae nobis nunc opponuntur, haec habet: *hoc dictum eſt poſt poenitentiam . . . . . miſericordia Dei etiam ipſa praeveniens voluntatem, quae, ſi non eſſet, non praepararetur voluntas a Domino.*

Ad V. Auguſtinus ibidem non loquitur de Praedeſtinatione in ordine intentionis, cuius explicandae nulla erat neceſſitas, dum concionem habebat ad populum, cuius utilitati ſua tunc deſudabat induſtria; ſed ſolum indicat gloriae collationem in ordine exſecutionis, & de admiſſis culpis vindictam. Porro in eo ſtatu certe gloriam non obtinet, niſi dignus, eaque caret ſolus indignus. Quid autem neceſſe eſſet ad plebis imperitae animas ad bonas operationes impellendas myſterium Praedeſtinationis in ordine intentivo explicare, illudque pro eo ſigno a meritis independens ſuadere? Profecto ab iſtis nullatenus eſſe dependens, quo erat ingenio, pluribus ſuaſit, ac palam demonſtravit ſanctus Doctor, quando cum Pelagianis, & Semipelagianis cominus pugna ipſi fuit. Tunc enim aliam phraſim adoptavit, ut probant eius verba lib. de Praedeſt. ss. cap. 9: *Cur iſtum potius, quam illum liberet, inſcrutabi-*

lia

lia sunt judicia eius, & investigabiles viae eius; & lib. de dono preserv. cap. 11: *Investigabilis est misericordia, qua cuius vult, miseretur, nullis eius praecedentibus meritis: & investigabilis veritas, qua, quem vult, indurat, eius quidem praecedentibus meritis, sed cum eo, cuius miseretur, plerumque communibus.*

Quod addebant, Augustinum praesidio nulli nobis esse, tam falsum est, quam quod maxime. Nam primo perfracte negamus, reiectam dumtaxat fuisse ab Augustino Praedestinationem pendentem ex meritis pure naturalibus: nam si meritorum dumtaxat naturalium praevisionem excluderet, non vero meritorum etiam supernaturalium, profecto non reiiceret praescientiam decretum Praedestinationis antecedentem, quinimo eamdem diserte adoptaret; atqui totus est in quavis meritorum praescientia decretum antecedente excludenda, ut probant aperte eius verba lib. de Praedest. ss cap. 18, & 19: *Elegit nos, ut essemus sancti . . . . non ergo quia futuri eramus, sed, ut essemus; nempe certum est . . . non quia futuros nos tales esse praescivit, sed ut essemus tales per electionem gratiae suae, qua gratificavit nos in Christo. Cum ergo nos praedestinavit, opus suum praescivit, quo nos sanctos, & immaculatos facit*. Illud igitur compertum omnibus esse debet, quamvis meritorum supernaturalium etiam praevisionem Praedestinationis decretum antecedentem reiici ab Augustino, ac proinde Praedestinationem a meritis etiam supernaturalibus suspensam. Et sane quisquis in operum Augustini plane hospes non sit, is certe fatebitur, omnem futurorum meritorum praevisionem a sancto Doctore constanter excludi, quae divinam Praedestinationem praecedat. Hoc enim, quamquam non suppeterent alia, diserte suadetur illis verbis, quibus *lib. de gratia, & libero arbitrio cap.* 9 ea verba Apostoli *ad Rom.* 6 interpretatur. Ait enim: *cum posset dicere Apostolus . . . stipendium autem justitiae vita aeterna, maluit autem dicere, gratia autem Dei vita aeterna, ut hinc intelligeremus, non pro meritis nostris Deum nos ad aeternam vitam, sed pro sua pietate perducere.* Quibus etiam addiderim, quod, si solam Praedestinationem post merita naturalia praevisa damnasset Augustinus, profecto Prosper in epistolis ad ipsum datis amaros nonnullorum questus eidem non significasset, qui se ante meritorum praevisionem praedestinatos juxta sententiam Augustini existimantes, turbatos se se fatebantur, quod nul-

 lus

lus ad merendum locus ipsis superesset, quo possent sibi gloriam comparare, ad quam, si non erant electi, nuspiam potuissent etiam merendo pertingere. Profecto si Augustinus Praedestinationem post merita supernaturalia praevisa admisisset, cur a Prospero turbatis his hominibus pax, & tranquillitas, quod facile erat, non fuit restituta, aiendo, ab Augustino reiectam solum fuisse Praedestinationem ex meritis naturalibus, non quae ex supernaturalibus penderet? Illud itaque tenendum, quod jam superius est a me insinuatum, neminem acutius prae Augustino gratuitam Praedestinationem, & a meritis etiam supernaturalibus independentem propugnasse, nec ab ipso solum fuisse reiectam Praedestinationem ex praevisione meritorum naturalium pendentem.

II. Miror adversariorum suffugium, ac subtilitatem, qui ex hoc, quod Augustinus alicubi loquatur de Praedestinatione ad gratiam, in locis, quos laudavimus, semper de ea loqui adseverant. De electione ad gratiam loquitur Augustinus *lib. de dono persever. cap.* 19, & alibi passim, ubi Praedestinationem ad gratiam probat esse gratuitam; quae quidem testimonia nos etiam in rem nostram ad id probandum traduximus. At quorsum Praedestinationis ad gratiam meminit Augustinus, ubi palam de electione ad regnum caelorum mentem suam aperit? Vis argumentum, quod rem explanet? En lib. de corrept., & gratia cap. 6, ubi ad illud Joan. 6 *nonne ego vos duodecim elegi, & unus ex vobis Diabolus est?* sic interpretatur: *Illos debemus intelligere electos per misericordiam, illum per judicium; illos ergo elegit ad obtinendum regnum suum, item ad effundendum sanguinem suum*. Quod quidem quo sensu intelligi debeat, jam a me explanatum est in tractatu de divina voluntate.

Quod etiam addunt de gratia finali, mihi vel stomachum movet, vel risum. Si enim adversarius Theologus esset, ut debet, ignorare non posset gratiam finalem non supponere Praedestinationem, vel nihil esse praeter ipsam. Hinc si Augustinus vult electionem ad huiusmodi gratiam gratuitam esse, ab ipso pariter electionem ad gloriam gratuitam defendi necessum est.

Expli-

Explicantur Patres Augustino priores, vel posteriores, qui nobis adversari videntur, quosque pro nostra sententia superius adduximus.

67 Opponitur primo. Graeci Patres semper, ac plures ex Latinis, qui Augustinum praecesserunt, passim docuerunt, eos esse ad gloriam praedestinatos, quos Deus pie sanćteque victuros praevidit: ergo &c. Antecedens probatur I: quia multi ex illis dixere, partes nostras esse, ut incipiamus, ac velimus, Dei vero conatus nostros adjuvare; atqui id significat meritis nostris ea nos forte dignos reddere debere, qua Deus nos elegit ad gloriam: ergo &c. Ita sanctus Irenaeus *lib.* 4 *cap.* 18, Clemens Alexandrinus *lib.* 8 *stromatum*, Optatus *lib.* 2, Ambrosius *lib.* 2 *de Abraham cap.* 10, *& in commentariis in epistolas D. Pauli*, Hieronymus *lib.* 3 *contra Pelagianos*, Theodoretus, aliique passim. II nonnullos habemus adserentes illis gratiam a supremo Numine conferri, quos Deus praeviderit ad pietatis sensus peculiariter adfectos. Ita Gregorius Nazianzenus *orat.* 19, Basilius *in psal.* 33, Hieronymus, Origenes &c.: ergo si gratia datur ex meritis, a fortiori gloria. III Ambrosius *lib.* 2, & Chrysostomus *homil.* 16 *in epistolam ad Rom.* adfirmant, a Deo omnes indiscriminatim vocari; horum autem aliquos divinae vocationi obtemperantes dignos reddi, quos Deus eligat ad gloriam, alios se ad id non disponere, ac praeparare, divinae vocationi sese praebendo difficiles, ideoque reprobari. IV habemus agmen Patrum sentientium praescientiam meritorum praesupponi ad Praedestinationis decretum, & istud fieri juxta bonum arbitrii usum praevisum. Huiusmodi sunt Irenaeus *lib.* 4 *cap.* 36, Ambrosius *lib.* 5 *de fide cap.* 3, Hieronymus *in caput primum Malachiae*, *& in epistolam ad Rom.* 9, Chrysostomus *homil.* 16 *in eamdem*, Cyrillus Alexandr., Oecumenius, aliique. Hinc D. Prosper ad Augustinum scribens candide ipsum monet, non aliam fuisse veterum Patrum sententiam. V illud apud Chrysostomum legimus homil. 65 in Matth.: *Christum venisse quando, & ubi sciebat, homines in se esse credituros, & Gentibus praedicatum esse Evangelium, quia eas in fidem esse consensuras praesciebat*. Ex his igitur satis compertum videmus Patrum, qui ante, vel post Augustinum vixerunt, communem fuisse sententiam, caussam Praedestina-

 tionis

tionis ad gloriam esse meritorum seriem a Deo praevisam.

Resp. ad huiusmodi argumentum. Petavius, in cuius commendationem illud fidenter pronuntiarim, ei tantum debere facultatem theologicam, quantum vix alteri, respondet, inquam, *lib.* 9 *de Deo*: cum de gratia, ac Praedestinatione disputandum est, minor haberi solet antiquorum Patrum ratio, qui ante Pelagianam haeresim exstiterunt, quam eorum, qui postea sunt secuti. Longe audacior videri possem, si eos dicerem aliquid humani passos esse, ac Pelagianorum erroribus nonnihil fuisse involutos, ut de se fatetur ipse Augustinus *lib.* 1 *retract. cap.* 25; quod tamen adfirmant nonnulli, quorum nominibus parcere decet.

Sed nobis iniqua prorsus, & invisa res videtur, tot Patres de Ecclesia, de fide optime meritos, tamquam haereticorum fautores prodere, & Augustini sententiam discrimini committere, ut novitatis argui possit. Hinc saniori consilio Patres illos nuspiam errasse volumus (nisi unum, vel alterum excipias) cum eos in suae sententiae patrocinium advocet Augustinus *lib. de Praedest. ss.*, eosque, ubi durius locuti sunt, in rectum sensum emolliri posse censemus; secus uti olim Semipelagiani Patres pro ipsis stare adfirmabant, ita nunc sibi ipsos favere obtrudere nobis possent nostri temporis Novatores.

Quare ad crytices regulas omnia, quae hic nobis opponuntur, exigemus. Prima ex his regulis haec est, quod aliqui ex Patribus in objectione laudatis fidem nullam merentur eo, quod a Pelagianorum erroribus non fuerint alieni. Huiusmodi sunt Origenes, de quo illud Hieronymi Epist. ad Ctesiphontem, *Pelagii doctrina Origenis ramusculus est*, Theodoretus, atque Oecumenius, qui, cum Origenis doctrinam in libris suis adoptaverint, caute in hoc dogmate legendi sunt; & oportet, ut simus, quod dicitur, inter spinas calceati.

Secunda regula est, quod, si aliquorum Patrum testimonia crude, ut sonant, admittantur; non tam Praedestinatio ex meritis dependens ipsis adstrui videtur, sed & ipsa haeresis Pelagiana. Hinc, uti apud omnes bene audiunt quotquot Moliniano systemati addicti Patres illos a nota Pelagianismi vindicant, quantum in se est, eorum verba in sensum rectum, ut debent inflectentes, ita nemo causari nos poterit, si eosdem Patres ad mentem

Au-

Augustini locutos esse ostendamus, sensu accommodo eorum testimonia explicando.

Tertia est, quod, cum ante Pelagii errores excitatae non fuissent de Praedestinatione, & de gratia controversiae, mirum non est, si Patres aliquando minus accurate locuti fuerint in hac re, in qua quidem diligentius investiganda eorum non desudabat industria, cum nullos haberent Novatores in hoc fidei capite refellendos. Regulam istam accepimus ab Augustino lib. de Praedest. ss. cap. 11: *Quid igitur* (sunt eius verba) *opus est, ut eorum scrutemur opuscula, qui, priusquam ista haeresis oriretur, non habuerunt necessitatem in hac difficili ad solvendum quaestione versari? quod profecto facerent, si respondere talibus cogerentur; unde factum, ut quid de gratia Dei sentirent, breviter Scripturarum sacrarum locis, & transeunter attingerent.* Tum lib. de dono persever. cap. 20: *Haec est Praedestinatio manifesta, & certa sanctorum, quam posteri diligentius, & operosius, cum jam contra Pelagianos disputaremus, defendere necessitas compulit: didicimus enim singulas haereses intulisse Ecclesiae proprias quaestiones, contra quas diligentius defenderetur Scriptura divina, quam si nulla talis necessitas cogeret.* Et sane, si canonem istum non admittant verbi Dei, ac sacrae huius facultatis tractatores, dicendum erit, Patres illos, qui Arianam haeresim praecesserunt, longe alienos fuisse a communi Ecclesiae sensu, eo quod duriuscula quaedam eisdem verba in scribendo exciderint non facile concilianda cum fidei dogmate de verbi divinitate; atqui nemo erit usque adeo morosus, & cavillator, qui asperiora ipsorum testimonia ad communem fidei normam non revocet. Quis igitur crimini nobis vertat, si Patres Pelagio anteriores minus accurate de Praedestinatione locutos benigna interpretatione exponamus? Licebit itaque nobis illud adoptare, quod in simili caussa scripsit *lib.* 10 *adversus Ruffinum* Hieronymus de Patribus, qui Nicaenum praecesserunt concilium, in quo Ariana haeresis damnata fuit, malisque notis mulctata. Illi certe (Patres) antequam haeresis nasceretur, innocenter quaedam, & minus caute locuti sunt.

Quarta regula est, non omnes libros, unde ducti sunt laudatorum Patrum textus, genuinos esse ipsorum foetus, sed spurios, & apocryphos, nullius proinde fidei apud eruditos. Huiusmodi sunt commentarii in epistolas D. Pauli, qui non Ambrosii opus, sed auctoris ignoti, & bre-

brevis commentarius, seu potius scholia Hieronymi in epistolas *ad Rom.*, cuius auctor non est Hieronymus, sed Pelagius ipse.

Quinta est, ipsos quandoque in sermonibus ad populum de Praedestinatione locutos esse, in quibus minus accurate se se explicarent, ut plebis ingenio, ac captui se se accommodarent, quam erudiebant: quae regula in tractatu de sacra doctrina fusius solet explicari.

Sexta demum est, ipsos facile posse explicari, ubi eorum locutiones asperiores videantur, explicari, inquam, vel de Praedestinatione in ordine exsecutionis, vel de ipsa inadaequate considerata, quatenus aliquis Praedestinationis effectus ad alium ordinatur, ita ut unus sit alterius caussa, ita docente Angelico Praeceptore; vel denique de praescientia, quae idem apud illos reddebat, atque Praedestinatio, ut ex Augustino *lib. de dono persever. cap.* 19 monebamus. Nunc ad rem venio.

Resp. ad argumentum negando antecedens; ad cuius primam probationem distinguo maiorem. Nostras esse partes inchoare per aliquod supremi numinis auxilium, istius autem uberiori gratia rem inchoatam juvare. Concedo maiorem. Inchoare sine ullo Dei auxilio, ut sentiebant Pelagiani. Nego maiorem, ut diserte constat ex testimoniis Hieronymi, Ambrosii, Hilarii, & Gregorii Nazianzeni, relatis a Vasquez *disput.* 91 *cap.* 8: & distinguo minorem. Si Patres in sensu Pelagiano locuti fuissent, ut temere putant aliqui. Transeat minor. Si sensu catholico. Subdistinguo. Significat. ea nos in exsecutione dignos sorte reddere debere, qua Deus nos eligat ad gloriam, idest ipsam conferat. Concedo minorem. In ordine intentionis, in qua Deus nos eligat, idest praedestinet ad gloriam. Nego minorem, & consequentiam.

Ad secundam eiusdem antecedentis probationem distinguo antecedens. Patres aliqui censent secundam gratiam ex praeviis laudabilibus dispositionibus a Deo praevisis, dispositionibus, inquam, gratiae supernaturali comparatis, eo sensu, quo diximus unam gratiam ad aliam ordinari. Concedo antecedens. Censent conferri primam gratiam. Nego antecedens; & utramque consequentiam.

Ad tertium. Sensus istorum Patrum est, quod Deus habet antecedentem omnes salvandi voluntatem; ex hac autem profluere varia, quae hominibus conferuntur auxilia, quibus recte utentes ad gloriam provehuntur, abutentes da-

damnantur; quod quidem exsecutionis ordinem spectat, non intentionis.

Ad quartum distinguo. Et Patres ibidem laudati loquuntur de Praedestinatione adaequate spectata. Nego. Inadaequate. Concedo. Sensus autem distinctionis hic est, quod Praedestinatio adaequate sumta, ac proinde, ut in se tota spectatur, decretum est liberationis completae quorumdam hominum e massa damnatorum, conferendo gratiam, finalem perseverantiam, & gloriam aeternam. Inadaequate vero spectata est idem decretum, prout seorsim respondet alicui ex memoratis beneficiis, puta, illi perseverantiae finali, illi gloriae in tempore ad modum praemii, ac coronae conferendae. Porro Praedestinatio adaequate sumta ex solo est Numinis beneplacito, nullumque supponit ex parte hominis meritum, cuius praerequirat in Deo praescientiam. Inadaequate vero spectata posterior dici potest ad aliquam praescientiam sic, prout respondet sanctificanti gratiae ob merita conferendae, supponit illorum praescientiam, ut finalis perseverantiae praescientia supponit decretum respondens gloriae ad instar praemii largiendae. Patres autem ad Praedestinationem sumtam inadaequate requiri volunt praescientiam; ad ipsam autem adaequate sumtam neutiquam. Hanc enim praescientiae vocabulo passim designari monuimus ex Augustino *lib. de dono persever. cap.* 18, & 19.

Ad quintum. Praescientiae nomine non eam sanctus Doctor intelligit, quae divinum decretum antevertat, sed quae idem sit cum divino decreto, vel saltem in eo fundetur. Unde Chrysostomi sensus est, quod, cum Deus Incarnationem ab aeterno decrevisset, decrevit pariter tempus eiusdem implendae, ac proinde gratias Gentibus conferendi, quae homines ad utilem Evangelii praedicationem praepararent. Prioris igitur decreti exsecutio pendebat ab exsecutione secundi: nihil ergo in laudato Chrysostomi testimonio est, quod adversariis suffragetur.

68 Opponitur II. Saltem negabit nemo, Patres Augustino posteriores in caussam Praedestinationis meritorum praevisionem adsignasse: nam auctor operis de vocatione Gentium lib. 2 cap. 10 ait: *Frustra dicitur, quod operandi vis non sit in electis, cum & ad hoc operentur, ut electi sint.* Concinuit sanctus Prosper ad objectionem tertiam Gallorum: *praedestinati non sunt, quia tales futuri ex voluntaria praevaricatione praesciti sunt.* Tum demum sanctus Fu-

genl-

gentius lib. 1 ad Monimum cap. 24: *Praedestinavit ad regnum, quos ad se praescivit misericordiae praevenientis auxilio credituros.*

Resp. ad 1, loci illius lectionem hanc esse, *cum etiam ad hoc, ut operentur, electi sint*; non quam inversam fabricant adversarii. Servata autem hac lectione, sequitur bonas operationes ex electione pendere, non hanc ex illis. Tum quia dato adversariis, auctorem illum legendum esse, ut opponunt, ipsum exponere facile possumus de ordine exsecutionis, in quo sancta esse debent justorum opera, ut gloriam consequantur, ad quam fuerunt electi.

Ad secundum concedo textum; sed nihil inde contra nos. Praedestinationis enim causa sola est ex parte Dei; reprobationis autem, ut videbimus, ex parte nostra: *Deus enim de suo misericors est, de nostro justus*, ut ait Tertullianus.

Ad tertium. Loquitur Fulgentius de praescientia fundata in Praedestinatione: nam dum Deus decernit aliquos ad gloriam, eos vult & gratiae suae adsensuros, &, quos tales esse decernit, praescit hoc certe modo evasuros, quo decrevit.

Adversae sententiae rationum momenta exsufflantur.

69 Opponitur I. Ideo electio ad gloriam praecedit meritorum praevisionem, quia gloria est finis relate ad merita, & haec sunt media relate ad illam, & finis intentio debet praecedere electionem mediorum; atqui id totum fallit in Deo: ergo &c. Minor suadetur, quia, si eo pacto ratiocinari de Deo debemus, id certe non aliam ob caussam, nisi quia caussalitas haec, & ordo inter objecta reperitur, & quia ita contingere videmus in humanarum rerum oeconomia, & provisione; atqui ex neutro capite probari potest, praevisionem meritorum non requiri in Deo, ut eligat ad gloriam: ergo &c. Minor probatur. Non ex primo, quia, licet ubi agitur de mediis physicis, intentio finis praeire debeat praevisioni mediorum, tamen res aliter longe se habet in mediis moralibus, quorum praevisio praecedere debet intentionem finis: sic merita, ut moveant voluntatem agentis ad praemium conferendum, debent praevideri: ergo &c. Non ex secundo, quia si supremus exercitus dux praepararet praemium militibus strenue se gerentibus ob eorum merita, profecto illud alicui militi absolute non decerneret, nisi ipsius bel-

licis

licis operibus praevisis: ergo & in re nostra. Insuper Deus in tempore gloriam non confert, nisi propter merita: ergo & ab aeterno hanc non intendit, nisi propter merita: ergo ex illorum praevisione hanc decrevit. Probatur, quia eodem modo, quo Deus dat gloriam in tempore, eo decrevit ab aeterno ipsam conferre. Hinc, si Deus in tempore eam non dat, nisi post merita, nec illam decrevit ab aeterno conferre, nisi post merita praevisa. Praeterea decretum Dei conferendi auxilia efficacia ad merendum prius esse debet decreto conferendi gloriam; atqui, si res ita sit, praevisio meritorum praecedit decretum Dei de danda gloria, seu electionem ad istam: ergo &c. Minor probatur; quia in eo signo, in quo concipimus Deum decernentem conferre auxilia efficacia ad merendum, concipimus pariter ipsum in tali decreto praevidentem absolute merita jam futura. Probatur itaque maior I: quia divinum decretum dandi auxilia efficacia ad merendum est decretum conferendi aliquid, quo Deus moveatur ad decretum de gloria conferenda; sed hoc aliquid sunt ipsa merita: ergo &c. II decretum conferendi gloriam non praecedit decretum conferendi merita: ergo decretum conferendi merita debet praeire decreto conferendi gloriam: quia ordo prioris, & posterioris admitti debet inter divina decreta. Antecedens suadetur. Primum decretum non praecedit secundum ex parte objecti; quia de facto gloria subsequitur merita, non vero praecedit, nec etiam illud praecedit ex parte actus divinae voluntatis; quia si decretum conferendi gloriam praecederet decretum conferendi merita, Deus decerneret merita, quia prius vellet gloriam conferri; ac proinde contra doctrinam D. Thomae superius laudatam a nobis non vellet merita esse propter gloriam, sed propter gloriam vellet merita: ergo &c. III in eiusdem maioris probationem illud etiam venit, quod divinorum decretorum ordo sumi debet ex ordine objectorum; atqui objectum decreti conferendi merita prius est objecto conferendi gloriam; merita enim gloriam praecedunt: ergo &c. Demum non intenditur a Deo gloria, nisi ut praemium: ergo non potest intendi, nisi meritis praevisis.

Ad primum resp. concedendo caussalem maioris in hoc sensu, quod merita sint media efficacia in ordine ad gloriam, quae est finis ipsorum; & hoc modo nobis a Deo sic decernente conferuntur, idest auxilia efficacia tribuuntur,

tur, quibus voluntas humana mota, & adjuta recte operatur. Nego minorem, ad cuius probationem primum potest maior negari. Nam sive negetur, sive concedatur hic ordo inter divina decreta, stat semper sarta tectaque ratio nostrae assertionis praecipua, nimirum quod electio etiam meritorum ad gloriam supponat electionem efficacem hominis ad eamdem gloriam. Hinc cum illud decretum sit gratuitum, a fortiori talis erit electio ad gloriam, ac proinde a meritis independens. Hac de re si ille conceditur ordo inter divina decreta, tunc certum est, intentionem dandi gloriam praecedere debere intentionem dandi merita ad gloriam, ac proinde illam esse ab istorum praevisione independentem; si vero negetur hic ordo, electio & meritorum, & perseverantiae finalis, erit electio hominis ad gloriam. Porro cum electio ad gratiam finalem a meritis non pendeat, idem erit dicendum de electione ad gloriam. Haec vobis sit prima responsio.

Secundo reponi potest, omissa maiore, negando utramque partem minoris, & consequentiam. Ad probationem primae partis, negando antecedens, loquendo de Deo. Nam merita non causant praemium movendo voluntatem divinam, sed sufficit, quod merita ex se se conferant ad actualem gloriae collationem. Et quidem divina voluntas ex propria bonitate mota, & inducta supponitur ad merita non conferenda, nisi ex intentione dandi gloriam eisdem meritis proportionatam. Ad probationem secundae partis eiusdem minoris conceditur antecedens, negatur consequentia; quia non pendet a supremo exercitus duce bellica militum laus. Hinc, ubi a militibus strenue praestitam non noverit operam, nequit praemium decernere; at Deus aeque confert & praemia, & merita, unde, ut velit alicui praemia absolute conferre, necesse non est, ut merita praevideat: dum enim praemium decernit, praestat etiam, ut praemium mereatur, ad quod Deus illum praeordinavit.

Ad II. Deus in tempore non dat gloriam, nisi propter merita, ita ut τὸ *propter* cadat supra merita, quasi haec Deum moveant ad gloriam decernendam. Nego. Ita ut τὸ *propter* cadat supra eadem merita, quae in tempore ordinantur ad gloriae collationem. Concedo, & distinguo consequens. Gloriam non intendit Deus conferre ab aeterno, nisi propter merita, idest Deus non vult gloriam in tempore conferre, nisi meritis praesuppositis.

Con-

Concedo. Idest Deus intendit ab aeterno ob merita praevisa dare gloriam. Nego. Ex saepe dictis juxta principia D. Thomae dum Deus vult unum propter aliud, τὸ *propter* non cadit supra ipsam Dei volitionem, cuius motivum certe aliud non est, quam bonitas divina, sed tantum in objecta, quatenus decernit, ut unum sit propter aliud, ac proinde ut merita causent gloriam, quia illa Deus ad hanc ordinavit, non vero quod Deus ex iis moveatur ad gloriam decernendam, & conferendam.

Ad probationem consequentiae distinguo adsumtum. Eodem modo, quo Deus dat gloriam in tempore, vult eam ab aeterno conferre: eodem, inquam, modo ex parte actus divinae voluntatis, qui, uti solum habet divinam bonitatem pro motivo dandi gloriam, ita hanc solam habuit ab aeterno. Concedo. Ex parte objecti eodem modo, ita ut quemadmodum in tempore merita sunt propter gloriam, & haec obtinetur propter illa, ita ab aeterno Deus propter merita voluerit gloriam. Nego primam partem adsumti, & distinguo secundam. Si Deus non dat gloriam, nisi post merita praevisa ex parte objecti, ita ut tota *posterioritas* cadat in gloriam relate ad merita, nec Deus ipsam decrevit, nisi post merita praevisa. Nego secundam partem assumti. Si *posterioritas* cadat in actum dandi gloriam ex parte Dei. Concedo. Quod tamen, ut dixi, falsum est: nam tota *posterioritas* se tenet ex parte objecti. Igitur gloriae collatio in tempore vel spectatur ex parte actus ipsius Dei, vel ex parte objecti. Si primum, est actio liberalis, & gratuita, uti fuit ab aeterno, atque ut talis non est posterior ad merita praevisa, nec ullam ab istis habet dependentiam. Si secundum, est ex justitia, quia gloria datur propter merita, haec praesupponit, & ab istis dependet. Deus itaque independenter a meritis voluit gloriam conferre, ex mera liberalitate eam dare decrevit, ut debitam in posterum ex justitia meritis, quae illam praecederent.

Ad III. Nego maiorem. Ad cuius probationem nego pariter maiorem; quia Deus non movetur a meritis ad praemium decernendum; sed imo infert necessario merita, statim ac decrevit gloriam, ut praemium, conferre.

Ad secundam eiusdem maioris probationem distinguo antecedens. Decretum conferendi gloriam non praecedit re ipsa ex parte actus divinae voluntatis decretum conferendi merita. Concedo antecedens. Non praecedit ex-

terne,

terne, & ex parte objecti re ipsa, vel, si interne, & ex parte actus, per rationem dumtaxat, & juxta nostrum concipiendi modum. Nego antecedens, & consequentiam. Ordo enim ille inter divina decreta non est, quem fingit adversarius, sed qui mox a nobis exponetur. Ad probationem antecedentis distinguo assumtum. Gloria non praecedit merita in ratione caussae finalis. Nego. In genere caussae efficientis. Concedo. Dixi in genere caussae finalis, quia ex parte objecti semper consideramus gloriam, ut finem meritorum, & ad quem proinde obtinendum merita se habent ut media. Unde illud sponte fluit consectarium, quod ex parte objecti gloria prior est in genere caussae finalis. Porro cum ordo decretorum ex parte objecti, aut, si vis, ex parte actus divinae voluntatis, secundum nostrum concipiendi modum desumendus sit ex ordine objectorum in linea caussae finalis, idcirco juxta hanc praecisam rationem volumus decretum gloriae ex parte objecti, & juxta praecisum nostrum concipiendi modum prius esse decreto conferendi merita, non *viceversa*, quia hoc ordine se habent ex parte objecti.

Ad aliud membrum in probationem antecedentis adductum respondeo, ex parte actus a me non admitti ordinem realem, nec & virtualem inter duo laudata decreta de danda gloria, & meritis conferendis: quia unum tantum realiter, & virtualiter habetur decretum de gloria, & meritis. Si autem consideretur utrumque decretum, penes nostrum concipiendi modum, & externe secundum objectum, atque analogia desumta ex actibus humanae voluntatis, gloria prior est meritis in genere caussae finalis, & decretum gloriae eo sensu concipitur prius decreto de collatione meritorum. Quod additur ibidem ex doctrina D. Thomae, quae totius systematis in re praesenti fundamentum est, ac basis, mox a nobis referenda facile resolvetur.

Ad tertiam probationem maioris distinguo maiorem. Ordo internus habendi decreta, & ex parte actus divinae voluntatis re ipsa sumi debet ex ordine objectorum. Nego suppositum maioris. Quod in actu simplicissimo Dei admitti possit re ipsa hic ordo internus prioritatis, & posterioritatis externae ex parte objecti, aut si ex parte actus juxta nostram tantum concipiendi rationem. Subdistinguo. Desumendus est ordo ex objectorum ordine inter se in ge-

genere caussae finalis. Concedo maiorem. In alio genere caussae. Nego maiorem, & distinguo minorem. Objectum decreti conferendi merita praecedit objectum decreti conferendi gloriam in genere caussae finalis. Nego minorem. In linea caussae moralis efficientis, seu meritoriae. Concedo minorem, & nego consequentiam.

Ad IV. Concedo antecedens, negando consequentiam: sufficit enim, ut gloria intendatur, tamquam comparanda a creatura actibus meritoriis; cum enim gloria sit caussa finalis relate ad merita, profecto istorum praevisio non praerequiritur, sed in decreto gloriae habetur, & volitio mediorum eo modo, quo aegrotus, ut sanitatem velit, non est necesse, ut prius velit medicinam, cum in volitione sanitatis includatur volitio medicinae, quae medium est ad sanitatem.

70 Opponitur II nexus difficultatum. I, admissa gratuita Praedestinatione, Deus erit acceptor personarum; atqui id repugnat Apostoli sententiae *Rom.* 2, nempe non esse acceptionem personarum apud Deum: ergo &c. II ex hac sententia inducitur desperatio in non praedestinatos. III ipsis electis torporem inducit, & in negotio salutis negligentiam: ergo &c.

Resp. ad primum, fuisse solitam Pelagianorum cautionem, quam merito carpit Augustinus lib. 2 ad Bonifacium cap. 7, inquiens: *Acceptio personarum ibi recte dicitur, ubi ille, qui judicat, relinquens caussae meritum, de qua judicat, alteri caussae aliud suffragetur; quia invenit aliquid in persona, quod honoris, vel mirationis dignum sit; si autem quispiam duos habeat debitores, & alteri velit remittere debitum, aliud exigere, cui vult, donat, sed neminem fraudat, nec acceptio personarum dicenda est, quando iniquitas nulla est.* Hinc subdit parabolam operariorum, & patrisfamilias, quae memoratur in Evangelio, tum addit: *Sicut ergo nulla est acceptio personarum, quia sic alius gratis honoratur, ut alius debito non fraudetur, sic etiam cum secundum propositum Dei alius vocatur, alius non vocatur, vocato datur gratuito bonum, cuius boni est vocatio ipsa principium, non vocato redditur malum, quia omnes rei sunt ex eo, quod per primum hominem peccatum intravit in mundum.* Hinc in forma. Distinguo maiorem. Si Deus ita praedestinando conferat munera debita. Concedo. Si indebita. Nego. Et concessa minore, nego consequentiam. His adde, quod haec argumentatio premit etiam Molinistas: nam Deus poterat repro-

pro-

probos in his circumstantiis collocare, in quibus ab eo per scientiam mediam praevidebantur gratiae versatili sibi oblatae responsuri, hisque poterat Deus gratias congruas conferre, quod cum non praestiterit, ut acceptor etiam personarum traduci poterit.

Ad II. Nego assumtum cum Augustino *lib. de dono persever. cap.* 22, ubi eamdem difficultatem sibi a Semipelagianis objectam, teste Hilario epist. ad Augustinum, sic diluit: *Absit ideo desperare de vobis, quoniam spem unam habere docemini . . . . non in vobis . . . . an vero . . . . . hic homo se desperet, quando spes eius ponenda demonstratur in Deo, non autem desperaret, si eam in se ipso . . . . . . infelicissimus poneret?* Igitur, ut auctor est idem Augustinus cap. 11, & 17 eiusdem libri: *Magis Deus amat hominem, quam homo se ipsum; tutior itaque erit sors nostra in manu Dei, quam in nostra. Angeli, & primi Parentes gratiam propriae voluntati subjectam habuerunt, & tamen peccaverunt. Quid non timeant nunc homines vitiati, & corrupti, si eorum salus ab eorum pendeat arbitrio, non autem a Deo, cui omnium cura est, ac summa providentia.*

Ad III resp., haec pariter fuisse Semipelagianorum commenta, ut refert sanctus Prosper epist. ad Augustinum, quod idem sanctus Doctor penitus eludit lib. de dono persever. cap. 17 inquiens: *Sicut aliquem Deus castum futurum esse praescivit, quamvis id incertum habeat, agit, ut castus sit; ita ille, quem castum futurum praedestinavit, quamvis id incertum habeat, non ideo non agit, ut castus sit; quoniam Dei dono se audit futurum esse, quod erit, imo etiam gaudet eius caritas, nec inflatur, tamquam id non acceperit. Non solum ergo praedicatione Praedestinationis ab hoc opere non impeditur, verum & ad hoc adjuvatur, ut, cum gloriatur, in Domino glorietur.*

ARTI-

ARTICULUS TERTIUS.

Nonnulla explicantur, quae sententiam mox expositam firmare possunt, & illustrare: & ordo decretorum in Praedestinationis negotio aperitur.

Quaeres I, an sententia de Praedestinatione gratuita ad fidem pertineat.

71 Respondet affirmative Bellarminus lib. 2 de gratia, & libero arbitrio cap. 10 inquiens: *Jam haec sententia non quorumvis opinio, sed fides Ecclesiae catholicae dici debet.* Porro quae mentem Bellarmini hac in re meo quidem judicio juvare possunt, haec sunt. Primo D. Augustinus *lib. de dono persever. cap.* 18 sic de sua, quam defendit, sententia de gratuita Praedestinatione scribit: *Hoc scio, neminem istam Praedestinationem, quam secundum Scripturas sacras defendimus, nisi errando, disputare potuisse*. Secundo sanctus Fulgentius lib. de Incarnatione, & gratia cap. ultimo: *Cuius Praedestinationis* (gratuitae, ut liquet ex contextu), *veritatem, qua nos ante mundi constitutionem praedestinatos in spem testatur Apostolus, si quis detrectat cordis credulitate recipere, manifestum est, eum non pertinere ad eorum numerum, quos Deus ante mundi constitutionem gratis & elegit, & praedestinavit ad regnum*. Tertio cum Prosper, & Hilarius querelas Caelestino Pontifici detulissent, quod nonnulli Gallorum Presbyteri Augustini sententiam de Praedestinatione gratuita criminarentur, maleque carperent, hoc responsum a Pontifice datum est: *Augustinum sanctae recordationis virum in nostra unione semper habuimus, nunquam hunc sinistrae suspicionis rumor adspersit, quem tantae scientiae olim fuisse meminimus, ut inter magistros optimos etiam a meis praedecessoribus haberetur: bene ergo de eo omnes in communione senserunt, utpote qui ubique cunctis & amori fuerit, & honori: inde resistitur talibus, quos male crescere videmus.*

Porro si sancti Augustini doctrina de Praedestinatione non esset ea, quam defendit Ecclesia, certe non esset cur Presbyteris Gallicis Augustinianae doctrinae obtrectatoribus pro virili illa resisteret. Gelasius Papa in concilio Romano nedum doctrinam Augustini, & Prosperi in negotio Praedestinationis approbat, & laudat; sed Cassiani

scripta, & Fausti Reiensis damnat, quod sententiae Augustini repugnarent. Quando igitur universe Augustini sententiam de gratuita Praedestinatione Gelasius cum Romano concilio suam facit, eamque Ecclesiae doctrinam esse declarat, profecto nullum dubitationi locum relinquit, quin aliquo modo ad fidem spectare voluerit hanc de Praedestinatione a meritis independenter sententiam.

Adducunt nonnulli, preces ab Ecclesia fundi passim supremo Numini, ut infidelibus fidem largiatur, & perseverantiam fidelibus: ergo Ecclesia credit, & fidem, & perseverantiam in fide, quae per dilectionem operatur, fidelibus esse dona Dei gratuita: nam precibus obtinere non studemus, nisi quod ex aliena liberalitate speramus. Aliunde, cum Ecclesia credat, Deum certissime praescire, quibus sit fidei donum, ac perseverantiam finalem gratuito collaturus, Ecclesia certissime credit, praescientiam divinam, & praeparationem auxiliorum a meritis independentes, quibus certissime liberantur, quicumque liberantur; atqui hoc idem reddit Ecclesiae sensum esse, Praedestinationem fore gratuitam: ergo &c. Haec sunt, quae Bellarmini, aliorumque placitum juvare posse crediderim; rectene an non, illud est, de quo nolim odiose nunc contendere. Quare sententiam hanc exposuisse sufficiat.

Quaeres II, sitne admittendum duplex decretum in Deo, quorum primo Deus aliquos praedestinet ad gloriam, altero ad gratiam.

72 Resp. negative juxta doctrinam D. Thomae prima parte art. 5 quaest. 19 sic aientis: *Sicut in Deo intelligere caussam non est caussa intelligendi effectus, sed ipse intelligit effectus in caussa; ita velle finem non est ei caussa volendi, quae sunt ad finem; tamen vult ea, quae sunt ad finem, ordinari ad finem; vult ergo hoc esse propter hoc, sed non propter hoc vult hoc.* Et ibidem ad primum: *Voluntas Dei rationabilis est, non quod sit aliquid Deo causa volendi, sed in quantum vult unum esse propter aliud.* Quare sic arguitur. Ex Divo Thoma voluntas divina eodem se modo habet erga finem, & media, uti mens divina relate ad principia, & conclusiones; atqui mens divina principia, & conclusiones eodem tum formaliter, tum virtualiter actu cognoscit: ergo & media pariter eodem tum virtualiter, tum formaliter decreto velle debet, quo finem; atqui gloria est finis, merita sunt media: ergo eodem prorsus decreto, seu voluntatis actu utrumque Deus definiet.

His

His adde, quod Deus praedestinando ad gloriam ut mercedem, ac proinde praedestinando ad hunc finem simul destinare debet id, quod est necessario cum mercede conjunctum; atqui illud nihil est praeter merita: ergo. Vel, si vis Deum praedestinare dumtaxat ad medium infallibiliter connexum cum gloria, cuiusmodi est perseverantia finalis (ut supra caute indigitavi) jam liquido constat, non requiri decretum distinctum etiam virtualiter ad gloriam; quia in electione illius medii continetur electio ad gloriam.

Quaeres III, an sit admittendum in Deo duplex decretum, intentivum unum, exsecutivum alterum in negotio Praedestinationis explicando.

73 Resp. negative. Responsio deducitur ex mox dictis: si enim non admittimus duplex decretum, ad gloriam scilicet, & gratiam, nec etiam admitti debet decretum, unum intendens, alterum exsequens; quod quidem suadetur primo, quia vulgata est Patrum locutio, quod velle Dei est facere: ergo electio mediorum, seu decretum intentivum ipsorum erit decretum pariter exsecutivum, seu usus eorumdem mediorum. Huc facit etiam quod volitio finis non est distincta ab exsecutione activa finis; ergo idem etiam dicendum de electione, & exsecutione mediorum: ergo non est admittendum decretum intentivum gloriae, & meritorum, distinctum a decreto exsecutivo eorumdem. Probatur antecedens; quia si ego hodie mane aliquid faciendum statuerim, nec propositum mutaverim, & habitualiter in ipso perseveraverim, profecto ad opus exercendum, quantum sapio, quantum capio in hac re, non video, cur alia volitio exsequens requiratur: ergo id de Deo potiori jure dicendum est, cuius, ut dixi, velle est facere. Dixi superius ab exsecutione activa finis (quod etiam intellige de exsecutione mediorum, quia illa se tenet ex parte actus divinae voluntatis) non vero passiva, quia ista, utpote indistincta a mediis, quae sunt effectus creati, est pariter a quovis divinae voluntatis actu distincta.

74 Dices. Recepta est in Scholis distinctio electionis ad gloriam ante merita praevisa, & ipsius collationis post merita supposita; atqui id probat distinctionem decreti intentivi ab exsecutivo: ergo &c.

Resp. distinguendo maiorem. Recepta est distinctio illa, quasi innuat duplicem virtualiter actum in Deo, quorum uno ad gloriam eligat, altero istam conferat. Nego maio-

rem. Recepta est illa distinctio hoc sensu, quod Deus ab aeterno decreverit ad gloriam, & in tempore obtineatur a creatura, unde juxta nostrum concipiendi modum dumtaxat duplicem ordinem intentionis, & exsecutionis secernamus. Omitto maiorem, & distinguo minorem. Distinctio primo modo probat duplex decretum. Concedo. Secundo modo. Nego minorem, & consequentiam.

Ex his juxta ea, quae supra jam innuimus, illud juvat ad cumulum probationis notare, quod in decreto executivo, quale fingitur ab adversariis, Deus movetur a meritis ad gloriam conferendam, ac proinde eius voluntas movetur ab iisdem ad decretum eius collationis; atqui id defendi nequit: tunc enim Deus non vellet merita esse propter gloriam, sed propter merita vellet gloriam; unde aliquod creatum, cuiusmodi sunt merita, esset formale motivum divinae voluntatis contra ea quae diximus.

Quaeres, qualis ordo juxta nostrum concipiendi modum statuendus sit inter divina decreta ad Praedestinationis oeconomiam explicandam.

75 Resp., nullum reipsa admittendum esse ordinem inter divina decreta virtualiter, nec proinde ex parte divinae voluntatis inter varios actus, sed tantum ex parte objecti inter media a Deo ordinata, ut creatura gloriam sibi comparet, tamquam mercedem. Porro hic ordo concipitur juxta nostrae mentis rationem in solo genere caussae finalis. Cum enim finem semper ante velimus, quam media, idque primo consideremus, quod prius est in genere caussae finalis, non in genere caussae efficientis; idcirco hunc ordinem concipimus etiam ex parte objecti divinae Praedestinationis, idest in rebus a Deo praeordinatis, ut gloria obtineatur. Ex his autem facile infertur, quod, cum gloria in genere caussae finalis prior consideretur ex parte objecti, quam merita, sine ullo fundamento in re, sed tantum juxta nostrum concipiendi modum consideramus, non ex parte actus, sed ex parte objecti decretum gloriae tamquam anterius decreto conferendi merita, non contra; quia videmus voluntatem creatam prius velle finem, quam media, a qua desumta analogia, juxta suum concipiendi modum ratiocinari Theologus potest eadem ferme ratione de divina voluntate, quin tamen ullum in ipsa huiusce prioritatis, aut posterioritatis decretorum fundamentum reperiatur.

His porro bona in luce collocatis, gradum facimus ad illud promissum solvendum, quod a nobis hic expediendum spopondimus in responsione ad tertium non longe ante finem, quod Deus non vellet merita esse propter gloriam, sed propter gloriam vellet merita contra doctrinam D. Thomae saepe a nobis repetitam. Dico igitur, falsum esse assumtum: nam Deus eodem omnino actu vult praemium, & merita, ita ut velit gloriam esse finem relate ad merita, & haec esse caussam efficientem moralem relate ad gloriam, & quidem gratuito, & ante merita praevisa. Cum enim merita a divino pendeant arbitrio, ea certe velle potest efficaciter Deus eodem decreto, quo gloriam decernit, quin indigeat eadem in arbitrio creato praescire, ut illis praemium velit conferre; sed eodem omnino actu & vult gloriam meritis comparandam, & merita gloriae proportionata. Hoc autem decretum dixi esse gratuitum, quia nec ad gloriam decernendam tenetur ullo jure Deus, nec ad merita conferenda, sed & illam decernit istis comparandam, & merita praeordinat ex sua sola bonitate, qua divitias gloriae suae libens, & volens erga vasa misericordiae ostendit. Quod si adhuc velit adversarius, Deum semper propter gloriam decernere merita, dic istam locutionem in rigore admitti non posse, si sensus sit, quod revera Deus propter gloriam velit merita; sed tamen lato modo, quatenus fingi potest ab intellectu creato sine ullo fundamento in re divina voluntas propter gloriam volitam intendens merita, in quo nihil absurdi videmus; quia ex eo inferri nequit, admittendum esse in Deo ordinem, adeoque inter actus divinae voluntatis, quasi isti supponantur vel formaliter, vel virtualiter distincti in oeconomia Praedestinationis exponenda, cum huiusce distinctionis quoad hoc fundamentum nullum nobis occurrat.

Qui igitur adsignari potest ordo inter divina decreta juxta nostrum concipiendi modum, hic est, quod nempe, cum ordo se teneat ex parte objectorum, decretum gloriae ex parte connotati, seu objecti, realiter distinguitur a decreto meritorum; quia haec duo connotata sunt realiter inter se distincta, & inter haec connotata realiter sic distincta hic ordo involvitur, quod gloria sit finis, & caussa finalis relate ad merita, & haec in eodem ordine sint illius effectus; contra merita sint caus-

 sa

sa efficiens moralis gloriae, & haec in alio genere sit eorumdem effectus: & quamvis sit tantum penes objecta hic ordo, tamen ad mentis nostrae imbecillitatem juvandam transferri potest ad actus, seu decretum divinae voluntatis, quam prius concipere possumus decernentem gloriam, inde merita. Igitur, cum una tantum a nobis statuatur Praedestinatio ad gloriam, & ad gratiam, ita pariter unum erit decretum universam gloriae, & gratiae seriem intendens a prima gratia usque ad gloriam inclusive, quae quidem series erit unicum objectum adaequatum divinae Praedestinationis. Et sane unico omnino actu voluntati proponitur haec series universa a divina sapientia. Quid igitur prohibet, ut etiam uno omnino actu, & quidem simplicissimo universam hanc oeconomiam decernat?

Demum illud non omiserim, quod haec series, quam uno simplicissimo actu Deus intendit, talis est, ut certum gloriae gradum, certamque gratiae mensuram pro quovis praedestinato includat. Hinc ubi Deus aliquem praedestinat, illum ordinat simul ad talem gloriae gradum per haec, vel illa media obtinendum. Decretum enim, quo prius gloriam in genere, deinde talem gradum postmodum ista media decernat, aliquid redolet voluntatis imperfectae; quae paullatim alicuius rei oeconomiam disponit, circumstantias designat, rationes constituit. Quod si aliter sentire velimus de Deo, id tantum permitti potest, ut pro mentis nostrae limitibus de Deo praedestinante loquamur

Quaeres, an Angelorum Praedestinatio fuerit gratuita.

76 Resp. affirmative contra Jansenium, eiusque asseclas. Huius autem dogma hoc est, quod Angelorum (idem affirmat etiam de primis parentibus in statu innocentiae, cum ratio sit eadem) Praedestinatio fuerit post merita praevisa. Deus enim illis gratiam versatilem, qualem admittunt Molinistae, contulit ab eorum arbitrio suspensam, quorum proinde rectus, vel pravus eiusdem gratiae usus, seu assensus, vel dissensus eidem praevisus Deum movit, ut Angelos gratiae versatili consensuros praevisos ad gloriam destinaverit, alios ab eadem dissensuros praescitos reprobaverit.

Huius autem sententiae ratio duplex esse videtur. Prima, quod in statu innocentiae Angelis, & primis parentibus

rentibus nedum libertatem a coactione, sed etiam a necessitate attribuant; unde necessariam pro eo statu non credunt gratiam per se se efficacem, sed versatilem creaturae voluntati subjectam: quo fit, ut existiment, Deum non posse aliter in eo statu praedestinare, nisi praeviso assensu, vel dissensu creaturae laudato auxilio; ubi ex adverso in statu naturae corruptae cum omnem libertatem a necessitate ademtam velint ab arbitrio creato, ac solam permissam libertatem a coactione, inde consequens putant, gratiam per se se efficacem nunc requiri, qua semel adserta, creaturae assensus praevideri non debet, ut Deus aliquos ad gloriam praedestinet. Ubi enim gratiam per se validam, nec humanae voluntati subjectam dare velit, quin creaturae consensum praevideat, idem de electione ad gloriam censendum esse opinantur.

Alia ratio eisdem familiaris haec est, quod in scriptis Augustini adversus Pelagianos, & Semipelagianos illud frequenter inveniunt, hominem lapsum gratiae ad conversionem, & perseverantiam indigere, quia ob peccatum originis bonum velle, ac perseverantiam in eodem amisit; unde illud inferunt, quod, cum huiusmodi ratio non valeat pro statu innocentiae, homines, & Angeli a proprio arbitrio id habebant, ut mererentur, si vellent, & in merito perseverarent. Si autem perseverantia non erat merum Dei donum gratuitum, sed effectus arbitrii creati se determinantis ad perseverandum in gratia, idem etiam dicendum putabant de Praedestinatione, quae summam, ut diximus, habet cum finali perseverantia connexionem.

77 Probatur autem nostra responsio duplex hoc fundamentum evertendo. Primum quidem eo, quod instaurare videtur propositionem Jansenii ab Ecclesia jure proscriptam, nempe *ad merendum, vel demerendum in statu naturae lapsae non requiri libertatem a necessitate, sed tantum a coactione*. Ideo enim gratiam per se se efficacem excludunt a statu innocentiae; quia aiunt, in eo statu Angelos & homines liberos fuisse ad merendum, vel demerendum, quod poterant perseverare, vel non perseverare, & solam habuisse gratiam per se justificantem, ut haec potestas sana, & indemnis esset: ergo dum gratiam per se se efficacem ponunt in statu naturae corruptae, argumento est, eos in ea esse mente, quod gratia per se efficax conciliari non

potest cum libertate potestatis ad utramque partem contradictionis, idest ad perseverandum, vel non perseverandum, & ad merendum sufficere arbitrentur libertatem a coactione, quod in Jansenio damnavit Ecclesia.

Alterum autem fundamentum penitus convellitur ex hoc, quod, licet Augustinus saepe de homine lapso loquatur, ut adversarius ostendit, eius tamen ratio utrumque statum naturae tum integrae, cum sauciatae ex aequo spectat, cum eo semper nitatur principio, merita, & perseverantiam esse Dei dona; nihil quidquam esse, *quod non acceperit*, nec quempiam posse *se ipsum discernere*; quae quidem etiam ad Angelos pertinent. Horum enim perseverantiam donum Dei pariter fuisse testatur idem Augustinus de ipsorum meritis, & perseverantia sic aiens: *An forte nec ipsa dicuntur praedestinata? Ergo nec dantur a Deo, aut ea se daturum esse nescivit; quod si dantur a Deo, & ea se daturum esse praescivit, profecto praedestinavit.* Jam vero, si finalis perseverantia in Angelis fuit donum gratuitum supremi Numinis, idem dicendum de Praedestinatione. Confirmatur; quia Apostolus docet, neminem a se ipso *posse discerni*, *nec gloriari de accepto*, *quasi non acceperit*, ut humanae superbiae fastum deprimeret, ne sibi plauderet, quod virtutis opus interdum eliceret; atqui hoc etiam ad Angelos pertinet, qui gloriari non possunt, quasi se se discreverint, & perseverantiam finalem a se ipsis, non a Deo obtinuerint: ergo &c.

His adde, quod in ea hypothesi Deus Angelos praedestinasset propter ipsorum merita, non propter bonitatem suam; unde formale motivum divinae voluntatis non esset sola divina bonitas, nec Deus in suis decretis Angelorum salutem cognosceret, sed in eorum meritis, ac maius eidem conveniret dominium in homines lapsos, quam in innocentes, quod sane nemo dixerit.

78 Dicent. Augustinus lib. de corrept. & gratia cap. 12 ait: *Primo homini datum est adjutorium perseverantiae, non quo fieret, ut perseveraret sed sine quo per liberum arbitrium perseverare non posset; nunc vero sanctis in regnum Dei per gratiam Dei praedestinatis, non tantum tale adjutorium perseverantiae datur, sed tale, ut perseverantia ipsa donetur, non solum, ut sine isto dono perseverantes esse non possint, verum etiam ut per hoc donum non nisi perseverantes sint.* Unde sic arguitur. Non admittitur Praedestinatio Angelorum ad

ad meritum, & perseverantiam finalem: ergo nec ad gloriam. Consequentia sequitur; quia si Deus eos ad meritum, & perseverantiam finalem non praedestinavit: ergo debuit Angelorum determinationem ad perseverandum finaliter praevidere, ut ipsos ad gloriam eligeret, cum eligere ad gloriam involvat necessario decretum conferendi finalem perseverantiam. Antecedens probatur; quia ad id non fuerunt Angeli praedestinati, si Deus ad id ipsos non determinaverit gratia per se efficaci; ita est: ergo &c. Probatur minor. Deus contulit ipsis auxilium, sine quo non possent perseverare, non quo de facto perseverarent; sed huiusmodi auxilium est gratia indifferens, & versatilis, non intrinsece efficax, voluntatem actu determinans: ergo &c. Probatur maior; quia eadem est ratio pro statu innocentiae de Angelis, ac de primis parentibus; atqui ex Augustino mox laudato primis parentibus in statu innocentiae solum contulit Deus auxilium, sine quo non possent perseverare: ergo &c.

Resp., concesso Augustini testimonio, negando antecedens. Ad eius probationem concedo maiorem negando minorem; ad cuius probationem distinguo maiorem. Deus contulit ipsis, idest Angelis, qui ceciderunt, & non perseverarunt, auxilium, sine quo non possent perseverare. Concedo maiorem. Angelis, qui perseverarunt in gratia. Nego maiorem, &, data minore, distinguo consequens. Non determinavit Angelos ad perseverandum gratia efficaci, Angelos, inquam, qui ceciderunt. Concedo consequentiam. Qui perseverarunt. Nego consequentiam. Ad probationem maioris distinguo maiorem. Eadem est ratio de Angelis, qui ceciderunt, ac de primis parentibus. Concedo maiorem. De iis, qui perseverarunt. Nego maiorem, &, concessa minori, nego consequentiam. Argumentum adversariorum merum est sophisma, quod in statu innocentiae componit simul cum primis parentibus, qui ceciderunt, Angelos omnes indiscriminatim; tum qui perseverarunt, tum qui ceciderunt: quod quidem falsum est. Ut enim comparatio subsistat, debent cum primis parentibus, qui ceciderunt, ii tantum Angeli conferri, qui ceciderunt, non qui perseveraverunt. Hinc quemadmodum primis parentibus datum fuit tantum auxilium sufficiens, sine quo non possent perseverare, non efficax, quo perseverarent, quia de facto non perseverarunt; ita

An-

Angelis, qui ceciderunt, idem dumtaxat auxilium fuit collatum. Angelis autem, qui perseverarunt, collatum fuit auxilium, quo perseverarent, ut confertur hominibus lapsis, qui perseverant, quod quidem est auxilium per se efficax. Unicum enim discrimen inter statum innocentiae, & statum naturae corruptae illud est, quod in primo facilior erat in bono perseverantia, & minor ad peccandum proclivitas; ubi in natura corrupta maior est ad perseverandum difficultas, nec non ad peccandum propensio, at in utroque statu vera est libertas, ac gratiae per se efficacis necessitas.

Urgent. Augustinus lib. de corrept., & gratia cap. 10 ait: *Angeli, quorum princeps est Diabolus, per liberum arbitrium a Deo refugae facti sunt, ceteri autem per liberum arbitrium in veritate steterunt*; atqui id significat, quod cum eadem gratia, nempe sufficiente, quam omnes habuerunt, aliqui perseverarunt, alii ceciderunt; ergo &c.

Resp., concessa maiore, negando minorem. Gratia enim sufficiens omnibus ex aequo data est; at qui perseverarunt auxilium maius per se efficax obtinuerunt. De facto Augustinus addit ibidem de Angelis, qui perseverarunt, quod fuerunt *amplius adjuti*: per arbitrium igitur & boni perseverarunt, & mali ceciderunt, illi per arbitrium adjutum gratia efficaci, & ampliori, isti per arbitrium sola gratia sufficienti instructum. Quod autem alicubi Augustinus praescitos dicat Angelos a Deo, nec dicat eos praedestinatos, negotium nullum facessit ei, qui in eiusdem Doctoris lectione hospes non sit, & peregrinus; passim enim praedestinare apud ipsum idem reddit, ac praescire, quod Deus sit facturus de creatura rationali ad gloriam praedestinata.

SECTIO IV

de effectibus Praedestinationis.

79 Effectum Praedestinationis vocamus quodvis beneficium Dei ad praedestinati salutem conducens. Tria autem in eodem requiruntur, ut Praedestinationis effectus vocari possit. I quod sit a Deo, II quod procedat a Deo ex intentione efficaci dandi gloriam, III ut ad ipsam ali-

quo

quo modo conducat. Isti autem effectus alii sunt per se ad gloriam, seu finem Praedestinationis ordinati, alii autem per accidens. Effectus secundi generis sunt, qui per se ad hominum salutem non tendunt, nec per se illum ordinant ad gloriam, sed tantum per accidens, quoties mediis aliis donis supernaturalibus ad vitam aeternam a Deo diriguntur, cuiusmodi sunt, teste Augustino *lib. de dono persever. cap.* 14, dona naturalia, ut certum intelligentiae munus, certa indoles &c. Effectus autem per se ad gloriam ordinati ii sunt, qui per se ad hominum salutem tendunt, eosque promovent ad aeternam gloriam. Hi autem duplicis sunt generis, alii quippe sunt ad gloriam ita ordinati, ut sint omnino connexi, atque ineffabiliter conjuncti cum vita aeterna, cuiusmodi sunt glorificatio, gratia consummata, & finalis perseverantia. Alii sunt ita per se ad gloriam ordinati, ut tamen non sint necessario, & infallibiliter cum ea connexi. Tales dicuntur omnes effectus ad gloriam ordinati, sed tamen Praedestinatis, & reprobis communes, ut vocationes inefficaces, auxilia sufficientia, gratia per peccatum interrupta.

Addiderim, quod effectus isti per se ad finem Praedestinationis ordinati vel tales dici possunt eo, quod, licet per se non exigant necessario oriri a Praedestinatione tamquam a caussa, tamen Praedestinatio exigit eos causare. Huiusmodi sunt omnia beneficia generalia in ordine supernaturali reprobis, ac praedestinatis communia, quae profecto non exigunt a Praedestinatione prodire; quamvis Praedestinatio ad ea omnia se se extendat. Alii effectus per se Praedestinationis vocari possunt eo, quod ex se exigunt a Praedestinatione tamquam a caussa procedere. Huiusmodi sunt perseverantia finalis, gratia consummata, & glorificatio, quae ex sola Praedestinatione procedunt. Effectus primi generis vocari possunt effectus per se Praedestinationis ab extrinseco, alterius generis effectus per se ab intrinseco. His praeiactis tria omnino sunt, quae in quaestionem vocantur a Theologis. I an omnia bona supernaturalia sint Praedestinationis effectus, II an idem sit dicendum de bonis naturalibus, III an pariter de permissione peccati.

QUAESTIO

QUAESTIO I

quaenam bona supernaturalia dici debeant effectus Praedestinationis.

PROPOSITIO I

glorificatio, vocatio efficax ad justificationem non admittendam per peccatum, ipsa justificatio per culpam non interrumpenda, seu perseverantia finalis in eadem, sunt effectus Praedestinationis, & quidem per se, atque, ut aiunt, ab intrinseco.

80 Evincitur prima pars, quod nempe haec omnia sint effectus Praedestinationis, diserto Apostoli testimonio: *Quos praedestinavit, hos & vocavit* (intellige vocatione efficaci, & secundum propositum, ut explicat Augustinus lib. de Praedest. ss. cap. 17) *quos vocavit, hos & justificavit; quos justificavit, illos & glorificavit*: ergo haec omnia, cum ex Praedestinatione suo ordine sequantur, eiusdem effectus dici debent; tum quia *Praedestinatio est praeparatio beneficiorum, quibus certissime liberantur quicumque liberantur*; atqui beneficiis laudatis certissime liberantur, qui liberantur: ergo &c.

Praeterea nemo negaverit, glorificationem esse effectum Praedestinationis: cum enim ista sit caussa mediorum efficacium ad gloriam conducentium, ita ut velit media haec esse propter gloriam, a fortiori erit caussa glorificationis: nam per quod unum quodque tale, & illud magis.

Demum glorificatio est effectus providentiae, non generalis, ut patet: haec enim etiam reprobos attingit: ergo specialis, quae est Praedestinatio. Quod dixi de glorificatione, de justificatione etiam dictum velim; haec enim est donum a Deo collatum ex intentione dandi gloriam, & ad ipsam conducit. Nam cum haec gratia nuspiam amittenda jus conferat ad gloriam, & cum ipsa conjungatur, habet requisita, ut esse possit, ac dici Praedestinationis effectus. Si enim res aliter esset, jam posset praevideri a Deo quis justificatus esset, ac proinde dignus Praedestinatione ante praedestinationem contra systema superius adsertum de Praedestinatione gratuita. Si autem

justi-

justificatio per culpam non amittenda effectus est Praedestinationis; id etiam dici debet de finali in eadem perseverantia: nam hoc beneficio certissime salutem adsequitur praedestinatus: ergo certissime liberatur.

Denique idem etiam confirmatur de vocatione efficaci ad justificationem per peccatum non amittendam; quia si haec justificatio est effectus Praedestinationis, a fortiori erit etiam effectus ipsius vocatio efficax, quae praecedere debet in genere dispositionis justificationem.

81 Evincitur secunda pars, quia glorificatio in hoc ordine providentiae intrinsece, & per se aliunde oriri non potest, quam a decreto Praedestinationis; justificatio autem nusquam per peccatum amittenda, ac proinde perseverantia finalis in eadem infallibiliter connectuntur cum aeterna salute: ergo esse nequeunt a providentia generali, sed a speciali, nempe a Praedestinatione. Idem dicas de vocatione efficaci ad hujusmodi justificationem.

PROPOSITIO II

gratia per peccatum interrupta, & vocationes inefficaces sunt effectus Praedestinationis, non quidem per se ab intrinseco, sed per se ab extrinseco juxta sensum superius explicatum.

I

Evincitur prima pars, nempe gratiam illam, easque vocationes esse effectus Praedestinationis. I quia, ut probatur in tractatu de Sacramento poenitentiae, gratia per peccatum interrupta, peccato deleto, reviviscit, ac homini poenitenti jus suum tribuit ad gloriam, quae proinde juxta illius gradus etiam confertur: ergo est infallibiliter connexa cum gloria: ergo est effectus Praedestinationis.

Quod vero spectat ad gratias, seu vocationes inefficaces, manifesta res est, quia, ut optime ratiocinatur D. Thomas q. 6 de verit. art. 3. *In eo, quem Deus praedestinat, tot adminicula praeparat, quod n n cadat, vel si cadat, quod resurgat, sicut exhortationes*: ergo ex eodem Deus praedestinando nedum praeparat media efficaciter continuanda ad finem usque vitae aeternae, sed etiam aliqua beneficia inefficacia. Quamobrem alia praeparat illorum vice, ita ut ab illis cadens, iis resurgat: ergo gratia inefficax, licet im-

immediate ad salutem non ducat; tamen quia per aliam eidem substitutam cum effectu ad vitam aeternam conducit, est effectus Praedestinationis, quia procedens ex intentione efficaci salvandi praedestinatum, ideoque integrans universum ordinem mediorum ad salutem. Si enim aliter res esset, jam sola gratia efficax esset effectus Praedestinationis, unde inepta esset D. Thomae locutio, nempe quod Deus *in eo, quem praedestinat, tot adminicula praeparat, quod, si cadat resurgat*; *cum melius dixisset adminicula praeparat, quibus non cadat*. Atqui contrarium sentit Angelicus: ergo id argumento est, eum in ea esse mente, quod Deus aliquando gratiam praeparat, a qua decidet praedestinatus, videlicet cui non respondebit, ideoque aliam praeparat, qua resurgat: ergo &c.

His adde, quod *diligentibus Deum*, idest, ut exponit Augustinus lib. 1 contra duas epistolas Pelagii, *praedestinatis omnia cooperantur in bonum*; & insuper, ut demonstratur in tractatu de voluntate Dei, gratia, seu vocatio inefficax suum habet effectum, movendi videlicet, & illuminandi: ergo, cum sit a Deo, & detur ex intentione, ut quis resurgat, vel ad fervorem excitetur, & vel ad hunc de facto impellat, vel ad resipiscentiam, aliquo modo conducit ad salutem, ad cuius adsecutionem hominem excitat, & inducit: ergo &c.

83 Evincitur secunda pars, quod nempe non sint effectus Praedestinationis per se, & ab intrinseco, sed ab extrinseco. Quod non sint illius effectus per se, & ab intrinseco in sensu explicato a nobis supra, patet, quia huiusmodi gratiae esse possunt a sola providentia generali, nec solam Praedestinationem exigunt, tamquam ipsarum caussam, quod reprobis aeque ac praedestinatis communes sint.

Quod ab extrinseco per se sint eiusdem Praedestinationis effectus, inde probatur, quod Praedestinatio ex se est providentia perfecta, disponens proinde universum ordinem mediorum ad finem salutis. Si ita est, exigit etiam primas vocationes, quibus incipit homo ad salutem ordinari, quantumvis inefficaces ad huiusmodi finem praeparare, ac disponere; quia, licet Deus frustrandas esse praenoscat, iis tamen alias efficaces substituit: ergo &c. Tum quia vocationes inefficaces consideratae cum efficacibus, quae illis sunt subrogandae, unum ordinem consti-

ſtituunt mediorum ad ſalutem conducentium; atqui Praedeſtinatio per ſe hunc ordinem reſpicit, ac proinde vocationes inefficaces, eaſque ob id exigit praeparare: ergo &c.

Reſponſiones ad objecta.

84 Opponitur contra primam partem propoſitionis. Gloria eſt finis Praedeſtinationis: ergo nequit illius effectus eſſe. Confirmatur: quia Praedeſtinatio eſt ordinatio mediorum ad finem: ergo eſſe poteſt dumtaxat de mediis, non de fine: ergo gloria, quae finis eſt Praedeſtinationis, nequit eſſe eiuſdem effectus.

Reſpondetur diſtinguendo antecedens. Eſt finis relate ad media. Concedo. Relate ad ipſum Deum praedeſtinantem. Nego. Nam huiuſmodi finis, ſeu potius motivum formale eſt oſtenſio divinae bonitatis. Et nego conſequentiam.

Ad confirmationem diſtinguo antecedens. Eſt ordinatio mediorum inchoata, & imperfecta ad finem. Nego antecedens. Ordinatio efficax, & conſummata. Subdiſtinguo. Ordinatio mediorum in finem, ideſt gloriam dumtaxat. Nego antecedens. In finem, qui ſit etiam manifeſtatio divinae bonitatis. Concedo antecedens, & nego conſequentiam.

85 Opponitur contra ſecundam partem eiuſdem propoſitionis. Vocatio, & juſtificatio communes ſunt pluribus reprobis: ergo non ſunt effectus per ſe, & ab intrinſeco Praedeſtinationis, cum ab hac non exigant neceſſario derivari.

Reſp. diſtinguendo antecedens. Vocatio non efficax relate ad perſeverantiam finalem, & juſtificatio per peccatum interrumpenda. Concedo antecedens. Iuſtificatio non interrumpenda, & vocatio efficax ad perſeverantiam finalem, ſeu ſecundum propoſitum. Nego antecedens, & conſequentiam juxta ſenſum diſtinctionis.

86 Opponitur contra ſecundam propoſitionem. I, quod ſpectat ad gratiam per peccatum interruptam, certum eſt, hanc non conducere cum effectu ad ſalutem conſequendam; ſi ita eſt, nequit eſſe effectus electionis efficacis, ſeu Praedeſtinationis ad gloriam: ergo. Maior probatur. Huiuſmodi gratia, licet hominem inclinet ad ſalutem, ubi tamen interrumpitur, revera non influit, nec condu-

cit

cit ad salutem; proinde novus est ordo ad salutem instaurandus: ergo &c. Confirmatur: quia obiectum Praedestinationis debet esse ordo, seu series continuata mediorum ad gloriam; atqui gratia interrupta nequit hunc ordinem constituere, cum ibi ordo inceptus mediorum cesset, & desinat, initiumque sit alterius ordinis accipiendum: ergo &c.

II quod attinet ad gratias inefficaces, facile ex eadem ratione probatur, esse non posse Praedestinationis effectus, cum istae de facto ad salutem non ducant hominem, & effectus Praedestinationis is solus dicendus sit, qui revera perducit ad gloriam: ergo &c. Confirmatur: quia huiusmodi vocationes incohative dumtaxat hominem ordinant ad salutem: ordine, inquam, per humani arbitrii dissensum frustrato, ita ut sit necesse alium ordinem Praedestinationis instaurare; atqui huiusmodi ordo sic fine frustratus nequit esse Praedestinationis effectus, omnia per se, atque infallibiliter ad salutem dirigentis: ergo &c.

Resp. ad I distinguendo maiorem. Non conducere cum effectu ad salutem immediate, & per se. Concedo maiorem. Non conducere per aliam gratiam eidem substitutam, vi cuius ipsa recuperetur, et reviviscat. Nego maiorem: & pariter distincta minore, nego consequentiam. Ad probationem maioris distinguo antecedens. Interrumpitur eiusdem influxus immediatus, & per se talis. Concedo antecedens. Influxus eiusdem mediatus per aliam gratiam eidem substitutam, quin sit novus ordo instaurandus, cum prior ordinatio media etiam includat immediate in se ipsis interrumpenda, tum etiam quae non frustranda ipsis substituuntur. Nego antecedens, & consequentiam. Exemplo D. Thomae loco in probationibus citato rem universam explano. Certum est, Deum ex intentione efficaci conservandi v. g. speciem humanam cuiusvis individui generationem providere; horum porro individuorum aliqua sunt infoecunda, nec ducunt immediate ad huiusmodi conservationem; quia tamen iis alia foecunda a provido Numine substituuntur, idcirco omnia omnino individua componunt ordinem divinae providentiae relate ad humanae naturae conservationem, atque omnia profluunt ex intentione efficaci eamdem naturam humanam conservandi. At sunt providentiae generalis effectus, quia, ut aiebam, licet per alicuius individui infoecun-

foecunditatem species servanda non sit; aliud tamen ipsi substituitur, quo illa servetur; ita in re nostra, quamvis gratia collata interrumpatur, ordo tamen Praedestinationis dici nequit interruptus, quia illi gratiae substituuntur alia auxilia profluentia ex eadem Numinis intentione, quibus ordo intentus continuatur.

Hinc ad confirmationem, data maiore, nego minorem, & consequentiam juxta sensum mox explicatum: nec enim ordo interrumpitur, ubi, aliquo deficiente, statim aliud substituitur ad huiusmodi defectum supplendum.

Ad 2 distinguo antecedens. Non ducunt cum effectu ad salutem immediate, & per se. Concedo antecedens. Per alias vocationes vi eiusdem intentionis, & electionis prioribus substitutas. Nego antecedens, & consequentiam. Quia per istas obtinent priores vocationes suum finem, & series Praedestinationis continuatur.

Et sane ubi Deus post aliquam vocationem inefficacem alteram substituit, & huic pariter inefficaci aliam subrogat, sed efficacem vi eiusdem intentionis, hae vocationes unicum ordinem ad aeternam salutem constituunt; quae quidem salus, nedum tribui debet vocationibus efficacibus, sed etiam inefficacibus mediate; quia per alias eisdem substitutas gloriam aeternam praedestinatus comparabit; eo quod quidquid componit ordinem Praedestinationis, eiusque seriem, id dici debet decreti praedestinantis effectus, & aliquam proinde habere debet cum gloria connexionem. Porro vocationes inefficaces hunc ordinem ingrediuntur ex dictis, uti series genealogica in veteri lege nuspiam censebatur interrupta, sed eadem omnino manens, ubi fratri sine liberis defuncto filii ex ipsius uxore, & altero fratre suscepti substituebantur ad supplendum filiorum defectum ex parte prioris fratris sine prole defuncti: ergo &c.

Urgebis tamen primo. Gratia interrupta non ducit ad gloriam, nisi ut reviviscens per poenitentiam, non quasi, quod ut talis ducat ad gloriam; atqui effectus Praedestinationis dirigere debet ad gloriam: ergo &c.

II Gratia reviviscens per poenitentiam differt numerice a gratia praehabita; vocatio efficax eodem modo distinguitur ab inefficaci: ergo licet gratia reviviscens, & vocatio efficax influant in finem aeternae gloriae, id dici non debet de gratia interrupta, vel inefficaci.

III Etiam, non praehabita gratia inefficaci, adhuc per vocationem efficacem potest salus aeterna obtineri: ergo per accidens illa se habet ad gloriam, nec aliquem constituit ordinem per se ad finem Praedestinationis.

IV Effectus continuandi sunt ad finem usque Praedestinationis; id dici nequit de gratia interrupta, aut vocatione inefficaci: istae enim effectum non continuant usque ad terminum Praedestinationis: ergo &c.

Resp. ad primum distinguendo maiorem. Non conducit per se, nisi ut reviviscens per Poenitentiam. Concedo maiorem. Per alia auxilia eidem substituta. Nego maiorem, & distinguo minorem. Dirigere debet ad gloriam vel per se immediate, vel mediate per alia ipsi subrogata. Concedo. Immediate tantum. Nego minorem. Tunc enim essent effectus per se, & ab intrinseco Praedestinationis, quod negamus in propositione, quam hic impugnat adversarius. Hinc negatur consequentia.

Ad 2 distinguo antecedens. Gratia reviviscens, & vocatio inefficax differunt numerice quoad entitatem a gratia praehabita, & efficaci. Concedo antecedens. Ex parte ordinis ad finem Praedestinationis. Nego antecedens, & consequentiam. Quia unitas ordinis sufficit, ut omnes illae gratiae, hunc ordinem constituentes, sint effectus Praedestinationis.

Ad 3 distinguo antecedens. Gratia efficax eumdem effectum haberet, sed sub eodem ordine. Nego antecedens. Sub diverso. Omitto antecedens, & nego consequentiam. Quia tunc alia esset mediorum series: hinc gratia illa juxta providentiam aliam effectum obtineret, non juxta praesentem, in qua ordo constitutus incipit a gratiis inefficacibus, tum ad efficaces prioribus substitutas progreditur.

Ad 4 distinguo maiorem. Ita debent continuari per se. Nego maiorem. Vel per se, vel per alia auxilia prioribus deficientibus substituta. Concedo maiorem. Similiter distincta maiore, nego consequentiam.

QUAE-

QUAESTIO II

quaenam bona naturalia effectus sint Praedestinationis.

Quaeres, an substantia praedestinati sit effectus ipsius Praedestinationis.

87 Resp. affirmative juxta ea, quae docet hic D. Thomas art. 8. Affirmat enim ibidem, Praedestinationem precibus juvari, adducto in exemplum Isaac, qui, fusis ad Deum precibus, obtinuit Jacob conceptionem. Atqui haec ratio nulla est, si praedestinati substantia non sit effectus Praedestinationis: ergo &c. Tum quia, ut ibidem addit D. Thomas: *Ita praedestinatur alicuius salus a Deo, ut etiam cadat sub ordinem Praedestinationis quidquid hominum promovet in salutem vel orationes propriae, vel aliorum, vel alia bona, vel quidquid huiusmodi, sine quibus salutem non consequitur.* Atqui sine propria substantia nunquam salutem consequitur praedestinatus: ergo &c. Tum quia, dum Deus decernit praedestinatum creare, nisi dicatur esse improvidus, illum certe decernit praesciens, quem finem sit habiturus, ac proinde ordinatione ad huiusmodi finem. Atqui hoc nequit contingere, nisi dicatur praedestinati substantia a Deo esse ex intentione ipsius glorificandi, ac proinde cum ordinatione ad ipsius glorificationem: ergo &c.

Et sane, si electi substantia dici non debet decreta sine ullo fine determinato eidem constituto, quem debeat attingere, fateri debemus, quod non pro signo posteriori ad huiusmodi decretum fingendus est Deus determinans aliquem finem huiusmodi creaturae, sed imo quod decretum de huiusmodi substantia sit decretum, & finis eidem constituendi, & ipsius productionis. Verum quia juxta nostram concipiendi rationem actus in Deo ordine aliquo consideramus, concipimus Deum, utpote scienter, ac ordinate res omnes determinantem, ac proinde prius decernentem certum finem substantiae producendae, tum ipsius productionem; unde cum substantia praedestinati in hoc sensu procedat ex intentione efficaci dandi ipsi gloriam, erit effectus Praedestinationis,

88 Dices. Volitio efficax gloriae nequit praecedere voluntatem efficacem de subjecto huius gloriae, nempe eiusdem subjectum: ergo &c. Probatur antecedens, quia Deus non vult primum gloriam in abstracto, & postea eiusdem subjectum, sed vult ipsam in concreto, ac proinde ipsum supponit subjectum.

Resp. distinguendo antecedens. Praecedere nequit ex parte rei voluntatem efficacem de subjecto praedestinando. Concedo antecedens. Juxta nostrum concipiendi modum, Nego antecedens, & consequentiam. Ad probationem antecedentis do lubens, & volens, Deum non velle gloriam in abstracto, sed in concreto; haec tamen voluntas, juxta nostram concipiendi rationem, hominem glorificandi, potest intelligi ante volitionem eumdem producendi eo modo, quo voluntas, quam gerere quis potest librum aliquem imprimendi, prior est voluntate cudendi characteres. Huius porro ratio haec est, quod, cum in eo, qui ordinate vult, praecedere debeat voluntas finis volitionem eorum, quae sunt ad finem; hac de re concipimus, primo Deum alicui decernentem gloriam, inde ipsum producentem cum ordinatione ad finem eidem constitutum.

Quaeres II, num alia sint dona naturalia, quae dici possint Praedestinationis effectus.

89 Resp. cum Sylvio, aliisque affirmative. Nam, ut optime ratiocinatur laudatus Theologus, quamvis plurima bona naturalia, ac temporalia ex se sint prorsus indifferentia ad vitam aeternam, nec ad ipsam ullum habeant ordinem; tamen a Deo possunt in eiusmodi finem ordinari mediis aliis gratiis supernaturalibus, ac proinde componere possunt ordinem Praedestinationis. Sic de pluribus humanae vitae eventis, de certa ingenii indole, de congerie circumstantiarum vel promovenda, vel removenda in commodum praedestinati habemus celebre illud Apostoli testimonium Rom. 8: *Scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, iis, qui secundum propositum vocati sunt sancti*. De certa ingenii indole occasione Tyriorum, qui credidissent, si vidissent Christi miracula, haec ait Augustinus lib. *de dono persever.* cap. 14: *Ex quo adparet, habere quosdam in ipso ingenio divinum naturaliter munus intelligentiae, quo moveantur ad fidem, si congrua suis mentibus vel audiant verba, vel signa conspiciant.* Demum de variis loci, temporis, ac personarum circumstantiis removendis in commodum praedestinati pe-

culiare

culiare aliquod divini Numinis relucere constat ex iis eiusdem sancti Doctoris verbis homilia 23 inter 80: *Adulter non fuisti in illa vita praeterita . . . haec tibi dicit Deus tuus, regebam te mihi, servabam te mihi, ut adulterium non committeres, suasor non fuit, ut suasor deesset, ego feci; affuit suasor, non defuit locus, non defuit tempus, ut consentires; ego tenui. Agnosce ergo gratiam eius, cui debes, & quod non admisisti.*

Ne credas tamen, huiusmodi bona esse effectus per se divinae Praedestinationis, sed tantum per accidens, cum nullam ipsa habeant cum gloria connexionem, nec ex se se in eamdem tendant.

QUAESTIO III

an peccatum, eiusque permissio dici possint effectus Praedestinationis.

90 Distinguenda nobis est primo (quod, quia plures in re praesenti omittunt Theologi, male ratiocinantur) distinguenda, inquam, nobis est activa peccati permissio ab eiusdem permissione passiva. Primam esse volunt derelictionem illam, qua dicimus hominem a Deo relinqui proprio arbitrio vitiato, quin eum gratia efficaci impellat ad declinandum peccatum. Permissio autem passiva est ipsa carentia, seu defectus gratiae efficacis in peccante, quae, si adesset, peccatum vitaret. Porro de permissione activa non est hic quaestio inter Theologos, sed de passiva tantum, quae in illo defectu gratiae efficacis consistit.

II Illud ab omnibus citra difficultatem concedi posse crediderim, quod si in rigore loqui velimus, nec peccati permissio, nec peccatum permissum dici possunt Dei effectus, ac Praedestinationis, quia neutrum proprie fit a Deo; id autem locutione rigorosa est Dei effectus, quod proprie ab ipso efficitur; peccatum autem, ubi permittitur tantum, profecto non fit. Illa autem permissio passiva est gratiae efficacis defectus, cuius indoli repugnat effici proprie, ac fieri: ergo &c.

III Inde consequens volumus, quod permissio passiva peccati dici nequeat *volita* positive a Deo, sed tantum permissive. Probatur hoc; quia haec permissio est carentia, & defectus gratiae contradictorie oppositus gratiae effi-

efficaci; atqui id nequit esse positive volitum a Deo: ergo &c. Minor probatur, tum quia hic defectus nequit esse terminus positivae volitionis, tum quia Deus libertatem suam non exercet erga contradictoria negativa per volitionem positivam, sed tantum permissivam.

IV Ex his in rem nostram aliud deducimus, quod, cum adsueti simus ex imperfecta nostra concipiendi ratione negationes, & defectus ad modum rei positivae considerare, ac vocibus *positivum quid* significantibus declarare; hinc factum est, ut peccati permissionem, quamvis quid mere negativum, nominibus positivis exprimamus. Hac de re solemus de ipsa philosophari ad modum entis positivi, eamque a Deo esse dicimus, eiusque effectum, cum nihil sit praeter ipsius peccati non impedimentum per gratiam, dum tamen sic Deus ipsum posset impedire, quod quidem effectum esse providissimi Numinis passim significamus: in alio quippe sensu nequit a viro theologo huiusmodi permissio explicari, prout esse dicitur effectus providissimi Numinis, nisi dicatur, quod peccatum sit effectus Dei. His praenotatis, ad rem accedamus.

PROPOSITIO

Permissio peccati in praedestinatis est effectus Praedestinationis hoc sensu, quod sit defectus in praedestinatis permissus ex vi, & ad finem Praedestinationis.

91 Evincitur primo ex variis simul Scripturae testimoniis, ac Patrum, ad ipsa adhibitis adnotationibus, atque interpretamentis. Occurrit primo loco illud Apostoli Rom. 8: *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*; cui illud addit Augustinus lib. de corrept., & gratia cap. 9: *Talibus Deum diligentibus omnia cooperantur in bonum: usque adeo prorsus omnia, ut, etiamsi qui eorum deviant, etiam hoc ipsum eis faciat proficere in bonum, quia humiliores redeunt, atque doctiores; discunt enim in ipsa via justa cum tremore se exsultare debere, non sibi arrogando tamquam de sua virtute fiduciam permanendi*. Hoc postmodum firmat Petri, regisque David exemplo. Apostoli textum interpretans D. Thomas haec addit: *Numquid etiam peccata in bonum cooperantur?* Inde respondet testimonio mox adducto D. Augustini.

Se-

Secundo loco adduci solet illud psalmi 29: *Avertisti faciem tuam a me, & factus sum conturbatus*. In quae verba ita scribit Augustinus lib. de natura, & gratia cap. 27: *Ideo, qui in voluntate sua praestiterat decori eius virtutem, avertit paullulum faciem suam, ut, qui hoc dixerat, fieret conturbatus, quoniam ipsis est ille sanandus doloribus*: quasi diceret; quia periculum erat, quod is in superbiae peccatum laberetur, qui in corde suo illud dixerat: *Praestitisti decori meo virtutem*; avertit Deus faciem suam subtrahendo gratiam efficacem, eoque modo peccatum permittendo, ut lapsus in peccatum fieret conturbatus, eique peccatum doleret, ut superbia sanaretur sincera cordis contritione.

Tertio loco ponimus illud 1 Timoth. 1: *Quos tradidi Satanae, ut discant non blasphemare*; cuius ab Augustino adhibita interpretatio haec est eodem lib. cap. 28: *Deserit aliquantum Deus, unde tu homo superbis, ut scias non tuum, sed eius esse, & discas superbus non esse . . .* Et infra: *Credi potest quod peccatis peccata curantur*. Tum lib. 18 de civit. Dei: *Audeo dicere superbis esse utile cadere . . . in aliquod peccatum, unde sibi displiceant, quia jam placendo ceciderant; salubrius enim Petrus sibi displicuit, quando flevit, quam sibi placuit, quando praesumsit: hoc dicit sacer psalmus, imple facies eorum ignominia, & quaerent nomen tuum, Domine*. Vide etiam Enchiridii cap. 100

Confirmatur aliis Patrum testimoniis. Sic apud s. Gregorium Magnum lib. 33 moralium cap. 11 legimus: *Qui de virtute se extollit per vitium, ad humilitatem redit . . . quia nos de medicamento vulnus facimus . . . facit ille de vulnere medicamentum, ut qui virtute percutimur, vitio curemur . . . & qui humilitatem currentes fugimus, ei saltem cadentes haereamus*. Concinit s. Leo Magnus serm. 9 de passione sic inquiens de s. Petro: *Ob hoc haesitare permissus, ut in Ecclesiae principe remedium poenitentiae conderetur*. Similia habent Damascenus *lib. 2 fidei orthodoxae cap. 29*, Hieronymus *in cap. 8 epist. ad Rom.*, Bernardus *in psalm. 2*, aliique passim.

92 Evincitur II ratione. Primo ex Patribus laudatis; quando Deus permittit electis peccatum, illud permittit propter finem salutis, permittit ex vi Praedestinationis, cuius proinde dici potest effectus: ergo &c.

II Deus electis permittens peccatum nec improvide se gerit, nec sine fine: ergo illud permittit propter aliquem finem, ad quem peccatum ordinetur: atqui pecca-

 tum

tum in electis ad salutem, ac proinde ad finem Praedestinationis conducit: ergo. Minorem probant locutiones mox recitatae Scripturarum, & Patrum, in quibus declaratur *Praedestinatio omnia cooperari in bonum*, ipsa etiam peccata, ut ait Augustinus ad Apostoli textum Rom. 9. Deum ab electo faciem suam avertere, ut conturbatus, ac dolens humilietur, superbis utile esse in peccatum prolabi; tum verba illa psaltis Regii: *Priusquam humiliarer, ego deliqui . . . Bonum mihi, quia humiliasti me*: ergo, Deo sic providente, peccatum in. praedestinatis ad finem salutis conducit.

III Si, ut jam ostensum est, peccatum in praedestinatis ad salutem conducit, Deus illud permittens non casu quodam, ac fortuito illud permittit, sed ut conducens ad salutem, ac proinde in ordine ad finem Praedestinationis: ergo ex decreto praedestinante derivatur, utpote ex salutis intentione, ac vi Praedestinationis permissum.

IV Nihil vetat, quin Deus ad gloriae suae manifestationem peccatum in electis permittat, ut habemus Rom. 9: *Sustinuit in multa patientia vasa irae apta in interitum, ut ostenderet divitias gloriae suae*: ergo etiam illud potest in electis permittere ex intentione, ac fine eorumdem salutis.

Responsiones ad objecta.

Opponitur primo. Evinci nihil potest ex Patrum testimoniis, si inde tantum probetur, Deum ex peccato fructus aliquos in peccatoris commodum colligere; ita est: ergo.

Praeterea permissio peccati non ducit ad finem Praedestinationis ratione sui, sed tantum medio peccato; atqui, si ita est, nequit esse Praedestinationis effectus: ergo. Probatur minor. Quia tunc permissio peccati, ut ad finem Praedestinationis conducens, non potest a Deo amari, quin & ipsum amet peccatum; atqui hoc a Deo amari nequit: ergo.

Insuper permissio peccati, seu defectus gratiae peccatum impedientis efficaciter, non est gratia per Christum; nec enim Christus mortuus est, ut peccatum permittatur, vel ut praedestinatis gratia efficax denegetur: ergo nequit esse effectus Praedestinationis.

Demum effectus nostrae Praedestinationis Christus a Patre precibus suis impetravit; atqui nemo sanus dicit Christum a Patre postulasse permissionem peccati in electis, ac gratiae in eisdem defectum: ergo &c.

Resp.

Resp. ad 1 concedendo maiorem & negando minorem. Nam attente Patrum locutiones perpendenti, quas mox attulimus, facile constat non solos ab iis designari fructus, quos Deus a peccati permissione deducit, sed finem, ob cuius adsecutionem peccatum permittit; aiunt enim Patres, Deum avertere faciem per gratiae subtractionem, ut peccator conteratur, eiusque superbia minuatur; a Deo sciente, & volente peccatum permitti, ut inde virtutes in peccatore augeantur.

Ad 2, data maiore, nego minorem: ad cuius probationem nego suppositum maioris; quod nempe peccati permissio a Deo amata esse debeat. Nam per nos permissio peccati non est effectus proprie talis Praedestinationis, sed tantum improprie, quatenus est gratiae defectus ex Praedestinatione, seu in ordine ad finem Praedestinationis permissus.

Ad 3 distinguo antecedens. Permissio peccati non est gratia, si consideretur intrinsece, & in se. Concedo. Si consideretur ut ordinata ad salutem, atque ex parte huius ordinis. Nego antecedens, & distinguo consequens. Huiusmodi defectus non est effectus proprie talis, ac positivus Praedestinationis. Concedo consequentiam. Permissive, & improprie talis. Nego consequentiam. Ut enim hoc pacto sit effectus Praedestinationis, sufficit, ut sit gratiae defectus a Deo per Christi gratiam ad finem Praedestinationis ordinatus. Hinc tamen inferri nequit, Christum mortuum esse, ut peccatum permittatur, sed tantum, ut culpa alias permittenda ad salutem ordinetur.

Ad 4 distinguo maiorem. Omnes Praedestinationis effectus proprie, ac positive tales Christus a Patre impetravit. Concedo maiorem. Omnes effectus improprie tales. Subdistinguo. Impetravit, ut tales in se. Nego maiorem. Quoad ipsorum ordinationem ad salutem. Concedo maiorem, & distinguo minorem. Nemo dixerit, Christum a Patre duo haec, ut talia in se postulasse. Concedo minorem. Quoad ipsorum ordinationem ad finem salutis. Nego minorem, & consequentiam.

Opponitur secundo nexus alius difficultatum. I peccati permissio conducere nequit ad finem Praedestinationis: ergo non est ipsius effectus. Antecedens probatur, quia ducit per se ad gehennam: ergo nequit dirigere ad finem Praedestinationis, nempe ad gloriam aeternam.

II Dedecet optimum provisorem grave malum permittere ex boni minoris intentione; atqui culpa lethalis est malum maius, quam sit bona salus praedestinati: ergo.
III Ideo peccati permissio est Praedestinationis effectus, quia ducit ad salutem; atqui id probat, ipsum peccatum dici etiam posse eiusdem effectum, cum sit & virtutis Poenitentiae materia, & occasio humilitatem inducens: ergo.
Respondetur ad 1 . . . Nequit ad huiusmodi finem conducere per se. Concedo antecedens. Deo sic ordinante. Nego antecedens, & consequentiam. Ad probationem antecedentis distinguo antecedens. Conducit ad gehennam per se, sed Dei misericordia ad salutem ordinatur. Concedo antecedens. Et Deus non praestat, ut ducat etiam ad salutem, quae est finis Praedestinationis. Nego antecedens, & consequentiam. Responsio est D. Thomae sic aientis prima 2 quaest. 79 art. 4: *Peccatum ad duo ordinatur, ad unum quidem per se, scilicet ad damnationem, ad aliud autem ex divina misericordia, seu providentia, scilicet ad sanationem, in quantum Deus permittit cadere in peccatum, ut peccatum suum agnoscentes humilientur, & convertantur.*
Ad 2 distinguo maiorem. Dedecet summum provisorem permittere maius malum illi, cui minus bonum intenditur ex intentione minoris boni. Concedo maiorem. Permittere maius malum, maius, inquam, relato ad ipsum provisorem, qui malum intendit. Subdistinguo. Quando sic intendens vult sibi illud bonum. Concedo maiorem. Quando vult aliis, non sibi illud bonum. Nego maiorem, & distinguo minorem. Culpa lethalis maius malum est relate ad Deum, quam sit bona salus praedestinati. Concedo minorem. Relate ad praedestinatum, cui ad tempus lethalis haec culpa permittitur. Nego minorem, & consequentiam. Deus, utpote ens summe perfectum, ac in se perfecte beatum, nihil amat extra se, ut bonum sibi, sed omnia extra se dirigit in creaturarum utilitatem, ac pressius in re nostra, quae praedestinatos attingunt, in ipsorum salutem, & commodum vertere Deus optimus decrevit.
Jam vero quando Deus aliquod lethale peccatum electis permittit, non permittit malum, quod relate ad praedestinatos maius sit, quam bonum, quod ipse intendit in peccati permissione. Nam licet peccatum infinitatem quamdam habeat
in

in ratione offensae relate ad Deum, tamen relate ad praedestinatum, in ordine ad quem spectatur in ratione malitiae dumtaxat, non est maius malum, quam bona ei sit beatitudo; quia peccati malitia solum ad tempus permissa nullam habet infinitatem, nec adtributum aliquod eius indolis, ut in ratione malitiae vincat, ac superet bonum, quod praedestinato derivatur ex ipsius salute aeterna. Hinc male adsertum suum habet adversarius tamquam axioma certissimum.

Ad 3 distinguo maiorem. Ideo dicimus, esse effectum proprie talem Praedestinationis. Nego suppositum maioris. Improprie, nimirum, ut est defectus permissus, quatenus ducit ad salutem. Concedo causalem maioris, & distinguo minorem. Dici posset peccatum, ut peccatum esse effectum Praedestinationis. Nego minorem, ut defectum permissum. Subdistinguo. Esse effectum proprie talem. Nego minorem. Improprie talem, & permissive, quatenus ex fine Praedestinationis peccatum Deus permittit. Concedo minorem, & nego consequentiam.

SECTIO V

de proprietatibus Praedestinationis.

Praedestinationis proprietates sunt eiusdem certitudo, & eius cum libertate concordia; tum demum illius extensio, seu numerus certus, ac definitus praedestinatorum. De prima & tertia hic breviter dicam; quae vero ad secundam pertinebunt, fusius in tractatu *de gratia* persequemur.

QUAESTIO I

de certitudine Praedestinationis.

PROPOSITIO

Praedestinatio certa est, ac immutabilis.

94 Evincitur propositio cum D. Thoma hic *art. 6, & quaest. 6 art. 3.* Evincitur, inquam, primo vulgatis Scri-

Scripturae testimoniis Joan. 6: *Haec est voluntas eius, qui misit me, Patris, ut omne, quod dedit mihi, non perdam ex eo*; cap. 10: *Oves meae vocem meam audiunt, & ego cognosco eas, & sequuntur me, & ego vitam aeternam do eis, & non peribunt in aeternum, & non rapiet eas quisquam de manu mea*; secunda ad Timoth. 2: *Firmum fundamentum Dei stat, habens signaculum; cognovit Dominus, qui sunt eius*; prima Joan. 2 de iis, qui a gratia in peccatum prolapsi sunt, inquit: *Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis: nam, si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum.* Haec porro adeo plana sunt, & aperta, ut de his nullatenus ambigi possit.

II Id ipsum docet sanctus Augustinus lib. *de corrept., & gratia* cap. 7: *Horum si quisquam perit, fallitur Deus, sed nemo eorum perit, quia non fallitur Deus. Horum si quisquam perit, vitio humano vincitur Deus, sed nemo eorum perit, quia nulla re vincitur Deus.* Quare suam illam ab omnibus adoptatam Praedestinationis definitionem his verbis descripsit lib. de *dono Persever.* cap. 14: *Praescientia, & praeparatio beneficiorum Dei, quibus certissime liberantur, quicumque liberantur.*

III Praedestinatio involvit decretum efficax divinae voluntatis; atqui decretum illud Dei, quo omnia, quae vult, efficaciter facit, falli nequit, ac proinde effectus ab ipso intentus sequi infallibiliter debet.

Responsiones ad objecta.

95 Opponitur primo. Praedestinatio, & liber vitae idem reddunt; atqui nonnulli deleri possunt e libro vitae: ergo. Probatur minor Exod. 32: *Aut dimitte eis hanc noxam, aut, si non facis, dele me de libro tuo, quem scripsisti*; psalm. 68: *Deleantur de libro viventium.* Huc etiam spectant verba Christi Domini Patrem alloquentis Joan. 17: *Quos dedisti mihi, custodivi, & nemo periit ex iis, nisi filius perditionis*; minui itaque potest numerus praedestinatorum.

Resp. concessa maiore, negando minorem. Ad cuius primam probationem respondeo, vel per librum ibidem Mosen intelligere vitam naturalem, non Praedestinationem, ut plures interpretes deducunt ex illo num. 11: *Obsecro, ut interficias me, & inveniam gratiam in oculis tuis*; vel per hyperbolem, & piam exaggerationem tunc eum fuisse locutum in suae erga populum Judaicum propensionis,

nis, & amoris argumentum, sub hac tamen tacita conditione, si res ita fieri posset, & expediret; quo sensu dixit etiam Paulus Rom. 9: *Optabam anathema esse pro fratribus meis.*

Ad 2 Regius psaltes praenunciat ibi poenam imminentem, qua puniendi sunt ii omnes, qui pravo odio adversus sanctos Dei prophetas sunt affecti, nisi corrigantur; vel dic verborum huiusmodi sensum esse, quod peccatores, nisi resipiscant, moriantur.

Ad 3 Judas, seu filius ille perditionis non erat ex iis, quos Pater secundum propositum efficax ad salutem destinaverat, & Filio dederat infallibiliter salvandos; hinc mirum non est si perierit.

Urgebis, Secunda Petri 1 habemus eiusdem monitum: *Satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem, & electionem faciatis*; ergo electio fieri potest certa, quae talis prius non erat.

Resp., concesso antecedenti, distinguendo consequens. Fieri potest certa quoad nos ex bonis operibus. Concedo consequentiam. Quoad Deum. Nego consequentiam. Apud ipsum enim certa jam erat, & immutabilis ab aeterno.

96 Opponitur secundo. Qui est praedestinatus nequit in peccato decedere, & ad gehennam damnari: ergo libera non est, sed necessaria eiusdem salus. Item qui est reprobus nequit salvari; ergo eius damnatio necessaria est. Neutrum consequens catholice defendi potest: ergo.

Resp. distinguendo utrumque antecedens. Praedestinatus nequit in peccato decedere, reprobus nequit salvari in sensu composito Praedestinationis, vel non Praedestinationis. Concedo utrumque antecedens. In sensu diviso. Nego antecedens, & utramque consequentiam. Distinctio est D. Thomae hic quaest. 23 art. 6 ad tertium sic aientis: *Cum Praedestinatio includat divinam voluntatem . . . Deum velle aliquid creatum est necessarium ex suppositione propter immutabilitatem divinae voluntatis, non tamen absolute . . . unde non oportet dicere, quod Deus possit non praedestinare, quem praedestinavit in sensu composito accipiendo, licet absolute considerando Deus possit praedestinare, vel non praedestinare.* Tum quaest. 6 de veritate art. 4 ad octavum: *Dicendum quod, quamvis de quolibet absolute concedi possit, quod Deus potest eum praedestinare, vel non praedestinare, tamen supposito, quod praedestinaverit, non potest non praedestinare, vel e converso, quia non potest esse mutabilis;*

&

& ideo dicitur communiter, quod haec propositio, Deus potest non praedestinatum praedestinare, vel praedestinatum non praedestinare, in sensu composito est falsa, in diviso vera; & ideo omnes locutiones illae, quae sensum compositum implicant, sunt falsae simpliciter. Demum ibid. quaest. 23, art. 5 ad tertium: *Dicendum, quod, quamvis non esse divinae voluntatis non possit simul stare cum divina voluntate, tamen potentia deficiendi effectum simul stat cum divina voluntate. Non sunt ista impossibilia. Deus vult istum salvari, & iste damnatur.*

Sensus distinctionis hic est, quod absolute, & in sensu diviso a Praedestinatione potest praedestinatus damnari, & reprobus salvari, quia Praedestinatio non tollit potentiam ad bene, vel male agendum, ideoque reprobus retinet potentiam ad salutem per merita consequendam, si velit, & praedestinatus ad peccandum, ac in peccato finaliter perseverandum; sed hoc in sensu composito nequit verificari, quatenus nequit simul componi cum Praedestinatione damnatio, quoad actum spectata, nec finalis in bono perseverantia cum reprobatione, considerata pariter, quoad actum, non ex parte potentiae. Sic, dum quis sedet, nequit in sensu composito ambulare; quia motus progressivus nequit sociari cum sessione: at in sensu diviso sedens non amittit potentiam ad ambulandum *absolute*, ut aiunt, *& simpliciter*. Stat igitur quod, cum divina praescientia sit falli, ac fallere nescia, nec divina voluntas mutationi ulli sit obnoxia, statim ac aliquis praedestinatus est, vel reprobatus, hic certissime salvabitur, vel peribit, sed libere; quia, retenta ad oppositum facultate, nulla necessitate, sed summa in agendo libertate, bonos actus, aut pravos eliciet.

Quaeres, an omnes fideles certi esse possint de sua Praedestinatione.

Calvinistae, audax hominum genus, in ea sunt falsissima persuasione, nedum certam esse in se Praedestinationem, sed omnes fideles certos esse debere de propria Praedestinatione. Contra quos

97 Resp., neminem citra specialem revelationem certum esse, an sit in numero Praedestinatorum. Probatur, quia Ecclesiastes 9 habemus: *Nescit homo, utrum amore, an odio dignus sit, sed omnia in futurum servantur incerta*. Prima Cor. 10: *Qui se existimat stare, videat ne cadat*. Philipp. 2: *Cum metu, & tremore vestram salutem operamini*. Unde Augustinus lib. *de corrept. & gratia* cap. 13: *Quis enim ex multitudine fidelium, quamdiu in hac mortalitate vivitur,*

in

in numero praedestinatorum se esse praesumat? Quare illud decretorie pronunciavit synodus Tridentina sess. 6 can. 12: *Si quis dixerit hominem renatum, & justificatum teneri ex fide ad credendum, se certo esse in numero Praedestinatorum, anathema sit.* Divus Apostolus Rom. 8 scribit, se certum esse a nulla creatura separari se posse a caritate Dei: tum addit ibidem: *Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei, & heredes.* Certum est pariter ex Scripturis, quod vita aeterna certissime promittitur iis, qui veniam a Numine offenso deprecantur, ac corde contrito divinam misericordiam implorant. Verba haec sunt Marci 11: *Omnia quaeque orantes petitis, credite, quia accipietis, & fiet vobis.* Atqui nemo est, qui salutem aeternam a Deo non postulet: ergo. Joannis autem 5: *Hoc scribo vobis, ut sciatis, quoniam vitam habetis aeternam, qui creditis in nomine Filii Dei*: ergo fideles omnes certi sunt de propria Praedestinatione.

Resp. ad 1, Apostolum certum se dicere ob spem illam firmam, quam habebat in divina misericordia, & Christi meritis, non quasi quod de propria salute certus esset, secus non adfirmaret prima Cor. 9 poenali vindicta in corpus suum se ipsum animadvertere, *ne reprobus fieret.*

Ad 2. Vult a Spiritu Sancto nobis testimonium reddi, nos esse Dei filios, modo tamen ita *compatiamur, ut & conglorificemur*: porro cum idem Apostolus ibidem innuat, non esse *condignas passiones huius temporis ad futuram gloriam, quae revelabitur in nobis,* nemo certus sibi esse potest, num ipse patiatur, sicut oportet, ad aeternae gloriae adsecutionem.

Ad 3. Ibi solum innuitur id, quod fiduciam, & spem possit in nobis augere, & confirmare, non quod salutis nostrae certitudinem plenam faciat; nec enim certi sumus, an oremus, sicut oportet, aiente Apostolo Rom. 8: *Quod oremus, sicut oportet, nescimus, sed Spiritus sanctus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.*

Ad 4 distinguo. Vitam aeternam re ipsa, ac certissime obtinendam. Nego. Spe, ac fiducia concedo. Quot enim credentes, & aliquando Deum ex caritate diligentes non perseverant finaliter, eoque in statu ad aeterna supplicia decedunt?

Quaeres, unde Praedestinationis certitudo desumatur.

98 Respondent Thomistae, eam desumi ex decreti divini efficacia. Probant hoc ex Joan. cap. 10: *Pater meus, quod dedit mihi, maius omnibus est, & nemo potest capere de ma-*

nu

nu Patris mei; Rom 8: *Si Deus pro nobis, quis contra nos?* Addunt etiam illud Augustini lib. *de corrept. & gratia* cap. 2: *Deum volenti salvum facere nullum hominis resistit arbitrium; sic enim velle, & nolle in volentis, aut nolentis est potestate, ut divinam voluntatem non impediat, nec superet potestatem.* Tum demum illud D. Thomae quaest. 6 *de verit.* art. 3: *Ille, qui est ordinatus per Praedestinationem ad salutem, nunquam deficit a consecutione salutis . . .* Tum infra: *Ipse ordo Praedestinationis habet infallibilem certitudinem.* Et sensus est, quod ordo constitutus a divino decreto in oeconomia Praedestinationis habet infallibilem certitudinem ad finem Praedestinationis, idque vi *causalitatis infrustrabilis*, quae in eodem ordine reperitur, ac proinde ex divino decreto, a quo huiusmodi ordinis derivata est certitudo laudata. Unde illud inferunt, non esse meram certitudinem fundatam in praescientia divina, qua videns Deus, quid factura sit creatura in tempore, certissime debet contingere, quod ipse praescivit, ut volunt Molinistae, sed esse certitudinem *causalitatis*, & ordinis a decreto Praedestinationis derivatam.

QUAESTIO II

de numero praedestinatorum, ubi de libro vitae notiones praecipuae indigitantur.

Quaeres 1°, an numerus Praedestinatorum sit certus ac definitus, Deoque notus.

99 Resp. affirmative, & deducitur ex superioribus, quibus ad uberiorem rei confirmationem addes illud Joan. 10: *Cognosco oves meas*; secunda Timoth. 20: *Cognovit Dominus, qui sunt eius*; tum etiam verba illa Augustini lib. *de correpr. & gratia* cap. 13: *Haec de his loquor, qui praedestinati sunt in regnum Dei, quorum ita certus est numerus, ut nec addatur eis quisquam, nec minuatur ex eis.* Hinc sanctus Prosper contrariam sententiam sugillat, tamquam Semipelagianorum commentum in epistola ad Augustinum.

Deo autem soli cognitum esse hunc numerum probat Ecclesiae oratio: *Deus, cui soli cognitus est numerus electorum.*

Quae-

Quaeres 2, an maior sit numerus Praedestinatorum prae numero reproborum.

100 Resp. primo, maiorem esse numerum reproborum, quam praedestinatorum. Probatur hoc. Matth. 2 habemus: *Lata est porta, & spatiosa via, quae ducit ad perditionem, & multi sunt, qui intrant per eam. Quam angusta porta, & arcta via est, quae ducit ad vitam, & pauci sunt, qui inveniunt eam!* Consonant Patres, maxime D. Chrysostomus homil. 14 ad populum Antiochenum, quam, qui legerit, salutari metu concuti debet, si fides in eo sit integra, & sana. *Quot putatis*, inquit sanctus Doctor, *in civitate nostra, qui salvi fiant? Non possunt in tot millibus centum inveniri, qui salvi fiant. Quin & de his dubito.* Et Augustinus in psalmum 48: *Quot sunt illi, qui videntur observare praeceptum Dei? Vix invenietur unus, aut duo, vel paucissimi; ipsos solos liberaturus est Deus, ceteros damnaturus.* Quod ita dictum intellige, ut, non solum fiat comparatio omnium generatim reproborum cum praedestinatis, ita ut in illis infideles comprehendantur, sed etiam comparatis fidelibus reprobis cum praedestinatis: istorum enim adhuc maior est numerus, aiente Augustino lib. 3 contra Cresconium cap. 16: *Boni, verique Christiani, qui per se ipsos multi sunt, in comparationem malorum, falsorumque, iidem pauci sunt*: ergo.

Et sane Matth. 19 habemus Christi documentum: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*; atqui plures sunt etiam ex fidelibus, qui mandata non servant, quam qui eisdem obsequuntur: ergo pauciores sunt etiam ex fidelibus, qui, vitam aeternam promereantur.

Quod autem aiunt nonnulli, vix aliquem numerari, qui, urgente morte, Deo per sacramenta, atque alia Ecclesiae mysteria non reconcilietur, id nobis non obest. Nam plurimum dubia admodum est in hoc statu poenitentia, teste Augustino serm. 393, alias homil. 42: *Si quis*, inquit, *positus in ultima necessitate aegritudinis suae voluerit accipere poenitentiam, & accipit, & mox reconciliatur, & hinc vadit, fateor vobis, non illi negamus, quod petit, sed non praesumimus, quia bene hinc exit.* Item D. Caesarius, aut quivis alius eius nomine serm. 255 in appendice tomi quinti operum D. Augustini ait: *Poenitentia, quae ab infirmo petitur, infirma est; Poenitentia, quae a moriente tantum petitur, timeo, ne ipsa moriatur.* Quod omen a nobis avertat Deus optimus.

Quaeres, quid ſit in Deo liber vitae.

101 Reſp., eum eſſe ipſam Dei notitiam praedeſtinatorum, ſeu certam ipſius ſcientiam eorum, qui ſunt ad gloriam praedeſtinati. Inde mortis librum vocare poſſumus eiuſdem ſcientiam, qua omnes reprobos certo novit. Sed quia divinorum codicum mos eſt librum mortis in Deo non memorare, ut liquet ex Matth. 7, ubi Deus innuitur neſciens reprobos, & Jeremiae 17: *Recedentes a te in terra ſcribentur*; ubi ex adverſo habemus Lucae 7 de electis: *Gaudete . . . quod nomina veſtra ſcripta ſunt in caelis.* Hinc Theologis pariter ſolemne eſt vitae librum memorare, mortis tacere, de quo altum in ſcripturis ſilentium eſt.

DISSERTATIO III

de Reprobatione.

SECTIO UNICA

de Reprobationis exſiſtentia, cauſis, & effectibus.

Triplex hic quaeſtio ſe offert. Prima, quid ſit, & quotuplex Reprobatio, an revera ſit admittenda. II, ſitne ante, vel poſt praeviſa demerita, ac proinde quaenam ſit ipſius cauſſa motiva. III, quinam ex ea conſequantur effectus.

QUAESTIO I

quid ſit, & quotuplex Reprobatio, & num exſiſtat.

102 Reprobationis nomen tam apud ſacros, quam apud profanos ſcriptores rei alicuius reiectionem ſignificat. Sic ad Hebraeos 7 de veteris teſtamenti per novum reiectione hoc legimus: *Reprobatio fit praecedentis mandati.* Quo etiam ſpectat illud Pſalmiſtae: *Lapidem, quem reprobaverunt aedificantes*; & 1 Regum 15: *Quidquid vile fuit, & reprobum*, ideſt reiiciendum, *demoliti ſunt.* Trita autem,

ac

ac vulgata tum apud Patres, tum apud Scholae magistros acceptione, denotat exclusionem a gloria, iisque donis, quae certo, & infallibiliter cum ea connectuntur; ut sunt habitus charitatis, gratia sanctificans &c. prout finaliter in anima perseverantes, alia quippe dona supernaturalia interdum etiam habet reprobus.

Quaeres I, quid sit Reprobatio.

103 Resp., eam, prout opponitur Praedestinationi, esse aeternum speciale Dei decretum, quo quis extra numerum electorum relinquitur, & aeternae damnationi addicitur, sibi propter peccata convenienti. Hanc D. Thomas 1 part. quaest. 23 art. 3 describit *voluntatem permittendi aliquem cadere in culpam, & inferendi damnationis poenam pro culpa.* Hinc, qui sunt hoc modo ab aeterna gloria reiecti, variis nominibus designantur in Scripturis, in quibus modo vocantur *reprobi*, modo *non cogniti*, modo *vasa irae in interitum*, tum *odio habiti*, mox *repulsi.*

Quaeres II, an revera sit admittenda Reprobatio.

104 Resp. affirmative, quia id testantur verba illa Rom. 9: *Jacob dilexi, Esau autem odio habui* . . . (in quorum primo praedestinatos designari, in altero reprobos probat D. Thomas hic art. 3) . . *& quem vult indurat . . . Deus volens ostendere iram . . . sustinuit in multa patientia vasa irae apta in interitum.*

Idem evincunt parabolae Christi Domini de piscibus bonis in vasa coactis, reiectis iis, qui erant tabe aliqua affecti, de quinque virginibus admissis, aliis quinque dimissis. Unde synodus Valentina illud decretorie pronunciavit can. 3: *Fideliter fatemur Praedestinationem electorum ad vitam, & Praedestinationem impiorum ad mortem.*

Confirmatur triplici Angelici doctoris ratione. Prima est, quod *Praedestinatio est pars providentiae; ad providentiam autem pertinet aliquem defectum permittere in rebus providentiae subjacentibus: unde, cum per divinam providentiam homines in vitam aeternam ordinentur, pertinet etiam ad divinam providentiam, ut permittat aliquos ab eo fine deficere, & hoc dicitur reprobare.* Ita sanctus Doctor hic art. 3.

Altera est, *quod, quia omnia propter semetipsum operatus est Deus, impium quoque in diem malum, ut dicitur* Proverb. 16. *Tanta autem est divinae bonitatis excellentia, quod non potest uno modo, nec in una creatura manifestari, & ideo diversas creaturas condidit, in quibus diversimode manifesta-*

 tur;

tur; praecipue autem in creaturis rationalibus, in quibus justitia eius manifestatur. Quantum ad eos, quos pro eorum meritis punit, misericordia vero in illis, quos ex gratia sua liberat, & ideo, ut utrumque hominibus manifestaretur, quosdam misericorditer liberavit, sed non omnes. Ita sanctus Doctor in epistolam ad Rom. cap. 9 lectione 4. Similia habet hic nempe 1 part. quaest. 23 art. 5 ad 3; ubi ex divina bonitate deducit rationem Praedestinationis aliquorum, & Reprobationis aliorum: *Quemadmodum enim in rerum omnium universitate plura mala esse permittit, ut in omnibus bonitas sua repraesentetur, ita in humano genere aliquos praedestinat, ut bonitatem suam per modum misericordiae parcendo repraesentet; alios reprobat, ut eam ostendat per modum justitiae puniendo.* Quod postmodum probat illis Apostoli verbis Rom. 9: *Volens Deus ostendere iram* (idest vindictam justitiae, ait sanctus Doctor) *sustinuit* (idest permisit juxta eumdem Angelicum) *in multa patientia vasa irae apta in interitum, ut ostenderet divitias gloriae suae in vasa misericordiae, quae praeparavit in gloriam*; nec non 2 Timoth. 2: *In magna domo non solum sunt vasa aurea . . , sed & fictilia; & quaedam quidem in honorem, quaedam in contumeliam.* Tum sibi objiciens, cur adhuc, hoc admisso, tales Deus reprobet, hos alios praedestinet, argumentum solvit vulgato Augustini responso, nempe solam huius rei caussam esse divinam voluntatem; quod firmat exemplo. Uti enim, licet materia sit homogenea, alia tamen sub forma ignis esse debet, alia sub forma ligni: cur tamen haec potius materiae pars sit sub forma ignis, altera sub alia forma, id a solo pendet Numinis arbitrio: ita in re nostra &c.

Tertia demum Angelici ratio haec est, quam adducit in 1 ad Annibaldum distinct. 40 art. 3: *Ordinavit ergo divina providentia humanam naturam ad beatitudinis consecutionem per liberum arbitrium. quod, quia deficere potest per se ipsum, a solo Deo indeficientiam habet; ideo ab aeterno proposuit, quod quosdam permitteret deficere; quibusdam vero auxilia praeberet, ne deficerent, & in utrisque manifestaretur virtus gratiae, & defectus naturae: defectus vero eorum, qui defecturi essent, in bonum ordinavit suae justitiae, scilicet quae poenas pro culpa retribuit; sic ergo fuit ab aeterno propositum Dei & respectu culpae permittendae, & respectu poenae infligendae.*

Pri-

Prima igitur ratio D. Thomae petitur ex divina providentia, cuius ordo postulat, ut aliquis defectus sit in rebus. II ad ostensionem multiplicem suae bonitatis. III ad humani arbitrii defectibilitatem ostendendam, & gratiae necessitatem, & efficaciam. Haec porro triplex ratio D. Thomae integra a nobis fuit recitata, ut praeiudicia, si quae sunt, longe abigat, atque ad illud, quod mox stabiliemus, Reprobationis systema candidatos disponat, quod solis indoctis, ac, ut mollissime dicam, superstitiosis, & in D. Thomae lectione omnino peregrinis mirum videri posset.

105 Dices. Deus hominem ad gloriae adsecutionem ordinavit: ergo ipsius partes sunt, ut ad ipsam omnes infallibiliter dirigat, & neminem excludat. Praeterea dum quis quidpiam agit propter finem aliquem determinatum, ipsum certe ab eo fine non excludit; atqui a Deo omnes sunt conditi, ut eo tandem in caelis fruantur: ergo a sui possessione neminem excludere debet.

Resp. ad 1, concesso antecedenti, negando consequentiam. Nec id ipsam dedecet providentiam, cum ad ipsam spectet permittere, ut res aliquae a fine eisdem constituto deficiant ad alia eius attributa manifestanda.

Ad 2 distinguo maiorem. Ipsum a fine non excludit positiva volitione ipsum excludendi, & removendi ab huiusmodi fine. Concedo maiorem. Cum volitione permittendi, seu cum voluntate permissiva sinendi, quod ab huiusmodi fine deficiat, id ad altiorem finem dirigendo. Nego maiorem, & distinguo minorem. A Deo omnes sunt conditi, ut eo tandem in caelis fruantur efficaciter. Nego minorem. Conditi sunt, ut omnes tandem Deo fruantur, quantumvis per auxilia sufficientia, & voluntatem antecedentem vult omnibus possibilem esse adsecutionem salutis, ideoque omnibus media praeparavit. Concedo minorem, & nego consequentiam.

Quaeres III, quotuplex a Theologis soleat distingui Reprobatio.

106 Resp., eam vulgo distingui in positivam, & negativam. Prima est destinatio poenae aeternae propter peccata, in quibus reprobus finaliter perseverat. Altera est exclusio a gloria tamquam a beneficio indebito.

Utriusque Reprobationis fundamentum habemus in D. Thoma, in 1 ad Annibaldum dist. 41 art. 3 in corp. *Respondeo, dicendum, quod voluntati divinae de salute hominis duplex voluntas opponi videtur, scilicet voluntas de contra-*

tradictorio, secundum quod vult aliquem non salvare, & voluntas de contrario, secundum quod aliquem vult damnare.

Prima, quae est de non salute aliquorum, seu de ipsorum a gloria reiectione, communis est omnibus reprobis. Secunda, quae est eorumdem ad poenam destinatio, pro uniuscuiusque peccatorum varietate peculiaris est, ac singulorum demeritis congruens.

Huic divisioni aliam addunt nonnulli de Reprobatione adaequata, & inadaequata. Uti enim in electis duo considerant, Praedestinationem scilicet ad gratiam, & ad gloriam: ita in reprobis duo spectant, non destinationem ad gratiam, & non destinationem ad gloriam, seu ab ista exclusionem cum conjectione ad poenas aeternas gehennae.

Quaeres IV, an Reprobatio positiva involvat actum positivum divinae voluntatis.

107 Resp. affirmative. Hinc volumus huiusmodi Reprobationem inferre actum positivum, nedum ex parte actus divinae voluntatis, sed etiam ex parte objecti, quatenus terminatur ad aliquod positivum. Probatur. Quia nemo prudens dixerit per solam actus negationem, vel etiam, si vis, per solam permissionem a Deo infligi peccatoribus poenam positivam: ergo ad eius inflictionem divina voluntas actu positivo habere se debet illam positive decernens; secus praeter eius voluntatem infligeretur. Tum quia requiritur judicium practicum ex parte intellectus ordinantis tali culpae talem poenam ad justitiam servandam: ergo etiam requiritur volitio decernens huiusmodi inflictionem, ut Deus *sciens*, *& volens* in reprobos poenis animadvertat.

Quaeres V, an uti admittitur communiter a Theologis Reprobatio positiva, & quidem ut actus positivus, ita admittenda sit Reprobatio negativa, ut actus pariter positivus.

108 Resp. affirmative. Hinc eo sensu reprobationem negativam admittimus, quod ipsa sit quaedam volitio, & ordinatio divina, quae quidem sit actus positivus, sed tamen non sit positiva, sed tantum permissiva. Probatur. Quia certum est, divinam voluntatem activam non esse, sed tantum permissivam ad extra relate ad contradictorium negativum; atqui Reprobatio negativa ex D. Thoma supra citato, quia est de non salute aliquorum, infert voluntatem respectum habentem ad contradictorium negati-

gativum: ergo involvit dumtaxat voluntatem permissivam ad extra de negatione salutis.

Et sane negatio salutis est tantum extremum contradictorium relate ad istam, non vero contrarium: ergo relate ad illam divina voluntas non est activa ad extra, sed tantum permissiva. Idcirco ait D. Thomas hic art. 3, *pertinere ad divinam voluntatem, ut permittat aliquos a vita aeterna deficere.* Ubi notetur τὸ *permittat*; non enim dixit: Ad Deum spectat excludere ab huiusmodi fine, aut velle excludere, sed solum permittere: ergo huiusmodi Reprobatio est tantum actus ad extra permissivus. Hic autem actus, quamvis ad extra non sit positivus; talis est tamen ad intra, quia huiusmodi actus est decretum Dei permittens ad extra has, vel illas creaturas ab aeterno fine deficere, eoque in aeternum carere; quod quidem decretum in se est positivum.

109 Ex his nonnulla deducimus consectaria. Primum est, Reprobationem positivam, ut respicit poenam peccatis debitam infligendam, sitam esse in ordinatione divina, nedum permissiva culpae in hoc seculo, sed etiam positive infligentem poenam in altero seculo. Ita D. Thomas hic art. 3 in corp., ubi haec leguntur: *Sicut Praedestinatio includit voluntatem conferendi gratiam, & gloriam: ita Reprobatio includit voluntatem permittendi aliquem cadere in culpam, & inferendi damnationis poenam pro culpa.*

110 II consectarium est, Reprobationem negativam, prout respicit exclusionem a gloria, ut a beneficio indebito, positam esse in voluntate permittente hominem deficere a gloriae adsecutione. Qui aliter volunt hanc Reprobationem explicare, in varios errores esse prolapsos, facile probaverim.

111 III est, quod in hoc providentiae ordine Reprobatio negativa distingui nequit a Reprobatione positiva; nam huiusmodi Reprobatio est pars providentiae: ergo ad aliquem finem debet ordinari; ergo relucere debet in homine, cui gloriam non confert huiusmodi finis; qui proinde debet aliquo modo divinam bonitatem, saltem sub ratione justitiae, manifestare: atqui id nequit contingere, nisi poena infligatur, & consequenter sine Reprobatione positiva: ergo, cum in hoc ordine providentiae Reprobatio negativa sit eiusdem pars, ideoque ad aliquem finem debeat ordinari, disjungi nequit a Reprobatione positiva. Tum quia, ut auctor est D. Thomas: *Voluit*

Deus in hominibus, quantum ad aliquos, quos praedestinat, suam repraesentare bonitatem per modum misericordiae parcendo, & quantum ad aliquos, quos reprobat, per modum justitiae puniendo; & haec est ratio, qua Deus quosdam eligit, & quosdam reprobat: ergo, cum Reprobatio negativa non possit divinam bonitatem manifestare per modum justitiae puniendo, nisi sit conjuncta cum Reprobatione positiva, ab ista nequit separari.

112 Dices. Pueri sine Baptismo decedentes sola carent aeterna gloria: ergo ipsorum Reprobatio est tantum negativa.

Resp. negando antecedens. Nam haec gloriae carentia, ut ostenditur in tractatu de peccatis, erit etiam poena relate ad illos, in qua divina justitia manifestetur; hinc molestiam, atque tristitiam iis inferet, vi cuius erit poena relate ad illos.

QUAESTIO II

de caussis Reprobationis.

Dum caussas Reprobationis inquirunt Scholae magistri, de solis agunt caussis motivis; an scilicet aliquid in reprobis praesupponatur, quod Deum impulerit ad eos reprobandos, idque pro utraque Reprobatione tum negativa, tum positiva. Antequam vero varia eorum placita recenseamus, abs re non esse crediderim errores in hoc capite varios recitare, ut plenam huiusce rei intelligentiam demus.

113 I Origenes docuit, caussam Reprobationis esse peccata ab animabus admissa in statu praevio ad earum in corpora detrusionem. II Antelapsarii omnes, & Postlapsarii (isti sic nuncupati, quod hominis lapsum causam esse dicerent, cur Deus homines reprobaverit a gloria ipsos excludendo, atque aeternis suppliciis addicendo) censuerunt, homines sic reprobatos necessario esse damnandos. Nam ab Adae peccato volunt inductam in homines necessitatem ad malum, ac proinde poenas eidem debitas. Quo fit, ut ii, qui non sunt praedestinati, quia ob labem originis necessario damnandi, a Deo reprobentur. Antelapsarii vero sic appellati, quod nullam originis labem

a Deo

a Deo praevisam censerent tamquam Reprobationis motivum, turpiter errarunt, horrenda acerbissimae haereseos portenta evomentes. En ipsorum summa, quae in libris institutionum diserte memorat Calvinus, quem omnes Antelapsarii magistrum, & coryphaeum habere gloriantur. Docet primo, Deum, dum Angelos, & homines creare decrevit, eorum aliquos a gloria, tamquam a beneficio indebito exclusos voluisse ante cuiusvis peccati etiam originalis praevisionem, eosque simul positive damnare voluisse, poenis aeternis ipsos addicendo, nulla, ut dicebam, supposita peccati praevisione, sed pro lubitu suo, atque arbitrio, nullo ad aliquam poenam justam eisdem infligendam habito respectu; quod quidem notandum maxime esse constabit ex sequentibus, ne congruere Calvini dogma cum aliquot Theologorum sententia imprudenter quis arbitretur. II ut hoc Numinis arbitrium erga reprobos effectu non careat, in eo totus est, ut aliquid a Deo reprobis immitti demonstret, quo ad peccatum, atque gehennam necessario impellantur. III ob id Deum aeque esse auctorem boni, ac pravi operis docet, nullumque creaturae rationali ad bonum, vel malum esse liberum arbitrium. Puduit tamen aliquando Calvinum pravissimi systematis, illudque nonnihil temperavit ad leges, & canones Postlapsariorum; unde ex parte cum celebri Concilii Tridentini decreto sess. 6 can. 6 consentit. Cuius haec sunt verba: *Si quis dixerit, non esse in potestate hominis vias suas malas facere, sed mala opera, ita ut bona Deum operari non permissive solum, sed etiam proprie, & per se; adeo ut sit proprium eius opus non minus proditio Judae, quam vocatio Pauli, anathema sit.* Tum can. 17: *Si quis justificationis gratiam nonnisi praedestinatis ad vitam contingere dixerit, reliquos vero, qui vocantur, vocari quidem, sed gratiam non accipere, utpote divina potestate ad malum praedestinatos, anathema sit.*

114 Quod attinet ad Catholicorum sententias, varius est eorumdem sensus in utriusque Reprobationis caussa adsignanda. Nam primo quod spectat ad Reprobationem negativam, communis Augustinianorum mens est, Deum in prima Angelorum, atque hominum creatione, ac proinde in statu innocentiae gratias sufficientes eisdem indiscriminatim contulisse, ab ipsorum arbitrio dependentes, eamque ob caussam neminem tunc fuisse negative reprobatum, nisi post praevisum ipsorum actuale peccatum.

At

At in statu naturae corruptae, cum omnes in Ada peccaverint; ii omnes, quos Deus e massa perditionis non secrevit, ii, inquam, negative dicuntur reprobati ob indignitatem ex labe originis contractam, quod quidem etiam ad eos extendunt, quibus originale peccatum dimissum jam fuit. II ii omnes, qui Praedestinationem ad gloriam a meritis dependere volunt, censent Reprobationem tum positivam, tum negativam posteriorem esse ad ipsorum peccata actualia praevisa. III Thomistae omnes communiter docent, reprobationem negativam nullam praesupponere peccati nedum actualis, sed etiam originalis praevisionem; positivam vero posteriorem esse ad peccata actualia praecognita. IV inter Thomistas opinantur nonnulli, utramque Reprobationem esse ante praevisa quaecumque demerita. Jam vero paucis mentem nostram adperiemus.

ARTICULUS PRIMUS

an Reprobatio negativa sit ante praevisum quodcumque peccatum.

PROPOSITIO

Reprobatio negativa, prout est exclusio permissiva a gloria, tamquam a beneficio indebito, est ante praevisa demerita, & peccata, sive originale, sive actuale, ac proinde in solam refundi debet divinam voluntatem.

115 Evincitur primo ex illo Rom. 9: *Cum nondum nati fuissent, nec aliquid boni, aut mali egissent, ut secundum electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei, Jacob dilexi, Esau autem odio habui.* Jam vero sic arguitur. Eodem modo loquitur Apostolus hic de Praedestinatione, ac de Reprobatione: illam vult adscribi soli divinae voluntati, quia *non ex operibus, sed ex vocante*: ergo istam pariter, nempe Reprobationem, non malis operibus praevisis, sed divinae voluntati vult esse referendam.

Tum quia D. Thomas ad laudata Apostoli verba haec addit: *Sicut dilectio, de qua loquitur, pertinet ad aeternam Dei Praedestinationem, ita odium pertinet ad Reprobationem, qua Deus repro-*

pro-

probat peccatores: ergo quemadmodum arguitur electio ad gloriam ante merita praevisa, quia Apostolus inquit: *cum nondum aliquid boni egissent, Jacob dilexi*: ita cum pariter dictum sit: *antequam aliquid mali egissent, Esau odio habui*, ante quodvis demeritum praevisum statuenda pariter est Reprobatio, seu exclusio a gloria. Confirmatur, quia idem Apostolus loco citato subdit: *Quid ergo dicemus? Numquid iniquitas apud Deum? Absit. Moysi enim dicit: miserebor, cuius misereor . . . Ergo cuius vult miseretur, & quem vult indurat . . . o homo, tu quis es, qui respondeas Deo?* Porro si negativa Reprobatio a demeritorum praevisione penderet, haec in caussa diceret esse Apostolus, cur aliqui reprobentur, non vero ad unum Dei beneplacitum confugeret: atqui ab isto solo repetit Reprobationem, uti non a meritis, sed a divina voluntate Praedestinationem derivari, contendit aiens: *cuius vult miseretur, & quem vult indurat.* Tum, ut omnem garriendi libidinem in hominibus comprimat, eos monet divinae voluntatis caussam non esse inquirendam; cum enim ipsa injusta esse nequeat, ita cuivis satis esse debet hoc scire, Deum scilicet ita velle. *O homo, tu quis es, qui respondeas Deo?* ergo &c. Mitto illud capitis sequentis: *Numquid dicit figmentum ei, qui se finxit? Quid me fecisti sic? Annon habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud in contumeliam?* Inde enim caussam cur aliquis eligatur, alius reprobetur, solam esse Dei voluntatem planum omnino fit, quin pluribus demonstretur.

116 Evincitur secundo D. Thomae testimoniis, cuius expressa mens est hic quaest. 23 art. 5 ad 3: *Quare hos elegit Deus in gloriam, & illos reprobavit, non habet rationem, nisi divinam voluntatem.* Tum 1 ad Annibaldum dist. 41 art. 3 in corp. post distinctam duplicem circa reprobos Numinis voluntatem, nempe de contradictorio, videlicet de aliquibus non salvandis, quae est reprobatio negativa, & aliam de contrario, quae est Reprobatio positiva; de prima inquit: *Haec voluntas non requirit aliquam rationem ex parte voliti, cum salus gloriae non sit debita humanae naturae; non enim requiritur ratio, quare non dem alicui, cui dare non debeo.* His concinunt, quae ab eodem traduntur q. 6 de verit. art. 2 ad 8: I*n his, quae ex liberalitate donantur, in nullo justitia contradicitur: possum enim uni dare, & alteri non dare pro meo libito voluntatis*; & ad 9: *Hoc ipsum, quod est non habere debitum, sufficiens*

est

est ratio non donandi: ergo, cum Deus ad gloriam conferendam non teneatur, cur eam conferre nolit, sola sufficere potest ipsius voluntas, & nullum in ipso debitum ad ipsam conferendam. Eam ob caussam potest Deus citra injuriam, ac ante praevisa demerita personalia alicui negare, seu nolle conferre primam gratiam efficacem; quia illa non est homini debita: ergo etiam in re nostra.

117 Evincitur tertio, quia Deus aliquibus ante eorum demerita vult non conferre gratiam finalem; atqui haec volitio est ipsa voluntas permissiva exclusionis ipsorum a gloria, vel saltem ipsam supponit: ergo &c. Maior constat, tum quia perseverantia finalis est merum donum Dei a meritis independens, unde non perseverantia a Deo pariter permissa esse debet ante demeritorum praevisionem, quia, ut Deus eam permittat, sufficit, quod ad huiusmodi perseverantiam concedendam nullo jure teneatur. Tum quia si Deus peccatum finale permitteret ob aliquod peccatum prius praevisum, admitt deberet processus in infinitum: nam peccatum illud praevisum permitteretur propter aliud, & sic in infinitum progrederemur. Minor autem facile probatur, quia huiusmodi voluntas est per se connexa cum exclusione a gloria, vel est ipsa voluntas permissiva exclusionis a gloria, quamvis nostro concipiendi modo prius consideremus Deum volentem permissive huiusmodi exclusionem, deinde peccatum permittentem finale, ut prius Deum concipimus eligentem ad gloriam, dein ad gratiam finalem.

118 Evincitur quarto, & potissimum quoad eam partem, quae spectat originale peccatum. Qui enim extra Scholam D. Thomae Praedestinationem gratuitam docent, cum D. Augustino ad huiusmodi peccatum confugiunt, ut rationem negativae Reprobationis adsignent. Peccatum originis vel supponitur remissum in reprobo, vel non; neutro modo esse potest caussa motiva Reprobationis negativae: ergo. Minor quoad primam partem probatur ex Tridentino sess. 5 can. 5 sic decretorie pronunciante: *Si quis Jesu Christi Domini nostri gratiam, quae in Baptismate confertur, reatum peccati originalis remitti negat, anathema sit.* Cui definitioni praeiverat Apostolus Rom. 8 inquiens: *Nihil est damnationis in iis, qui vere consepulti sunt cum Christo per Baptisma in mortem.* Jam vero sic arguitur. Si peccatum originis sit caussa Reprobationis negativae, Deus aliquem excludit a gloria in poenam originalis; id dici ne-

nequit, quia pugnant haec duo, remittere peccatum quoad culpam, & quoad poenam, & velle alicui exclusionem a gloria propter culpam originis, & in eiusdem poenam: ergo &c.

Quod autem aiunt nonnulli, originale utique esse remissum quoad poenae reatum, sed non quoad integram *poenalitatem*, quae *poenalitas* fluens ab originali etiam remisso, & consistens in concupiscentia, & in negatione perseverantiae finalis, in caussa est, cur aliqui reprobentur; hoc, inquam, nullum nobis negotium facessit: nam licet concedamus concupiscentiam, originali dimisso, adhuc subsistere, negamus tamen, eam esse Reprobationis negativae motivum. Quis enim dicat, Deum aliquos negative reprobare, propterea quod habet concupiscentiam; cum nulli vitio verti possit concupiscentia, sed pravus tantum eiusdem usus? Quod dicimus de concupiscentia, id potiori jure affirmamus de negatione finalis perseverantiae: hanc enim & fluere ab originali, & caussam esse Reprobationis negativae omnino inficiamur. Nam primo poenalitates ex originali fluentes aeque in praedestinatis, ac in reprobis reperiuntur, ut constat de concupiscentiae morte &c. Privatio autem finalis perseverantiae non habetur in electis: ergo erit poena, non poenalitas peccati originalis. Atqui ubi sit remissum, condonatum est quoad aeternae poenae reatum: ergo &c. Secundo privatio huiusmodi est infallibiliter privatio gratiae, & gloriae in aeternum; atqui repugnat, quod in poenam originalis jam remissi habeatur exclusio a gloria, quae sit poena peccati non dimissi: ergo &c. Tertio quaesierim ab adversariis: vel Deus negans homini baptizato gratiam finalem ideo negat, quia homo ille huiusmodi gratia est indignus propter originale peccatum, vel quia gratia finalis illi non est debita. Si primum, baptizatus propter originale dimissum, erit dignus privationis gratiae finalis, ac proinde reus exclusionis a gloria, & poenae aeternae: ergo, quoad poenae aeternae reatum, dimissum non erit in illo originale peccatum, quod nemo dixerit. Si secundum: ergo, cum alia non sit ratio, cur negetur res non debita, nisi voluntas rem illam non conferentis, cur Deus permittat exclusionem a gloria, ut a beneficio indebito, sola sufficiet Numinis voluntas. Demum ideo Adamo, & Angelis permissum fuit peccatum, nec gratia efficax ad illud vitandum fuit ipsis concessa, quia ad neutrum Deus tenebatur, quin ad illud explicandum ad aliquod demeritum

per-

personale praecedens recurratur: ergo, cum pariter Deus gratiam finalem, & gloriam adultis baptizatis non teneatur conferre, ut eorum Reprobationem explicemus, nulla ratio pôstulat, ut ad originale remissum confugiamus, tamquam motivum exclusionis ipsorum a gloria.

Probatur autem nunc altera minoris pars, quod nempe si peccatum originis non supponatur remissum, dici nequeat caussa motiva Reprobationis negativae. Permissio peccati originis finaliter perseverantis est primus effectus Reprobationis in eo, qui decedit cum huiusmodi peccati reatu; tales sunt pueri sine Baptismo decedentes: ergo nequit esse ipsius caussa. Antecedens probatur ex D. Thoma hic quaest. 23 art. 3 in corp. sic ratiocinante: *Pertinet ad providentiam permittere aliquem defectum in rebus, quae providentia subduntur. Unde, cum per divinam providentiam homines in vitam aeternam ordinentur, pertinet etiam ad ipsam, ut permittat aliquos ab isto fine deficere, ... & sicut Praedestinatio includit voluntatem conferendi gloriam, & gratiam; ita Reprobatio includit voluntatem permittendi aliquem cadere in culpam, & inferendi damnationis poenam pro culpa.* Igitur juxta D. Thomam peccatum, propter quod aliquis excluditur a gloria (cuiusmodi est relate ad parvulos sine Baptismo decedentes peccatum originis) est effectus improprie talis Reprobationis, seu defectus ab ipsa permissus: Reprobatio enim includit voluntatem huiusmodi peccatum permittendi, ut palam indigitant verba Angelici.

Praeterea juxta doctrinam eiusdem s. Doctoris Deus non propter hoc vult hoc, sed vult hoc esse propter aliud. Nam caussa motiva divinae voluntatis creatum nihil esse potest; atqui fallit haec regula, si negativae Reprobationis caussam esse velimus hominum demerita praevisa, ac proinde originale non dimissum: tunc enim istud erit caussa motiva, cur aliquos Deus velit excludere a gloria, ac proinde propter peccatum volet eos reprobare, non volet permittere peccata in ordine ad exclusionem a gloria, quam dumtaxat permittit, ut propria attributa manifestet.

Responsiones ad objecta.

119 Opponitur primo. Nihil frequentius occurrit in sacris literis, quam *Deum non velle mortem peccatoris, sed ut*

ut convertatur, & vivat; voluntatem eius non esse mortem impii; Deum non laetari in perditione vivorum: ergo Deus velle nequit aliquibus exclusionem a gloria, nisi post praevisa ipsorum demerita.

Praeterea legimus apud Augustinum epistola 105: *Quaerimus caussam Praedestinationis, & invenire non possumus; quaerimus meritum derelictionis, & invenimus*; & lib. ad Simplicianum quaest. 2: *Si nullo merito reprobatus est Esau, quomodo eius Reprobatio justa dici potest.* Similia legas in D. Prospero in responsionibus ad capitula Gallorum cap. 3, ubi ait: *Non ex eo peccandi necessitatem habuerunt, quia praedestinati non sunt, quia tales futuri ex voluntaria praevaricatione sunt praesciti.*

Resp. ad 1, praedicta testimonia probare dumtaxat, Deum non velle positive, ac proinde caussare *mortem peccatoris*, cum sit summe bonus; non probant tamen, quod Deus non possit velle permissive exclusionem a gloria. Cum enim iis, quibus vult gloriam, eam libere velit, potest aliis eam non velle, ac proinde ipsis velle potest citra crimen exclusionem a gloria saltem permissivam, quae est illa voluntas de contradictorio salutis, a nobis superius juxta D. Thomae doctrinam explicata. Sunt etiam, qui praedicta illa testimonia de voluntate antecedenti, non de consequenti intelligi putant oportere.

Ad Patrum locutiones respondeo, Augustinum esse hoc sensu intelligendum, quod Reprobationis positivae, ac proinde ut poenam infligentis aliqua est ratio ex parte nostra, nimirum, quia praevidentur nostra demerita. Ita explicat sanctum Doctorem D. Thomas hic, qui etiam addit, id tantum probare ex parte nostra reperiri sufficiens Reprobationis motivum. Si enim voluisset omnes propter Adae peccatum ab aeterna gloria excludere, id citra omne nefas potuisset permittere, vel juxta eumdem dic conditionem nostram eam esse, ut ipsi debita non sit aeterna gloria; hoc autem, quod est nobis non deberi gloriam, est motivum sufficiens *negativum*, cur non simus praedestinati, idest cur Deus non teneatur ad nos eligendos ad gloriam.

Quod spectat ad Prosperum, duplex habetur responsum. Primum est, ibidem agi de negatione Praedestinationis, prout habet rationem poenae, & hoc modo, ut constabit in articulo sequenti, ideo quis non est destinatus ad gloriam, utpote damnatus ad poenam, quia Deus illum fu-

tu-

turum peccatorem praescivit. Alterum est, quod Reprobatio negativa nedum involvit decretum de permissione exclusionis a gloria, sed etiam scientiam practicam de defectu permittendo in libero arbitrio a gloria obtinenda; unde nihil incongrui est, quod Deus praesciens a se permittendum esse huiusmodi defectum a gloria obtinenda dicatur decernens huiusmodi permissionem; quia, hoc etiam admisso, Reprobatio negativa non pendet a demeritis praevisis. Aliud est enim dicere, quia praevideo hominem peccaturum, permittere volo ipsius exclusionem a gloria; aliud, ideo non est praedestinatus, quia practice Deus judicavit, & decrevit permittere illius exclusionem a gloria. Secundum dixit Prosper, sed nuspiam primum.

123 Opponitur 2. Deus ante praevisa hominum demerita vere, ac sincere vult omnium salutem; atqui cum huiusmodi voluntate componi nequit Reprobatio negativa multorum, qui excluduntur a gloria: ergo. Minor probatur Quia dum Deus omnes ordinat, ac promovet ad salutem, concipi nequit, aliquos ab huiusmodi salute excludere: tunc enim vellet, & nollet omnium salutem: ergo &c. Confirmatur hoc totum, quia aptius sententia communis omnium Theologorum de voluntate Dei circa omnium salutem defenditur, si dicatur, Deum ex se velle antecedenter omnium salutem, & dumtaxat ex peccato praeviso velle consequenter aliquos a gloria excludere: ergo.

Resp., concessa maiore, negando minorem, ad cuius probationem nego antecedens. Nam tunc non posset dici volens, & nolens omnium salutem, sed tantum volens antecedenter omnium salutem, quatenus eam vult secundum se, atque ut avulsam ab omnibus circumstantiis omnibus conferre, non tamen attentis aliis circumstantiis, puta, attenta hac circumstantia, quod illam aliquibus non conferre juvet, ad misericordiam suam in electos demonstrandam, ad ostendendum, beatitudinem esse indebitam cuilibet homini in particulari; quae quidem volitio, utpote consequens, optime sociatur cum illa voluntate antecedenti de omnium salute.

. Ad confirmationem nego antecedens. Nam ubi per adversarios explicatur voluntas Christi Domini de morte obeunda pro omnibus, & quidem post praevisa demerita; pro his enim Christus obiit, explicatur, inquam, haec voluntas, quin excludatur voluntas permissive aliquos exclu-

clu-

cludens a gloria, ita facile conciliamus voluntatem Dei de omnium salute cum voluntate aliquos ab eadem excludendi. Primum explicant adversarii distinguendo voluntatem antecedentem a consequenti; secundum explicamus nos adhibita eadem distinctione.

121 Opponitur 3. In hac sententia reprobus est necessario exclusus a gloria: ergo necessario est damnandus, ut obtendunt Calvinus, & Beda. Insuper Deus erit personarum acceptor: ergo &c.

Demum, qui reprobantur, dicuntur relicti in massa perditionis: ergo Reprobatio negativa supponit peccatum originis.

Resp. ad 1 negando antecedens. Uti enim electus ad gloriam potest damnari, ita non electus salvari, ut supra a nobis probatum est.

Ad 2 negatur antecedens. Quia in donis gratuitis nulla personarum acceptio esse potest.

Ad 3 quaero primum, quomodo id possit de Angelis verificari. II, concesso antecedenti, negatur consequentia. Quia, si in rigore loqui velimus, ii tantum dicuntur relinqui in massa perditionis, qui ob peccatum originale non dimissum, vel ob actuale praevisum merentur damnationem.

ARTICULUS SECUNDUS.

An Reprobatio positiva posterior sit ad demeritorum praevisionem.

PROPOSITIO.

Reprobatio positiva, qua Deus intendit infligere reprobis poenam aeternam, posterior est ad demeritorum praescientiam.

122 Evincitur propositio ex illo Oseae 13: *perditio tua ex te Israel*; Sapientiae 1: *Deus mortem non fecit, nec laetatur in perditione vivorum*; aliisque Scripturae locis, in quibus passim praedicatur, Deum summe clementem esse, nec ullum perdere velle, ac poenis aeternis cruciare, nisi qui abierit in vias impiorum. Id ipsum suadent clarissima traditionis documenta. Sic habemus in concilio

Arausicano can. 25: *Aliquos ad malum divina potestate esse praedestinatos, non solum non credimus, sed etiam si sunt .... qui credant .... illis anathema dicimus.* In concilio autem Valentino can. 3: *Fatemur Praedestinationem electorum ad vitam, & Praedestinationem impiorum ad mortem; in electione tamen salvandorum misericordiam praecedere meritum bonum, in damnatione vero periturorum meritum malum praecedere justum Dei judicium.* Quibus addes illud Augustini: *Bonus est Deus, justus est Deus, potest aliquos sine bonis meritis liberare, quia bonus est; non potest quemquam sine meritis damnare, quia justus est.* Hoc etiam expresse docet D. Thomas in cap. 9 epist. ad Rom. lect. 2: *Differt Praedestinatio a reprobatione, quantum ad hoc, quod Praedestinatio importat praeparationem meritorum, quibus pervenitur ad gloriam, & ideo praescientia meritorum non potest esse aliqua ratio Praedestinationis, quia merita praevisa cadunt sub Praedestinatione, sed praescientia peccatorum potest esse aliqua caussa reprobationis ex parte poenae, quae praeparatur reprobatis, in quantum Deus proponit se puniturum malos propter peccata, quae a se ipsis habentur non a Deo.*

Ex dictis nonnulla fluunt consectaria. Primum est, caussam reprobationis positivae infantium sine Baptismo decedentium esse unum originale peccatum: seu clarius, Reprobationem positivam infantium sine originalis expiatione morientium praesupponere solum peccatum originis praevisum, quia propter hoc solum aeternam poenam merentur. Alterum huic simile consectarium est, reprobationem positivam adultorum infidelium supponere praevisionem peccati originalis, & actualis, cum ob utrumque peccati genus damnentur. Tertium denique ad reprobationem positivam adultorum sola praesupponi peccata actualia post Baptismum commissa; nam si poena aeterna eisdem est infligenda, profecto praesupponere debet peccata, & quidem personalia, cum originale supponatur remissum.

Quaeres, quomodo perversum dogma Calvini superius explicatum possit a Theologis exsufflari.

123 Resp., id nullo negotio fieri posse: nam, ut habemus Sapientiae 1: *Deus mortem non fecit, nec laetatur in perditione vivorum*; & Oseae 13: *Perditio tua ex te Israel.* Qui igitur damnantur, ideo damnantur, quia poenam aeternam propriis culpis sibi merentur. Hoc ipsum tota retro docuit antiquitas. Nam synodus Arausicana canonem

hunc

hunc ordine 25 confecit: *Aliquos ad malum divina potestate esse praedestinatos, non solum non credimus, sed etiam si sunt, qui tantum malum crederent, cum omni detestatione illis anathema dicimus.*

Et sane citra impietatem dici nequit, Deum aliquos creasse, ut poenae aeternae addicerentur, atque ob id, ut expresse docet Calvinus *in epistola ad Rom. cap.* 1, eosdem ad peccatum impelleret: tunc enim Deus crudelis erit, ac summe immisericors, qui non aliam ob caussam aliquos esse velit, nisi ut in aeternum crucientur, atque, ut ab ipsis poenis non effugiant, ipsos necessario adigat ad peccatum.

Ex his Reprobationem negativam in sensu Thomistarum a Calvini explicatione secernas. Illa enim est mera exclusio a gloria, ista est damnatio ad poenam; illa non impellit hominem necessario ad peccatum, sed tantum permittit; ista hominem necessario pellit ad culpam. Longe igitur a Calviniano distat dogmate, quae tamen primo obtutu longe durissima videtur Thomistarum sententia.

QUAESTIO III.

De effectibus Reprobationis.

Quaeres, quinam sint Reprobationis effectus.


124 Resp. 1, poenam positivam aeternam esse effectum proprie talem Reprobationis; quia est aliquid positivum a Deo intentum, ut infligendum reprobis, tamquam dignam pro eorum sceleribus poenam, ac proinde vi Reprobationis.

125 Resp. 2, peccata non remittenda esse effectus Reprobationis, sed improprie tales. Quot sint effectus, patet; quia statim ac Deus aliquem excludit a gloria, vult non conferre gratiam efficacem impedientem peccatum finale: ergo huiusmodi peccatum, ut permissum, est effectus Reprobationis; quod autem sit improprie talis, patet ex dictis superius. Quod diximus de peccato finali, dictum etiam intelligo de excusatione, atque obduratione.

126 Resp. 3, peccata etiam remittenda, praecise ut peccata sunt, esse etiam effectus improprie tales Reprobationis. Probatur. Quia etiamsi remittantur, aliquod sui vestigium relinquunt, quod animam semper a fine salutis avertit: ergo, cum Deus aliquem excludens permissive a gloria vi huiusmodi Reprobationis permittat huiusmodi peccata, esto remittenda, permittit fatale illud peccati vestigium ex illis profluens; unde ob id improprie vocari possunt effectus Reprobationis, quia sunt defectus ob eamdem permissi.

Haec de Praedestinatione, & Reprobatione. Si quid autem in iis, quae a me dicta sunt, occurrit vel captu difficile, vel minus rationi consentiens, illud aequi bonique consulent S. F. candidati: sancte enim, ac religiose profiteor, quidquid in huius argumenti tractatione insinuavi, ad Scripturae, & Traditionis calculos exactum a me fuisse, quin tamen ob mysterii obscuritatem dubietatem omnem in adsertis meis exponendis exuerim.

TRA-



TRACTATUS TERTIUS

CONTINENS PRAELECTIONES THEOLOGICAS

DE DIVINA GRATIA

De divina Gratia tractationem mihi instituenti superfluum plane videtur, ac Theologi otio suo abutentis, eiusdem elogium texere, operisque dignitatem, atque arduum molimen gravi, fusaque oratione praedicare. Satis ista doctis, rudibusque nota sunt, quin ea ad fastidium usque repetam, quocirca vobis melius consultum crediderim, ac temporis angustiis cautum magis, si statim ad rem accedens universi operis oeconomiam vobis accurate exposuero. Ipsius duae erunt partes, neglecta, quae viget communi apud Scholae magistros methodo. In prima ea omnia expendam, quae de Gratia docet Ecclesia adversus haereticos ipsius osores: in altera controversias explicabo, quae inter Scholasticos vulgo jactantur; ad utramque partem ad instar prologi nonnulla prolegomena viam sternent, a quibus lumen ea mutuentur, quae in operis decursu in quaestionem adducam.

De Gratiae acceptionibus variis, definitionibus, ac divisionibus.

1 Gratiae multiplicem esse acceptionem notum iis omnibus est, qui in Scripturarum lectione hospites non sint, ac peregrini. Sic legimus, ipsam sumi pro venustate Proverb. cap. ult.: *Fallax Gratia, & vana est pulcritudo*; & psalm. 44: *Diffusa est Gratia in labiis tuis*; pro benevolentia Gen. 39, ubi de Joseph dicitur: *Invenisse Gratiam coram Domino suo*; pro gratiarum actione ob accepta beneficia 2 Regum 2, ubi David sic loquens inducitur: *Et ego reddam Gratiam eo, quod fecisti verbum istud*. Hae porro acceptiones alienae sunt a praesenti instituto, in quo Gratiae nomine intelligitur *donum Dei, seu beneficium gratis concessum, ac proinde ex mera eius liberalitate procedens*; ut enim scite, & apposite advertit Apostolus Rom. 11: *Si Gratia, jam non ex operibus; alioquin Gratia jam non est Gratia.* Hinc vides, aliam esse mercedis, aliam Gratiae rationem: ista enim nulla supponit merita, quibus sit debita, sed a sola ipsam largientis benignitate profluit: illa supponit merita, quibus tamquam praemium sit debita. Id porro indigitat Apostolus Rom. 4 iis verbis: *Ei, qui operatur, merces non imputatur secundum Gratiam, sed secundum debitum.* Jam vero Gratia hoc modo considerata, nempe pro dono gratis a Numine concesso duplicem adhuc acceptionem sortitur, quarum una pressius, alia magis remote ad rem praesentem spectat. Sic enim Gratia considerata vel designat donum gratuitum Dei, quodvis illud sit, & tunc largiori hac significatione commune est tum donis naturalibus, tum supernaturalibus, eoque sensu creatio, conservatio, aliaque id genus Gratiae nuncupantur a D. Hieronymo *epistola* 139; necnon ab Augustino *epistola* 177 *alias* 95 ad Innocentium pontificem *n.* 7. Quam quidem creationis Gratiam nec ipse negavit Pelagius, homo, si quis alius, Gratiae infensissimus, eoque pacto fucum fecit Patribus Concilii Palaestini, qui Gratiam ab eodem credi, ac defendi intelligentes, non aliam rati sunt ab ipso Gratiam propugnari, quam quae strictiori acceptione

ab

ab Ecclesia usurpatur, dum tamen ipse solam admittebat Gratiam creationis, ut refert laudatus Augustinus in memorata epist. ad Innocentium. Si autem strictius usurpetur, significat donum supernaturale creaturae rationali a supremo Numine concessum, quo ad opera supernaturalia perficienda in ordine ad vitam aeternam comparandam disponitur, & ordinatur. Quo sensu loquuntur sacri Scriptores aientes: *Lex per Moysen data est; Gratia, & veritas per Jesum Christum*; Joan. 1: *Justificati gratis per Gratiam ipsius* Rom. 3. Haec autem est propria, ac theologica Gratiae acceptio, in cuius explicatione nostra nunc debet desudare industria. Aliae enim vel omnino alienae sunt a praesenti instituto, vel saltem remote ad ipsum spectantes, quod etiam observavit Augustinus epist. 177 alias 95, ubi inquit: *Illam Gratiam, qua creati sumus homines, etiamsi ita appellandam non immerito intelligimus, mirum est tamen, si ita appellatam in ullis Propheticis, Evangelicis, Apostolicisque literis legimus; Hanc Apostolica doctrina Gratiam isto nomine adpellat, qua salvamur, & justificamur fide Christi.*

2 Gratiam hanc varie definiunt Theologi. Qui enim in ea versantur mente, quod intuitu meritorum Christi Angeli, & Adam in statu innocentiae Gratiam habuerint, uti ex eiusdem meritis, & Adae jam lapso, & nobis eiusdem reatu infectis derivatur, hi, inquam, Gratiam pro utroque statu sic definiunt: *Donum supernaturale creaturae rationali a Deo concessum intuitu meritorum Christi ad vitam aeternam ordinatum.* Qui autem sentiunt, Gratiam Angelis, & Adae innocenti concessam a Christi meritis fuisse independentem, ac solam in ipsis fundari Gratiam collatam Adae lapso, eiusque posteris, quam ob id vocant Gratiam Christi, hi, inquam, Gratiam in statu innocentiae collatam definiunt: *Donum supernaturale a Deo gratuito datum in ordine ad vitam aeternam consequendam.* Gratiae autem Christi, seu propriae naturae lapsae eamdem definitionem accommodant, quam iis communem esse dixi, qui Christi meritis tribuunt Gratiae utriusque status collationem; nos porro, qui hic nolumus instituere quaestionem spectantem ad tractatum de Incarnatione, an Christus tum nobis, tum Angelis Gratiam promeruerit, Gratiam pro utroque statu definimus priori definitione, seclusis iis verbis *intuitu meritorum Christi*; Gratiam autem

statui naturae lapsae accommodatam eadem definitione, retentis verbis laudatis.

Contra haec autem otiose quis opponeret, augmentum Gratiae bonis operibus tribui tamquam mercedem; haec igitur est Gratia, quin sit gratis collata. Nam nihil inde evinci posse ex eo liquet, quod illud Gratiae augmentum confertur ut merces bonis operibus, sed elicitis ex Gratia, quamobrem vocari solet a Theologis hoc Gratiae incrementum *Gratia pro gratia.*

3 Gratiam supernaturalem, atque in strictiori theologica acceptione dividunt communiter sacrae doctrinae Tractatores 1 in Gratiam Dei, & Gratiam Christi. Prima non pendet a Christi meritis; altera utique (de ista divisione diximus n. superiori) : tum in internam, & externam. Prima est intra hominem posita, cuiusmodi est pia affectio, seu inspiratio, qua voluntas ad pia opera excitatur, atque illustratio, qua mens in veritatum supernaturalium cognitione illuminatur: altera vero est extra hominem posita, ipsum exterius adficiens, ut Evangelii praedicatio, lex, Christi exempla &c.

Gratia interna subdividi solet in Gratiam gratis datam, & gratum facientem. Prima est, quae primario in aliorum salutem, & commodum confertur; huiusmodi sunt dona linguarum, aliaque similia, quae ab Apostolo numerantur 1 Cor. 12: *Alii quidem per spiritum datur sermo sapientiae, alii sermo scientiae, alteri fides, alii operatio virtutum, alii prophetia, alii discretio spirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio sermonum.* Gratia autem gratum faciens illa est, quae ad propriam accipientis sanctificationem primario ordinatur. Haec iterum dividitur in actualem, & habitualem. Prima est, quae a Deo confertur ad modum actus, seu motionis transeuntis ad actionem ordinatae. Hanc passim *motionis*, *inclinationis*, *auxilii* nomine indigitant Patres; potissimum Augustinus lib. *de Nat. & Grat.* c. 26 n. 29, & l. *de Grat. Christi* c. 12, ubi docet adversus Pelagianos, eam nobis concedi, *non solum ut facienda noverimus, verum etiam ut cognita faciamus; nec solum ut diligenda credamus, verum etiam ut credita diligamus.* Gratia autem habitualis est, quae per modum habitus, seu qualitatis permanentis homini confertur. De hac legimus Joan. 14: *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, & Pater meus diliget eum, & apud eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus*; Rom. 5: *Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris*

ſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis; & 1 Cor. 6: *Qui adhaeret Domino unus ſpiritus eſt.*

Gratia actualis dividitur ulterius in praevenientem, & ſubſequentem. Prima eſt, quae antecedit omnem voluntatis noſtrae actum; altera, quae huiuſmodi actum primum voluntatis ſubſequitur, ideſt praeveniens producit cuiuſvis boni operis initium, ſubſequens idem opus Gratiae auget, ac perficit. De utraque ſic loquitur Auguſtinus in Enchiridio cap. 32: *Utrumque legitur in ſanctis eloquiis. Et miſericordia eius praeveniet me*; pſal. 58.: *& miſericordia eius ſubſequetur me*; pſal. 22: *Nolentem praevenit, ut velit; volentem ſubſequitur, ne fruſtra velit*; & lib. *de Nat. & Grat.* cap. 32: *Praevenit, ut ſanemur, & ſubſequitur, ut glorificemur; praevenit, ut pie vivamus, & ſubſequitur, ut ſemper cum illo vivamus.* Eiuſdem Gratiae actualis altera adducitur diviſio, nimirum in operantem, & cooperantem. Prima eſt, qua Deus ita in nobis bonam voluntatem operatur, ut nondum iſthaec cooperari concipiatur, huiuſmodi eſt ſancta cogitatio nobis a Deo immiſſa, atque indeliberatus motus voluntatis ad opus bonum. Dum autem dicimus, voluntatem nondum concipi cooperantem, id non eo ſenſu eſt intelligendum, quod voluntas, & intellectus nihil omnino agant. Quomodo enim & ſancta cogitatio, & pius motus in voluntate excitentur, quin huiuſmodi facultates in eos actus non influant? Sed hoc alio ſenſu, quod liberi arbitrii conſenſum antevertit, hominemque ſopitum, ita dicam, ad bonas cogitationes, & volitiones ſalutares excitat, ac promovet. Cooperans autem eſt, qua Deus, cum volumus, ac noſtro libero arbitrio cooperamur, ipſe quoque cum humana libertate cooperatur, ſuumque, ac noſtrum opus perficit. De iſta ſic ait Apoſtolus 1 Cor. 15: *Gratia Dei mecum*; de utraque autem Philipp. 1: *Certus ſum, quoniam qui operatur in vobis opus bonum, perficiet*; tum etiam Auguſt. lib. *de Grat. & libero arbitrio* cap. 17: *Ipſe, ut velimus, operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens. Ut ergo velimus, ſine nobis operatur; cum autem volumus, & ſic volumus, ut faciamus, nobiſcum operatur: nam ſine illo vel operante, ut velimus, vel cooperante cum volumus, ad bona pietatis opera nihil valemus.* Quae quidem ſua etiam fecit ſanctus Thomas hic (nempe 1 2 quaeſt. 3 art. 2): *Operationis effectus non tribuitur mobili, ſed moventi. In illo ergo effectu, in quo mens noſtra & movet,*

&

& movetur, *operatio nedum Deo tribuitur*, *sed etiam animae*, *& haec est Gratia cooperans*. Dividitur insuper eadem Gratia actualis in excitantem, & adjuvantem; verum istae vel nihil, vel parum differunt ab operante, & cooperante. Excitans enim ea est, qua homo per sanctam cogitationem, vel pium desiderium a torpore excitatur; altera est, quae hominem sic excitatum adjuvat, ut bonum opus inceptum perficiat. Hanc divisionem innuit Ecclesia, dum Deum sic orat: *Actiones nostras*, *quaesumus*, *Domine*, *aspirando praeveni*, *& adjuvando prosequere*. Demum celebris est divisio Gratiae in sufficientem, & efficacem, quarum quidem, cum varia sit apud Theologos notio, pro vario ipsorum systemate, e re nostra esse arbitramur, in eiusdem idea exponenda severioris criticae regulas servare. Oportet enim, ut hic simus, quod dicitur, inter spinas calceati.

4. Ludovicus Molina inter primos societatis Jesu theologos facile assurgens eamdem quoad essentiam esse vult Gratiam sufficientem, atque efficacem; hinc tota Gratiae sufficientia, vel efficacia in ipsius systemate ab humani arbitrii consensu pendet, vel dissensu. Censet enim, singulis a Deo Gratias conferri ad salutem ex se quidem sufficientes; sed quae efficaces nuncupantur, si eisdem homo consentiat. Quare Gratiae sufficientis nomine tum ipse, tum ii omnes, qui ipsius systema adoptarunt, intelligunt illam, quae ex se sola sufficit ad bonum operandum; efficacis autem nomine eamdem Gratiam per se sufficientem, cui respondeat voluntaris creatae consensus. Alio sensu Gratiae sufficientis vocem usurpant alii, atque efficacis. Primam enim illam esse volunt, quae ex se sola ad actus facile salutares praestandos sufficit; non autem ad difficiles: ubi secunda illa est, quae semper, & infallibiliter effectum trahit, ac proinde tum urgente, tum non urgente tentatione, vel habitu pravo vigente, vel non, a quibus actuum facilitatem repetunt, atque difficultatem. Accedit nunc eiusdem Gratiae divisio in sententia Thomistarum. Vocant isti Gratiam sufficientem illam, quae dat posse agere; efficacem vero, quae dat ipsum agere. Prima voluntatem ad actionem praeparat, secunda infert actionem. Prima enim solum excitat ad bonum; secunda vero & excitat, & adplicat. Gratiam sufficientem dividunt in remotam, & proximam; efficacem vero in magnam, & parvam. Gratia sufficiens remota per ipsos illa

est,

est, quae ad actus, ut vocant, debiles movet; puta ad actus adtritionis, vel fidei informis; proxima, quae ad actum contritionis e. g., vel caritatis. Gratia efficax parva est illa, quae adplicat ad actus debiles in I exemplo adductos; magna, quae ad actus validiores in exemplo II laudatos. Verum hic summus est inter ipsos Thomistas opinionum dissensus. Sentiunt enim quamplurimi, Gratiam efficacem ad actum salutarem requisitam esse qualitatem physicam praedeterminantem, infallibiliter creaturae consensum trahentem. Contra alii, admissa cum ipsis sufficientis Gratiae notione, physicam praedeterminationem reiiciunt, & Gratiam per se se efficacem constituunt in motione morali, seu in quadam delectatione victrici. Unde naturam Gratiae sufficientis aliter explicant, ac vulgus Thomistarum, quamvis quoad ipsius ideam, & notionem conveniant. Hanc delectationem victricem admittit pariter Jansenius, sed unicam, necessario trahentem consensum; at omnem excludit Gratiam sufficientem, quae det dumtaxat posse in sensu Thomistarum, ut infra ostendemus: immo per ipsum efficax Gratia, ut vides, omnino diversa est ab ea, quae a Thomistis, delectationem victricem propugnantibus, defenditur. Haec enim infallibiliter quidem trahit consensum, sed non necessario, ubi in Jansenii systemate veram arbitrii libertatem a caelesti delectatione victrici destrui, ac suffodi Romana Ecclesia declaravit. Igitur, ut omnia brevius complectamur, Gratia sufficiens per Thomistas est illa, quae dat posse agere, quatenus ciet ad conversionem, quam tamen non infert, nisi habeat adjunctam Gratiam efficacem; Gratia autem efficax, quae voluntatem applicat ad opus salutare. Primam vocat Augustinus lib. de Grat. Christi *adjutorium possibilitatis*; & lib. de corrept. & Gratia *adjutorium, sine quo non* . . . Secundam vero in hoc postremo libro *adjutorium, quo*. Primam etiam vocat *Gratiam parvam*; secundam *magnam*. Haec apud omnes Thomistas certa sunt, uti etiam Gratiam sufficientem esse inefficacem relate ad opus, ad quod ultimo ordinatur, nempe ad actionem salutarem; efficacem vero relate ad actionem suam proximam, quae est ipsa mentis illustratio, & *imperfectum hominis semivolentis desiderium* (ut verbis utar Contensonii). Quod igitur discordes facit D. Thomae interpretes, illud est, an Gratia per se efficax sit qualitas physica, nec ne; unde etiam diffident in expli-

can-

canda natura Gratiae sufficientis; quamvis per ipsam intelligant dumtaxat Gratiam, *quae dat posse agere*, ut universe docet Schola s. Thomae. Verum de his in huius tractatus parte secunda disseremus.

PROLEGOMENON II

Continens errores varios circa Gratiam.

§. I.

De antiquioribus Christi Gratiae impugnatoribus.

5 Quae hic narranda suscipimus, Novatorum commenta circa Gratiam, jam magna ex parte significavimus in tractatu de Praedestinatione. Ibi tamquam haeresis Pelagianae prodromos numeravimus Anonymos aliquos ab Apostolo relatos in *epist. ad Rom.*, quorum nonnulli e Judaismo, alii e Gentilium erroribus recens conversi, in hoc tamen errarunt, quod suam conversionem, vel si quid aliud boni ad aeternam salutem spectantis egissent, sine Gratia a se fuisse perfectum putarent, indeque Gratiam omnem ad agendum excluderent, tamquam otiosam, & inutilem naturae viribus. Hos porro multo sale defricuit Apostolus ibid. *cap.* 3 nec non *cap.* 11.

6 Secundum locum in hac serie obtinet Origenes. Hic enim in libris Periarchon passim docet juxta Platonicae philosophiae principia animas hominum ante mundum conditum creatas fuisse, eoque in statu alias bene, male alias egisse, unde postmodum in humana corpora intrusae, pro bonis, vel malis actibus, solis naturae viribus in ea priori vita elicitis, hominibus, quorum proinde propriae fuerunt, vitam, vel interitum promeruerunt. Hoc errore haeresim Pelagianam praeformavit Origenes, ut constat ex Huetio in Origenianis lib. 2 quaest. 7 n. 13 sic aiente: *Origenes docet, quidquid Gratiae nobis largitur Deus, totum id nostrae voluntatis arbitrio acceptum esse referendum*; & n. 14: *Quod si Gratiae auxiliis nos egere aliquando agnoscat, Gratiam solum voluntatis nostrae pedissequam . . . non excitantem, non gratis datam admittit.* Quod quidem Pe-

Pelagii commentum fuisse & constat ex *n.* 21 tractatus *de Praedestinatione*, & nos infra ostendemus. Hinc merito Hieronymus in epist. ad Ctesiphontem, alloquens Pelagium, sic ait: *Doctrina tua Origenis ramusculus est.* Pelagio praeiverunt alii, nimirum Theodorus Episcopus Mopsvestiae Rufinus, aliique. Primus, referente Garnerio *dissert.* 1 de primis auctoribus haeresis Pelagianae *cap.* 1 omnem originis labem negavit, indeque aptam sine Gratia naturam voluit ad opera pietatis exercenda; ac Christum ipsum merum hominem esse, qui propriis naturae viribus Gratiam hanc sibi comparaverit, ut unicus Dei filius vocaretur. Vide etiam de hac re Marium Mercatorem in collectaneis *parte* 1 & 2. Rufini autem idem pravum dogma fuit circa labem originis, ac proinde circa Gratiae ad opera salutaria necessitatem. Num autem Rufinus celebris ille fuerit Aquileiensis, quem & contentiones cum Hieronymo, & scripta vulgata satis inter Ecclesiasticae historiae peritos notum reddiderunt, an potius alter natione Syrus, sub judice lis est. Primum opinatur cardinalis Norisius *lib.* 1 historiae Pelagianae *cap* 2; alterum Garnerius in editione Marii Mercatoris *dissert.* 1 *cap.* 3.

§. II.

De haeresi Pelagiana.

7 Pelagius natione Brito, nempe in maiori Britannia natus, ob id etiam Scotus nuncupatus a Scotiae regione, quae Britanniae pars est, ut refert Augustinus *epist.* 186 ad Paulinum, *alias* 106 *cap.* 1, professione monachus, ut ex eodem August. *lib.* de haeresibus *cap.* 88, acutissimi vir ingenii, teste eodem lib. de Nat. & Grat. *cap.* 35, moribus primum sanctissimus fuit, saltem specie tenus, ex eodem s. Patre *lib.* 3 de peccatorum meritis, *cap.* 1 & 3, mox perditissimis, cum palam epulis intemperanter indulgeret, ex Orosio Apologet. *cap.* 27, & Hieronymo *in epist.* ad Pammachium; dolo, fraude, astuque, si quis alius, celeberrimus, ex Garnerio *in dissert.* 1 de Pelagii praecursoribus. Errores ipsius capitales, quos anno 403 juxta Prosperum, vel 405 juxta Isidorum Pelusio-

lusiotam spargere coepit per se se, suosque fautores, hi potissimum fuerunt.

Primo quod solas naturae vires aptas esse diceret ad divina mandata servanda, tentationes vincendas, pravos habitus deponendos, atque ad vitam aeternam comparandam; constat hoc ex August. *serm.* 26 *alias* 11 de verbis Apostoli *cap.* 7.

8 Ab impio hoc dogmate abhorruit illico quisquis catholicum nomen profitebatur, quare, ut publicam invidiam declinaret subdolus haeresiarcha, statim Gratiae necessitatem, & nomen admisit, eiusdem vocabulo solam intelligens libertatem arbitrii, quam gratis homini concessam volebat; constat hoc etiam ex August. *lib.* de Grat. Christi *cap.* 37 *&* *serm.* 26 *alias* 11 de verbis Apost. *cap.* 7. Eo sensu possibilitatem non peccandi Numinis Gratiam esse dixit. Cum enim quod est hominis natura, a Deo sit, & potentia non peccandi sit a natura, cum haec non sit ad peccandum necessitate ulla adstricta, *inde* inferebat, potentiam huiusmodi esse a Deo: ita refert s. August. *lib.* de Nat. & Grat. *cap.* 51. Verum cum huiusmodi suffugium occluderent gravissima contra ipsum adducta argumenta, Gratiam a natura, & libertate distinctam admisit, at non internam, sed exteriorem, nimirum legem, & doctrinam, ut legimus apud eumdem August. *lib.* de spiritu, & litera *cap.* 2 *n.* 4, *&* *cap.* 8 *n.* 14. Huiusmodi Gratiae aliam postmodum adjunxit, nimirum doctrinae revelationem, ut notat August. *lib.* de Grat. Christi *cap.* 7 *n.* 8. Verum cum idem s. Doctor Pelagium urgeret *eodem lib. cap.* 12, sua etiam voluntati Gratia opus esse, admisit aliam versipellis haereticus, nempe *Gratiam fidei Jesu Christi*, qua censebat peccata remitti, ut liquet apud eumdem August. *lib.* de Grat. & libero arbitrio *cap.* 13 *n.* 26. Tum Christi Domini exempla ex eodem August. *lib.* de Grat. Christi *cap.* 39. Demum ut catholicis fucum faceret, Gratiam internam juxta sensum August. admisit, sed utilem dumtamxat ad bene agendum, non vero necessariam, ut refert August. *lib.* de Grat. Christi *cap.* 26, 27, *&* 29. Quamcumque tamen Gratiam admiserit impius novator, id certo tenendum est, quod docet August. *lib. laudato cap.* 31, *n.* 34, eam videlicet in sensu Pelagii Gratiam dici nuspiam potuisse, cum eam ut donum gratuitum nuspiam admiserit, sed ut aliquid bono, ac natutali usu

ar-

arbitrii comparatum, & partum; ita enim se explicat apud Augustinum loco laudato. Haec autem omnia prava dogmata ex errore capitali deduxit, nempe quod ab Ada ad posteros labes originis non traducatur, sed solum Adae peccatum exemplo posteris sit ad peccandum. De hoc autem piget hic loqui, cum pressius ad institutum, locum habere debeat in tractatu de peccatis.

9 Duo hic ad rectam haereseos Pelagianae intelligentiam in controversiam vocant eruditi. I an aliquando Pelagius Gratiae interioris necessitatem agnoverit. II de qua Gratia disputaret ipse cum August. Nobis, quibus tantum non est otii, ut fuso, ac redundanti sermone duplex hoc caput expendamus, sic breviter expedienda res est. Primo censemus, a Pelagio nuspiam admissam esse Gratiam interiorem ex parte intellectus ipsum excitantem, & adjuvantem ad credendum, sed solam Gratiam illustrationis, internam quidem, sed tantum se tenentem ex parte objecti, quatenus ipsum a Deo clarius intellectui proponitur. Satis hanc fuisse Pelagii mentem demonstrant ipsius verba apud Augustinum lib. *de Grat. Christi* cap. 7: *Adjuvat nos Deus per doctrinam, & revelationem suam, tum nobis, ne praesentibus occupemur, futura demonstrat . . . tum nos ineffabili dono Gratiae caelestis illuminat.* His adde verba Augustini lib. laudato cap. 41: *Orationes ad nihil aliud adhibendas opinatur, nisi ut nobis doctrina ex divina revelatione aperiatur, non ut adjuvetur mens hominis.* Sentimus II, gratiam interiorem actionis, & voluntatis in sensu catholico, idest non solum necessariam ad facile operandum, sed simpliciter ad bonum agendum, non solum ad bonae voluntatis perfectionem, se etiam ad initium requisitam; sentimus, inquam, hanc Gratiam nuspiam a Pelagio admissam fuisse. Ad id sentiendum nos movent clarissima Augustini testimonia, cui credere nolle illiberalis ingenii est, frontisque planae perfrictae. *Reperire non potui*, ita inquit s. Doctor lib. *de Grat. Christi* cap. 34, *hanc eum Gratiam confiteri, qua non solum possibilitas naturalis voluntatis, & actionis, quam dicit nos habere, etiamsi nec volumus, nec agimus bonum, sed etiam ipsa voluntas, & actio subministratione spiritus adjuvatur*; & similia sunt, quae tradidit cap. 5: *Scire debemus, quod nec voluntatem nostram, nec actionem divino credit adjuvari auxilio, sed solam possibilitatem voluntatis, atque operis . . . & ideo non adjuvet, ut velimus, non adjuvet, ut agamus.*

Sen-

Sentimus III, controversias Augustini cum Pelagio non tantum circa Gratiam habitualem versatas fuisse, ut liber Thomassino, verum etiam, & quidem praecipue, circa Gratiam actualem; utriusque autem notiones habes in hoc tractatu *n.* 3. Nam D. Augustinus totus est, ut ostendat Pelagio, admittendam esse Gratiam, quam ipse pertinaciter negabat; ab ipso autem non sola reiecta est Gratia habitualis, quam quidem negasse probant verba illa Augustini lib. *de Grat. Christi* cap. 30: *Gratiam, qua justificamur, idest, qua caritas Dei diffunditur in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis, in Pelagii, & Caelestii scriptis, nusquam eos inveni, quemadmodum confitenda est, confiteri.* Hanc, inquam, solam Gratiam habitualem non negavit Pelagius, verum etiam actualem. Negabat enim ad singulos actus salutares auxilii praevenientis, & adjuvantis necessitatem, eo quod inde putaret, liberum arbitrium subversum iri. *In hoc tota haeresis ista*, inquit Augus. lib. *de gestis Pelagii* cap. ult., *quod non sit liberum arbitrium, si indigeat auxilio Dei; quoniam propriam voluntatem habeat unusquisque aut facere aliquid; aut non facere; quod victoria nostra ex Dei non sit adjutorio, sed ex libero arbitrio*; quae quidem Gratiam actualem indigitare satis compertum crediderim. De hac igitur etiam lis erat inter Augustinum, & Pelagium: hanc Augustinus pro virili propugnavit contra Pelagium; quod sane, quamquam non suppeterent alia, probant diserte verba illa Augustini lib. *de Grat. Christi* cap. 48 n. 52: *Si ergo consenserit nobis* (intellige Pelagius) *non solum possibilitatem in homine, etiamsi nec velit, nec agat bene, sed ipsam quoque voluntatem, & actionem, idest ut bene velimus, & bene agamus, quae non sunt in homine, nisi quando bene vult, & bene agit; si, ut dixi, consenserit, etiam ipsam voluntatem, & actionem divinitus adjuvari, & sic adjuvari, ut sine adjutorio nihil bene velimus, & agamus, eamque esse Gratiam Dei per Jesum Christum; nihil de adjutorio Gratiae Dei, quantum arbitror, inter nos controversiae relinquetur.* Quae autem fuerit illa Gratia, demum a Pelagio admissa ad facile operandum, expendemus in parte secunda, ubi de Gratia efficaci.

10 Narrata autem haereseos capita inter fideles vulgavit Pelagius discipulorum subsidio, non quidem statim per se se, imo inter discipulos mulierum opem non neglexit; refert enim August. *lib.* de gestis Pelagii *cap.* 6,

po-

potissimum in id opus adsumtam fuisse viduam quamdam, quam non unus scriptor Juliani matrem suspicatur. Tum per se literis, verbisque impius homo palam, aperteque fatalem errorem spargere coepit Romae, mox per Siciliam, tum in Africa, & potissimum Hyppone Regio, misso Carthaginem Caelestio, qui haeresim ibidem vulgaret. Contra hunc ibi coactum est ab Episcopo Aurelio concilium primum episcopis quatuor supra viginti pro caussa Pelagiana congregatis, a quo eidem anathema dictum est; ita refert Augustinus *lib.* de gestis Pelagii *cap.* 22. Per id tempus, anno nimirum circiter 412 scripsit Augustinus libros tres ad Marcellinum *de peccatorum meritis, & remissione*, ubi systema Pelagii penitus evertit, Pelagii nomine caritatis caussa semper omisso. Tum jubente Aurelio Episcopo Carthaginiensi habuit idem s. Doctor publicam concionem contra huiusmodi haeresim in dies magis magisque grassantem, quae est sermo 14 de verbis Apostoli, mox ad Hilarium Syracusanum epistolam scripsit de eodem argumento, quae nunc est 117 *alias* 89, quod jampridem praestiterat Hieronymus epistola data ad Ctesyphontem. Interim longe, lateque se se diffundente haeresi Pelagiana, Paulus Orosius Hispanus, qui Augustinum adierat, & ab eo in Palaestinam ad Hieronymum missus fuerat, interfuit concilio Hierosolymitano, cuius anathema cum Pelagius declinasset subdola sua, fictaque Gratiae adsertione, res omnis delata est ad Innocentium I Rom. pontificem. Huiusmodi autem concilium, cuius meminit Augustinus *lib.* de gestis Pelagii *cap.* 14, coactum est anno 415, quo quidem Hieronymus tres libros vulgavit contra Pelagianos, & synodus Diospolitana in Palaestina celebrata est, agentibus Herote, & Lazaro Episcopis Gallis, cuius tamen damnationem iterum avertit Pelagius, palam admissa Gratiae necessitate, sensu tamen a nobis in superioribus jam notato. Dixi Pelagium concilii damnationem vitasse: nam haeresis Pelagiana damnata tum fuit, dum ipsum errore facti deceptum Patres crediderunt. Quod tamen non praestitit synodus Diospolitana, id factum est anno sequenti, nimirum 416 in synodo Carthaginensi, ubi Patres damnarunt Pelagium, & Caelestium, urgente potissimum Orosio; mox a synodo Milevitana datis ab utroque concilio ad Innocentium Pontificem literis manu Augustini exaratis, ut latam sententiam confirmaret, quod quidem praestitit, ut liquet

ex epistolis ab eodem Pontifice ad laudatos synodorum Patres rescriptis, necnon ex Augustini sermone 132 *alias* 2 de verbis Apostoli *cap*. 10. Anno 417 vulgavit Augustinus librum de gestis Pelagii, & Romae Innocentius concilium celebravit, ubi haeresi Pelagianae malas notas inussit, eiusque fautores, nisi resipiscerent, damnavit, quod ut rescivit Pelagius, fidei professionem artibus, dolisque confectam misit ad Innocentium, quae quidem, ipso per id tempus vita functo, reddita est Zozimo Pontifici, eiusdem Innocentii successori, qui Pelagii professione deceptus epistolam misit ad Episcopos Africanos crudis verbis conceptam, quod nimis inconsiderate sententiam in Pelagium, & Caelestium dixissent. Pontificis literis acceptis Patres Africani synodum Carthagine coëgerunt, ex qua Zozimo rescripserunt, ut Pelagii fraudes, quibus ipse deceptus crediderat, revelarent. Quibus agnitis Pontifex tandem & Pelagium, & Caelestium damnavit, missa ad universi orbis Episcopos epistola anathematis sententiam in nefarios haereticos dictam continente, si in errore perseverarent, & perpetuae poenitentiae poenam, si ad catholicos tandem sensus redirent. Pontificis damnationi anno 418 latae in Pelagium, eiusque doctrinam, & fautores, alia postmodum accessit anno 431 lata a synodo generali Ephesina.

11 Pelagii autem fautores praecipui fuerunt Caelestius, Julianus, & Annianus. Primus, ut narrat Augustinus *lib*. de gestis Pelagii *cap*. 33, eiusdem cum Pelagio patriae, & professionis acerrimi fuit ingenii, audax, si quis alius, breviter, indole ad haeresim propugnandam aptissima. Alter in Apulia natus, primum matrimonio junctus, mox presbyter, tum Episcopus, Graece, ac Latine sciens, in sacris literis eruditus, exspectationem non vulgarem apud Augustinum diu sustinuit, donec Pelagio se totum addixit. Quamobrem undique pulsus, Siciliam tandem appulit, ubi in vico ignoto ludimagister factus miserrime obiit anno 453. Annianus, ut vulgo creditur, natione Italus, linguarum cognitione illustris, Pelagii partes defendendas suscepit in epistolis ad Orontium, in quibus totus est, ut vires arbitrii extollat.

§. III.

§. III.

De Semipelagianis.

12 Quamvis de Semipelagianis nonnulla, quantum satis ad institutum, a nobis dicta jam fuerint in tractatu de Praedestinatione *n.* 22; libet tamen hic eorum prava dogmata in mentem revocare, ne manca sit, ac truncata errorum series, quos circa Gratiam passim vulgarunt haeretici. Jam vero Semipelagiani sic nuncupati, quod partim a Pelagio essent discordes, partim eidem conformes, originalem reatum admiserunt, & concupiscentiam rationi rebellem, tum etiam Gratiae necessitatem ad opus bonum perficiendum, & consummandum; bonorum tamen operum initia aliqui, alii vero solius fidei excordia viribus naturae tribuerunt. Quod quidem se etiam olim ante episcopatum sensisse ingenue fatetur Augustinus *lib.* de Praedestinatione Sanctorum *cap.* 3. Erroris huius fautores, potissimum de naturae ad fidei initia aptitudine fuerunt Episcopi nonnulli, ac presbyteri Galli, qui, quod Massiliae frequentiores degerent, Massilienses dicti sunt. Isti doctrina Augustini in libris contra Pelagianos offensi, varia scripserunt capita errorem mox memoratum continentia: quamobrem sancti Prosper, & Hilarius epistolas ad Augustinum dederunt, quibus ipsum novi dogmatis certiorem facerent. Haec ut accepit Augustinus, duos illico celebres libros composuit: primum quidem de Praedestinatione Sanctorum, alterum de dono perseverantiae. Hi autem non eum statim exitum sortiti sunt, qui libris antea a se editis de Gratia, & libero arbitrio, necnon de correptione, & Gratia contigerat. Istos enim, ut habuerunt monachi Adrumetini, in quorum gratiam editi fuerant ab Augustino, statim dubia ex scriptis eiusdem Augustini excitata deposuerunt; ex adverso vix ad Massilienses delati sunt libri ab Augustino pro ipsorum dubiis explanandis compositi, cùm continuo turbas ciere, ac rumores iterum spargere coeperunt viri inter ipsos gravissimi, nimirum Joannes Cassianus, vulgo Collator dictus ob libros collationum a se editos, vir pietate eximius, ob id nunc etiam sanctimoniae fama celebris; Faustus Regiensis, cuius nomen in sacris Ecclesiae Gallicanae fastis ignotum non est, nec vulgare. Eadem in

classe numerantur Vincentius, a quo prodiit indiculus sexdecim continens propositiones temere ex doctrina Augustini deductas: puta *Christum non pro omnibus passum esse; Deum nolle omnes salvare, quamvis ipsi velint; Maiorem hominum partem a Deo creari, ut damnentur.* Contra hunc calamum acuit s. Prosper in libro, cui titulus: *Responsiones ad capitula objectionum Vincentianarum*; quem secutus est inde alter eiusdem Prosperi liber inscriptus: *Responsiones ad capitula Gallorum*, nimirum ad alium indiculum indici Vincentiano admodum conformem: eidem, inquam, classi adnumerantur praeter Vincentium (quem Vossius, & Norisius Lirinensem esse volunt, Baronius autem alium esse contendit) Gennadius presbyter Massiliensis, aliique nominis non obscuri. Istorum autem haeresis, qua fidei initium naturae viribus tribuebatur, damnata est in concilio Arausicano II, anno 429, damnationem confirmante Bonifacio II. In eamdem haeresim anathema etiam dictum est a concilio Tridentino *sess.* 6 de justificatione *can.* 2 & 3.

13 Hic autem critici nonnulii, qui nihil in quaestionem non vocant, illud summa animorum contentione in controversiam adducunt, an vere erraverint Semipelagiani eo, quod Gratiae subsidium non admitterent ad fidei initium, an potius, quod talem Gratiam propugnaverint, cui humanum resistere possit arbitrium, ut pluribus ostendere conatur Jansenius: imo non desunt, qui dubitent, an vere Semipelagiani negaverint Gratiae necessitatem ad fidei initium. Nobis certe otiosum videtur de re jam ab Ecclesia definita litem instituere; dicemus tamen aliqua, ut morem intemperantis criticae hominibus geramus. Ad rem autem breviter definiendam, illud I tamquam certum statui debet Semipelagianos fidei initium sine Gratiae subsidio propugnasse: id enim fatentur, qui contra ipsos scripserunt, Prosper, Hilarius, & Augustinus. Primus quidem de illis sic aiens epistola ad Augustinum: *Ad hanc Gratiam, qua in Christo renascimur, volunt unumquemque pervenire per naturalem facultatem, petendo, quaerendo, pulsando, & ideo accipiat, inveniat, introeat., quia bono naturae bene usus ad istam salvantem Gratiam meruerit pervenire.* Hilarius autem in epistola ad Augustinum haec inquit: *Dicunt* (intellige Semipelagiani) *non negari Gratiam, si praecedere dicatur talis voluntas, quae tantum modicum quaerat, non autem quidquid ipsa jam valeat. Nam illa*

testi-

testimonia, ut est illud; sicut unicuique partitus est mensuram fidei, & similia, ad id volunt valere, ut adjuvetur, qui coeperit velle, non ut etiam donetur, ut velit. Augustini denique verba haec sunt *de Praedestinatione Sanctorum* cap. 2: *Nunc eis respondendum esse video, qui divina testimonia, quae de hac re adhibuimus, ad hoc dicunt valere, ut noverimus ex nobis quidem nos habere ipsam fidem, sed incrementum eius ex Deo; tamquam fides non ab ipso nobis donetur, sed ab ipso tantum augeatur in nobis ex merito, quo coepit a nobis.* Stat itaque Prosperi, Hilarii, & Augustini judicio, interiorem nullam Gratiam a Semipelagianis, quibuscum ipsi rem habebant, ad fidei initium, seu ad pium credendi affectum, & desiderium admissam fuisse. II illud pariter sine dubitatione tenendum censemus, quod Semipelagiani initium fidei solis naturae viribus tribuentes turpiter erraront, hoc palam indigitante canone 5 concilii Arausicani II, a quo anathema dictum est in eos, qui dixerint, sicut augmentum, ita initium fidei, ipsumque credulitatis affectum, quo in eum credimus, qui justificat impium, non per Gratiae donum, idest per inspirationem Spiritus sancti corrigentem voluntatem nostram ab infidelitate ad fidem, ab impietate ad pietatem, sed naturaliter nobis inesse. III fidenter pronunciamus, non in hoc Semipelagianorum commentum statuendum esse, quod crederent, Gratiae interiori humanum posse arbitrium resistere: de hoc enim nullus est ambigendi locus post celebrem Tridentini definitionem contra Lutherum pronuntiatam, *voluntatem* nempe, *posse Gratiae dissentire, si velit*, quam postea secuta est damnatio propositionis 4 Jansenii ab Innocentio papa X, necnon Alexandro VIII. Propositio autem sic erat concepta: *Semipelagiani admittebant Gratiae interioris praevenientis necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei, & in hoc erant haeretici, quod vellent eam Gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere, vel obtemperare.* Nota autem huiusmodi propositioni a sancta sede Apostolica inusta haec est: *Hanc propositionem falsam, & haereticam declaramus, & uti talem damnamus.* Porro in hac propositione & falsitas, & haeresis continentur. Falsitas quidem in parte, quae facti est, nempe quod Semipelagiani admiserint Gratiam interiorem ad fidei initium; haeresis autem in secunda parte, quae pertinet ad dogma, ac proinde quaestio juris dicitur.

§. IV.

De Praedestinatianis.

14 Haereticae Pelagii sententiae, qui, ut sartam, & indemnem humanam libertatem servaret, Gratiam omnem excludebat, contrarium dogma ab aliis statutum censent complures, quo ad extollendas Gratiae vires humanum arbitrium destrueretur, ita ut Gratia quidem admittatur, sed quae nativam hominis libertatem ab imo suffodiat. Dogma hoc, qui propugnasse dicuntur, vocantur Praedestinatiani a Sigeberto ad annum Christi 415, quibus quinque potissimum errores tribuuntur. Horum primus est, hominem suae aeternae salutis curam totam omnino divinae Gratiae operationi committere debere; alter hominem ob originale peccatum penitus liberum arbitrium amisisse; tertius Christum non pro omnibus prorsus hominibus mortuum esse, nec sanguinem suum fudisse; quartus divinam praescientiam necessario efficere, vel, ut aiunt, *causare* perditionem eorum, qui pereunt; quintus demum hominum aliquos quidem ex sola libera Dei voluntate ad mortem, alios vero ad vitam praedestinatos esse. Verum fuerintne aliquando reipsa haeretici, qui impia haec dogmata tradiderint, ac docuerint, gravissima est inter eruditos controversia, de qua quidem pro instituti nostri ratione fuse, ac copiose disseruimus in tractatu de Praedestinatione in digressione historica de Praedestinatianis. Quo loco tum affirmantium, tum negantium scriptorum rationes dilucide proposuimus, ut quisquis diiudicare per se possit, utra sit sententia ad veritatem propensior. Unum hic dumtaxat adnotandum censemus, non multi faciendam esse Genebrardi auctoritatem, in qua ceteroquin aientes scriptores, vim plurimam conlocare videntur, Nam praeterquamquod Genebrardus ex fontibus non plane incorruptis rem haurire potuit, illud in confesso est, apud eruditos Genebrardum moribus magis spectabilem fuisse, quam doctrina. Addimus, ulterius scriptorem hunc longe distare a temporibus, quibus serpsisse contenditur haeresis Praedestinatiana; scripsit enim seculo XVI labente.

§. V.

§. V.

De Lutheranis, & Calvinianis.

15 Prava Lutheri, & Calvini dogmata circa hominis libertatem, quam post Adae peccatum amissam esse volunt, non est huius loci explicare, cum sedem propriam habeant in tractatu *de actibus humanis*. Semel autem posito falsissimo eorum principio, nullam scilicet inesse homini lapso electionis, & indifferentiae libertatem, colligunt avidissime impii Novatores, Gratiam voluntati necessitatem fatalem inducere, uti pariter ipsam inducit ad peccandum concupiscentia. Hinc gradum faciunt, aiuntque fidenter, humanam voluntatem sub Gratiae motione nihil omnino agere, ac mere passive se habere. Mitto alios ipsorum errores circa concupiscentiam, quam volunt esse ipsum peccatum originis, quod proinde etiam post Baptismum, perseverare audacter adfirmant: hoc enim commentum refellendum est in tractatu *de peccatis*, nec pariter consilium nunc est in medium proferre impia ipsorum deliramenta circa Gratiam sanctificantem, impii justificationem, & alia fidei capita ad rem istam spectantia: haec enim fuse expendunt Theologi plures in tractatu *de virtutibus theologicis*, ubi de caritate sermonem instituunt; quibus morem gerens pauca tradam de sola Gratia habituali sub finem partis secundae.

Jam vero Lutherum, & Calvinum, uti de libero arbitrio, ac concupiscentia, ita de voluntate sub Gratiae motione sentire, probant aperta ipsorum verba. *Homo, cum vacat spiritu Dei*, ita loquitur Lutherus lib. de servo arbitrio, *non quidem violentia . . . nolens facit malum, sed sponte . . . facit. Hoc vocamus necessitatem immutabilitatis, quod voluntas se se mutare, & vertere alio non possit. Ex altera parte, si Deus in nobis operatur, mutata, & blande affibilata per spiritum Dei voluntas, iterum mera lubentia, & pronitate, ac sponte sua vult, & facit, non coacte, pro natura voluntatis, quae si cogeretur, voluntas non esset; nam coactio potius est, ut sic dicam, noluntas.* Consonat Calvinus lib. 2 institutionum cap. 3 n. 10 sic aiens: *Voluntatem Deus movet, non qualiter multis seculis traditum est, & creditum, ut nostrae postea sit electionis motioni aut obtemperare, aut refragari: sed illam efficaciter afficiendo . . .*

Medium, *quem Sophistae* (designat hic catholicos) *imaginantur motum*, *cui obsequi*, *vel quem repellere liberum sit*, *aperte excludi videmus*, *ubi asseritur efficax ad perseverandum constantia.* Unde postmodum in Antidoto ad can. 5 sess. 6 concil. Trident. ait: *Quia per liberum arbitrium intelligunt* (intellige Patres Tridentini) *eligendi facultatem*, *quae sit in utramque partem libera*, *&* *soluta*, *qui ipsum affirmant titulum esse sine re*, *Christum habent auctorem.* Quod autem sub Gratia nihil relate ad bonum, & meritum actionis a creatura ponatur, diserte se explicat Calvinus lib. 5 de libero arbitrio: *Nego*, *Gratiam sic nobis offerri*, *ut nostrae postea sit optionis vel obtemperare*, *vel refragari*; *nego tantum in hoc dari*, *ut imbecillitatem nostram subsidio suo adjuvet*, *quasi in nobis alias quidquam situm sit. Sed hoc in solidum illius opus*, *&* *beneficium esse confirmo*, *ut cor nostrum ex lapideo in carneum vertatur*; & lib. 3 institutionum cap. 15 n. 3: *Bonorum operum laudem*, *non ut Sophistae* (idest catholici) *faciunt inter Deum*, *&* *hominem*, *partimur*, *sed totam integram*, *&* *illibatam Domino servamus.* Hanc autem efficaciam Gratiae a delectatione caelesti victrici repetit lib. 2 institutionum cap. 3 n. 4, ubi ait: *Augustinus docet*, *quod humana voluntas non libertate Gratiam*, *sed Gratia sequatur libertatem*; *quod per eamdem Gratiam*, *impresso delectationis affectu*, *ad perpetuitatem conformetur.* Alia spectant ad tractatum *de actibus humanis.*

In eam sententiam ivit etiam Lutherus lib. *de servo arbitrio*, ut probant Theologi in eodem tractatu. Ex hoc porro falsissimo principio pessimam etiam conclusionem deducit Calvinus, nempe omnia justorum opera labe aliqua semper adspergi, atque ob id nihil ad bonum, ut bonum, confluere humanam voluntatem; en eius verba lib. 3 institutionum cap. 15 n. 3: *Tantum hoc homini assignamus*, *quod ea ipsa*, *quae bona erant*, *sua impuritate polluit*, *&* *contaminat*: *nihil enim ab homine exit*, *quantumvis perfecto*, *quod non sit aliqua macula inquinatum.* Tum n. 4: *Scripturae doctrina est*, *aspersa esse perpetuo sordibus multis bona nostra opera*, *quibus merito Deus offendatur.* Summa igitur, quoad rem praesentem adtinet, Lutheranae, & Calvinianae haeresum, haec est, quod Gratia necessitatem inferat voluntati; quod voluntas boni nihil agat sub Gratiae motione, quod omnes etiam justorum actus aliqua semper peccati labe infecti sint. Anathema his erroribus dixit Tridentinum concilium sess. 6 can. 4 his verbis: *Si*

quis

quis dixerit liberum hominis arbitrium a Deo motum, & excitatum, nihil cooperari assentiendo Deo excitanti, atque vocanti, quo ad obtinendam justificationis Gratiam se disponat, ac praeparet, neque posse dissentire, si velit, sed velut inanime quoddam nihil omnino agere, mereque passive se habere, anathema sit. Porro dum ad bonum etiam voluntatem confluere docet Tridentinum, implicite damnat errorem illum Calvini aientis, ideo hominem sub Gratia nihil agere, quia semper peccati reus est, dum agit.

§. VI.

De Michaële Baio.

16 Michaël de Baii, vulgo Baius, in Belgio ortus, in sacra facultate Lovaniensi doctor renuntiatus, inde eiusdem academiæ regius professor anno 1552, nova quaedam dogmata a primaeva Lovaniensis academiae doctrina admodum aliena spargere coepit; quae primo quidem anno 1558 ad Belgii consilium a Tappero, & Ravestein delata sunt, tum vero a Theologis aliquot Ordinis Minorum sacrae Parisiensis facultatis notata fuerunt anno 1560 die 27 junii. Respondit censurae Baius, tum etiam propositionibus, quas sibi tradiderat cardinalis Granuellanus, ut suam circa ipsas fidem ostenderet. Tum a Pio IV silentium partibus indictum est, & Baius ad synodum Tridentinam a Philippo II Hispaniarum rege missus, ibi theologum egit. Mox e concilio redux opuscula nonnulla typis vulgavit, e quibus variae propositiones excerptae sunt a Theologis Lovaniensibus, ac Pio IV delatae anno 1564. Interim fato concedit Pius IV, eique sufficitur s. Pius V, qui anno 1567 propositiones numero 76 damnat, suppresso oeconomiae causa Baii nomine. Easdem propositiones paullo ante suggillaverant academiae plurimae in Italia, nec non Salmantina in Hispania, & Complutensis. Nota propositionibus huiusmodi non singillatim, sed in globo inusta haec fuit. *Quas sententias stricto coram nobis examine ponderatas, quamquam nonnullae aliquo pacto sustineri possent, in rigore, & proprio verborum sensu ab assertoribus intento haereticas, erroneas, suspectas, temerarias &c. damnamus.* Porro virgula, quae post verbum *possent* hic habetur, a Baii gregalibus translata est post verba sequen-

tia

tia *sensu ab assertoribus intento*, quasi bulla sic esset exponenda, licet huiusmodi sententiae sensu ab assertoribus intento defendi possint, tamen eas, ut haereticas, damnamus. Hoc autem effugium inferius occludemus. Haec inter scripsit Baius s. Pio V Pontifici apologiam, in qua primum ostendit, nonnulla capita in sua bulla damnata falso sibi adscribi; secundo sententias suas Augustino fuisse communes, quocirca Pontifici auctorem esse, ut se se declararet, velletne adhuc bullam subsistere, an ut subreptitiam antiquare. Responsum autem Pontificis fuit, *matura deliberatione editam fuisse bullam. Nihilominus novo examini rem omnem subjecisse, quo praestito, ait: quae super hoc jam, decreveramus . . . de integro decernenda, statuendaque esse judicavimus Itaque tibi, & ceteris dictarum propositionum assertoribus pro earum assertione perpetuum silentium imponimus*. Mox Baium, suosque fautores monet, ut bullae Apostolicae subscribant, nulla interposita mora; quod tandem post plura suffugia quaesita praestitit Baius coram Morillonio pro Cardinale Granuellano vicario Mechliniensi, eiuratis propositionibus in bulla suggillatis, ut testatur ipse Morillonius literis ad cardinalem Granuellanum datis anno 1569, die januarii 20, quas videris part. 2 operum Baii novae editionis pag. 128, & 129. His ita gestis anno 1570 in Scholis publicis Lovaniensibus, facta est Pianae bullae promulgatio, omnibus eidem se se subjicentibus, ut constat ex actis Lovaniensibus laudatis in opere citato pag. 185. Bulla ita promulgata, theologicae facultati Lovaniensi tranquillitas parta non fuit; diffidentibus enim denuo nonnullis ex ipsis, sacra eadem facultas anno 1572 decrevit, ut omnes articuli a bulla notati, tamquam rite damnati haberentur, & libri propositiones huiusmodi continentes ab illis, quorum terebantur manibus, auferrentur. Delati postmodum fuerunt ad Rom. Pontificem Gregorium XIII Pii successorem rumores alii contra bullam Pianam sparsi, quocirca e re sua duxit laudatam bullam confirmare, & Franciscum Toletum e S. J., postea S. R. C. cardinalem Lovanium mittere, qui bullam in Pianae confirmatione latam ibidem promulgaret. Et quidem jussa Pontificis fauste implevit Toletus in publico sacrae Lovaniensis facultatis conventu: bullam enim & omnes acceptarunt, & ipse Baius anno 1580, qui anno eodem scripto palam vulgato, manuque propria subscripto aperte declaravit, *se plane persuasum habere, earum*

omnium

omnium sententiarum damnationem jure meritoque ac nonnisi maturo judicio factam, & decretam esse; plurimas ex iisdem sententiis in nonnullis libris a se olim, & ante emanatam Sedis Apostolicae super eis censuram, conscriptis, & in lucem editis contineri, & defendi etiam in eo sensu, in quo reprobantur. Denique se impraesentiarum ab iis omnibus recedere, & damnationi a s. Sede factae acquiescere, neque posthac ullam earum docere velle, aut defendere. Constant haec omnia ex laudata operum Baianorum editione part. 2 pag. 188, & seq. Haec sola non praestitit Baius; anno enim 1585 indiculo subscripsit a Theologis Lovaniensibus confecto, in quo propositiones continebantur suis contradictoriae. His autem ita gestis, obiit Baius die septembris 16 anno 1589.

17 Elenchum porro non juvat hic texere propositionum, quas, ut a Baio editas, pontificia diplomata vulgarunt; eae enim in bullis laudatis, praecipue Piana, legi commode possunt. Eas dumtaxat recensebo, quae ad praesens institutum pressius spectare videntur: aliae enim partim in tractatu de Deo, partim in eo, qui est de actibus humanis, nonnullae in tractatu de peccatis, nonnullae etiam in tractatu de virtutibus theologicis, ubi de caritate, sedem habent. Interim quae huc spectant, ut falsitatis convincantur, sunt sequentes: *Humanae naturae sublimatio, & exaltatio in consortium divinae naturae debita fuit integritati primae conditionis, & proinde naturalis dicta est, & non supernaturalis*; haec in ordine est 21; *Deus non potuisset ab initio talem creare hominem, qualis nunc nascitur*, haec est in ordine 24; *Omnia opera infidelium sunt peccata*, haec est 25; *Omne, quod agit peccator, vel servus peccati, peccatum est*, haec est 35; *In omnibus suis actibus peccator servit dominanti cupiditati*, quae est in ordine 40; *definitiva haec sententia, Deum homini nihil impossibile praecepisse falso attribuitur Augustino, quum Pelagii sit*, quae est 53.

18 Nolim hic omittere, plura in medium prolata fuisse a Jansenianis, ut laudatarum constitutionum Apostolicarum vim, & robur infringerent, ea potissimum de causa, quod Urbanus VIII in bulla a se edita anno 1641, *Librum Jansenii, cui titulus Augustinus, articulos, opiniones, & sententias in dictis constitutionibus* (intellige Piana, & Gregoriana) *damnatas continentem, ac renovantem damnat, & prohibet.* Qua de re & questus, & cruda verba

ba Jansenius profert *in lib.* 3 de statu naturae purae *cap.* 22, quasi sibi impositum sit a laudato Pontifice; unde & ipse, & ipsius patroni nullam bullarum huiusmodi rationem habendam esse, idque pluribus, ut aiunt ipsi, de causis. Primo, quia, cum plures ex ipsis membra sint Ecclesiae Gallicanae, contra eiusdem Ecclesiae jura latas esse contendunt, ideoque nullius apud ipsos roboris. Secundo, quia plura continent cum fidei dogmatis non facile concilianda. Tertio, quia illa carent consueta formula, qua decreta dogmatica solent insigniri: unde locus summus dubitationi videtur esse, sintne bullae illae genuinae, & authenticae, an potius clam subreptae, & ad fucum faciendum vulgatae. Haec capitum summa est, quibus praefatis constitutionibus notas affingere libet Jansenianis. Eorum autem duo posteriora in impugnatione systematis Baiani ad liquidum perducemus, & penitus evacuare curabimus: nunc primum dumtaxat expendemus.

19 Ecclesiae Gallicanae, si qui alii, & cultum, & reverentiam praestamus longe maximam, cum summa ipsius sint erga fidem, & Ecclesiam merita. Ast si, quod omen Superi avertant, reliquis Ecclesiae membris, & quod maxime dolendum esset, summo ipsius capiti se se discordem exhiberet in re aliqua ad fidei, morumque doctrinam pertinente; nemo erit tam tardus, qui, ne ab Ecclesiae Gallicanae sententia se alienum praeberet, sibi ab universae Ecclesiae sensu recedendum putaret. Jam vero in hac re Ecclesiam Gallicanam eamdem omnino doctrinam cum Ecclesia Romana, ac reliquis per orbem sparsis Ecclesiis adoptasse, breviter ostendo. Nam Archiepiscopus Parisiensis anno 1643 jussit in suis paroeciis praefatas constitutiones promulgari, & quoad doctrinam recipi. Anno sequenti regiae literae datae sunt ad sacram facultatem Parisiensem, ut huiusmodi constitutiones, seu bullam Urbani VIII, Pianam, & Gregorianam confirmantem reciperet. Annuit quoad rem capitalem regiis mandatis facultas theologica die 15 januarii eiusdem anni, decreto edito, ne quis sustineret, vel probaret dictas propositiones per bullas Pii V, Gregorii XIII, & Urbani VIII prohibitas; circa vero bullarum acceptionem, quoad clausulas, ac modum, quo continent damnationem, differendam rem esse censuerunt. Igitur constitutiones quoad dogma, (quod hic est capitale) suscepit facultas Parisien-

fiensis, quae prima est inter ceteras regni theologicas academias. Anno 1650 bulla Urbana jussu episcopi Svessionensis promulgata est., ac recepta in sua dioecesi. Anno 1651 quinque supra octoginta Episcopi Gallicani ad Innocentium X scribentes, ut circa Jansenii propositiones mentem suam adperiret, haec insinuant, quod turbae, ac lites a libro Jansenii derivatae inter Gallos *sedari debuissent, tum auctoritate Tridentini, tum bullae Urbani VIII adversus Jansenii dogmata, in qua decreta Pii, & Gregorii in Baium edita confirmavit, cuius quidem bullae veritatem, ac robur novo diplomate*, sic Innocentium alloquuntur, *vindicasti.* Seculi huius decimi octavi, anno X, die martii X promulgata est declaratio cardinalis Noallii, & aliorum undecim praesulum, palam significans, deesse nihil constitutionibus pontificiis contra Jansenium latis, ac proinde etiam Urbanae, ut universam Ecclesiam, & consequenter etiam Gallicanam obstringerent; idemque judicium esse debere de constitutionibus editis contra Baium. Anno sequenti eminentissimus idem Noallius prohibuit lectionem mandatorum, vulgo *mandemens*, Episcoporum Lucionensis, & Rupellensis, utpote Baianismum redolentium quoad istius propositiones 26, & 28. Alia mitto in re certa, idque unum moneo, quod si aliquando in Gallis ab alicuius constitutionis dogmaticae acceptatione temperatum est, id non probat, dogma in iis contentum non fuisse acceptatum, quod nullum quoad hoc proferri possit (quod sciam) exemplum, sed oeconomiae causa; idest vel particulae *motu proprio*, vel alicuius alterius formulae juxta stylum curiae, quae minus Gallis arrident. Ceterum plura sunt exempla, in quibus praevaluit doctrina in hisce decretis contenta formulis huiusmodi : multa enim Gallicana Ecclesia adoptavit decreta a Romana curia vulgata. Esto, formulas continerent sibi invisas, ad quas certe non adtendit, & adtendere otiosum plane, & superfluum existimavit. Fusam Baianismi historiam scripsit Duchene, quem tamen Romana censura perstrinxit.

§. VII

§. VII.

De Jansenio.

20 Dum brevem hic, ac sinceram de Jansenio, eiusque erroribus narrationem instituo, non ea profecto mens est, ut eum aut haereticum, aut tamquam virum judiciorum sedis Apostolicae minus reverentem, atque errores jam pridem damnatos ex animo renovantem traducere velim. Quanta enim fuerit morum integritate, quanta in Romanam Ecclesiam observantia, si ex iis, qui eius familiaritate, ac consuetudine usi sunt, non abunde constaret, omnem prorsus testamentum eius, ut postea videbitur, de ea re dubitationem amoveret. Quo autem facilius quae a nobis dicenda sunt, memoria teneantur, tria tempora distinguenda censemus. Primo ea referemus, quae doctrinae eius examen pontificium praecesserunt. Secundo tradentur quae ad judicii institutionem, formam, latamque inde sententiam spectant. Tertio tandem exponentur, quae Sedis Apostolicae judicium subsecuta sunt. Jam vero.

21 Cornelius Jansenius, de quo scribimus, alter a Cornelio Jansenio episcopo Gandavensi, cuius erudita exstant in Scripturam commentaria, natus est in agro Laërdamensi apud Batavos a catholicis parentibus anno supra sesquimillesimum octuagesimum quintum. Traiecti humanioribus literis instructus, Lovanium venit, unde, post navatam sedulo Philosophiae, ac Theologiae operam, caelum valetudini infestum expertus, Parisios se contulit, firmatoque ibi cum Abbate Sancyrano amicitiae jam olim Lovanii contractae vinculo, Baionam cum amico secessit, huiusque suasionibus s. Augustini lectioni ita animum applicuit, ut nocturna, diurnaque manu s. Patris scripta de Gratia versare non desisteret. Tum ad theologica studia Lovanium regressus, egregia adeo doctrinae praebuit specimina, ut ne dum in Lovaniensi academia lauream fuerit assecutus anno 1617, sed & regius sacrarum literarum professor anno 1630 in eadem sit renunciatus, ac demum ad Yprensem episcopatum quinquennio post ab Hispaniarum rege evectus. Postremam tunc temporis manum admovit operi, quod inscripsit *Augustinus*, quodque suadente Sancyrano susceptum, per vicennium & ultra

ela-

elaboraverat. Praelo *Augustinum* suum jam jam committere parabat: ast laethali morbo praeter exspectationem correptus a cogitatis desistere cogitur, conditoque testamento, scripta omnia suo cappellano legavit, ea lege tamen, ut ea typis non prius mandanda curaret, quam rem totam cum Liberto Fromundo, & Caleno communicasset, clausula, quam probe notatam velim, adjecta, qua opus suum ita Ecclesiae judicio subjiciebat, ut quidquid s. Sedes emendandum decerneret, id corrigi, expungique etiam atque etiam exoptaret. His ita peractis, post testatam sincero animo suam Romanae Sedi obedientiam annum agens 53 die 6 maii anno 1638 supremum obiit diem.

22 Interea Fromundus, & Calenus, quibus editionis cura a Jansenio erat commissa, *Augustino* rite examinato, atque discusso, ipsum statim praelo commisere; quod, dum fieret, singula folia, prout cudebantur, Romam ad Urbanum VIII summum Pontificem manu ignota quam primum examinanda transmittebantur. Quo factum est, ut eodem pene tempore, & operis editio, & pontificium examen sint absoluta. Maxima erat in Belgio novi *Augustini* exspectatio; a Sede Apostolica plenis cum votis approbatum iri nemo non putabat, sed delusa spes: nam Urbanus pontifex anno 1641 pridie nonas martias bulla, quae incipit *In eminenti*, opus Jansenii non prohibuit modo, sed diris in perpetuum vovit. Caussas damnationis summus Pontifex afferebat duas. Primam quidem, quod contra suum, & Pauli V decretum, de nullo circa Gratiae materiam vulgando opere Jansenii liber esset in lucem editus. Secundam vero, quod plurimas Baii propositiones jam olim a Pio V, & Gregorio XIII proscriptas renovaret. Hac apud Belgas renunciata censura, Yprensis Episcopi fautores, ut nihil tale erant subodorati, obstupescere primum, ac dolere. Tum vero, collectis animis, Urbani bullam falsi postulare, ab Albizio, ut aiebant, Jansenii adversario aut adulteratam, aut confectam causantes, in eamque Jansenii nomen contra mentem Pontificis fraudulenter irrepsisse dictitabant. His addebant varium in variis exemplaribus annum bullae consignari, nulloque praevio examine Jansenii librum fuisse damnatum. Quid plura? Legati Romam mittuntur Synnichius, & Papius doctores Lovanienses, qui de dolo apud summum Pontificem conquerantur. Ubi Romam venere, exci-

cipiendis quamprimum, discutiendisque eorum quaerelis tres cardinales, adhibito etiam plurium Theologorum judicio, sua anctitas praeficit. Auditis benigne legatis, reque tota ad trutinam diligenter exacta, ab illis sanctae Romanae Ecclesiae triumviris negotium Urbano totum defertur, qui ex archivio congregationis generalis Inquisitionis praefatae bullae exemplar *extrahi*, *transcribi*, *collationari*, *imprimi*, *ac deputatis Belgii a memoratis cardinalibus consignari jubet*, *ipsisque insuper significari*, *atque intimari suae Sanctitatis voluntatem*, *ac mentem esse*, *ut eidem exemplari sic consignato fides adhibeatur*; ac demum, quo aditus omnis criminationibus praecluderetur, *difficultatibus*, *&* *querelis occasione praedictae bullae quoquomodo excitatis*, *vel excitandis perpetuum silentium imposuit.* Sunt verba decreti emissi die 26 junii anno 1644 sacrae congregationis Inquisitionis generalis ad rem, de qua agitur, excutiendam Pontificis jussu coactae.

23 Datae inde ad Belgii praesules, atque universitates literae, quibus de singulis, ut erant Romae acta, ac definita, certiores fierent; bullam in provinciis illis nuncius Apostolicus, ceterique Episcopi in Ecclesiis quisque suis solemniter promulgare jussi sunt. Sed Urbano interea e vivis sublato, res infecta mansit, nec, nisi anno 1648, urgente Innocentio X Urbani successore, atque jubente Philippo Hispaniarum rege, Urbana constitutio in toto Belgio promulgata, atque recepta est.

24 Optandum sane fuisset, ut silentio a summo Pontifice indicto omnes pacis ergo paruissent, sed fato, nescio quo, res longe aliter cessit. Per id enim temporis apud Gallos jam evulgatum Jansenii systema multos sibi suffragatores, & quidem celeberrimos obtinuerat: nam anno 1649 calendis juliis syndicus sacrae facultatis Parisiensis graviter conquestus est, quod Bacalaurei quidam propositiones aliquas Baii, & Jansenii doctrinam redolentes a se ex eorum thesibus rescissas publice inter respondendum propugnarent. Nascenti huic malo ex Belgiis in Gallias prorumpenti promtum remedium afferri oportere, iterum atque iterum praedictam facultatem commonuit, ne, altioribus in dies actis radicibus, nulla unquam vi in posterum sanari posset, atque evelli. Hisce dissidiis ut obviam iret cardinalis Mazarinus, Janseniani operis examen Isaacco Haberto Vabrensi Episcopo commisit, qui, eodem diligenter perpenso, celeberrimas quinque propositiones

a me

a me ad calcem narrationis huius subjiciendas excerpsit; quas anno sequenti 1650 ad solita Episcoporum comitia delatas octoginta quinque Gallicani praesules omnino configendas censuerunt. Verum cum de Episcopo, eoque alienigena ageretur, in quem jus ei esset nullum, auctoritas nulla, a sententia ferenda in praefatas propositiones abstinendum rati, summo Pontifici, qui de iis decerneret, supplicandum existimarunt. Quare literis obsequii, ac reverentiae plenis ad Innocentium X datis, ad sedis Apostolicae tribunal eas propositiones proscribendas detulerunt. Undecim tamen ex laudatis praesulibus hanc fratrum suorum agendi rationem improbantes, literis eodem tempore ad Innocentium missis, eum a censura ferenda dimovere studuerunt. Redditis partis utriusque epistolis, summus Pontifex, quo contentionibus Ecclesiam perturbantibus finem faceret, ad praedictarum propositionum examen die aprilis 5 congregationem indixit. Huic, ut omnia stricto calculo expenderentur, Cardinales quinque praefecit, adjunctis tredecim insuper clarissimis ex urbe Theologis e diversis Regularium coetibus selectis, inter quos suus et am nostro Thomae Delbene locus est adtributus Congregationes inde celebrari coeptae, in quibus decem ultimis Romanus Pontifex summa interfuit assiduitate.

25 Summa jam tranquillitate sessiones ad quinque propositionum discussionem procedebant, cum ex Galliarum oris Theologi quinque tamquam ab Episcopis quibusdam Gallicanis pro tuendis delatis propositionibus delegati, & tres insuper pro earumdem damnatione urgenda anno 1651 Romam appulere. Priores in conspectum Pontificis admissi enixe orare, ut eum adversariis congredi liceat, maiorem inde fore futuro judicio fidem, atque auctoritatem, si omnia non clandestina, ut fiebat. sed solita priorum temporum via discuterentur, eaque tandem ratione omnium votis satisfactum iri. Sed postulata nec tunc, nec postea unquam potuerunt a summo Pontifice impetrare, reponente, hosce cum adversariis conflictus in contumelias, jurgiaque interminata desinere solita, quod sub Clemente VIII, & Paulo V experientia comprobarat. Illud etiam addebat cardinalis Spada ab hoc concertationum genere non minus, quam summus Pontifex alienus, nihil omnino hos invicem congressus profuturos, quod scripta pro utraque parte simul collata a nullis contendentium possent ignorari, quippequae omnium manibus tererentur.

Invicta hac summi Pontificis constantia ab omni spe Jansenii fautores deiecti coram eo in congregationibus sine partis adversae conventu caussam suam agere, potestate facta, unanimi consensu statuerunt. Plura idcirco parant scripta, inter quae primas sane obtinet celebre illud, quod in tres columnas partitum, *brevissima quinque propositionum in varios sensus distinctio* ab iisdem inscriptum est. Oblatum istud suae Sanctitati fuit anno 1653 die maii 19, qua, ut refert Wadinghus in brevi sua relatione, quae inscribitur *Defense de l'Eglise Romaine pag.* 427, introducti sunt in congregationem memorati quinque presbyteri Galli, qui a Jansenii partibus stabant, ut praesente Pontifice caussam suam perorarent. Primus verba fecit abbas Delalane, qui exordio a rerum gravitate, tum a D. Augustini laudibus, atque auctoritate in iis, quae ad Gratiam spectarent, desumto, ad varios tandem propositionum sensus explicandos, ac distinguendos descendit, & quo sensu a se, sociisque sibi adhaerentibus defenderentur, pluribus explicavit. Tres porro sensus propositionibus inesse contendebat, Calvinianum nempe, Pelagianum, & Jansenianum, quem tamquam catholicum, & a D. Augustino depromtum pronunciavit. Per horam integram, referente de Saintamour Diarii parte 6 cap. 2, disseruit. Num vero ceteri pro eadem causa singuli dixerint, definire non ausim: si fides Honorato Tournely habeatur, omnibus loquendi facultas facta & tempus datum. Si vero sit standum manuscripto codici ab uno ex congregationum Theologis confecto, duobus tantum ob temporis angustias disserere licuit. Illud autem indubium est, quod scripta omnia a Jansenii oratoribus allata sibi summus Pontifex ab iisdem tradi jussit, eorumque examen sibi vindicavit. Prius vero, quam eos a se dimitteret, aperte declaravit, intempestivam illam variorum sensuum distinctionem nullam huic controversiae nedum lucem afferre, imo vero novis eam ambagibus magis magisque implicare, ideoque simplicem, obvium, ac naturalem propositionum sensum esse attendendum pronunciavit.

26 Hisce peractis, rebusque etiam atque etiam expensis tum privatim, tum in congregationibus, in quibus, ut constat ex laudato codice, non una, eademque semper fuit Patrum Vicecomitis Ordinis Augustiniani generalis, Candidi magistri sacri Palatii, & Lucae Wadinghi Ordinis Minorum cum ceteris Theologis opinionum consen-

sensio; tandem summus pontifex Innocentius X post celebratas per biennium sex supra triginta congregationes die maii ultima anno 1653 sententiam tulit, singulasque ex quinque propositionibus variis censurae notis perstrictas condemnavit: notae vero singulis inustae hae sunt. Primam temerariam, impiam, blasphemam, anathemate damnatam pronunciavit; secundam ut haereticam; tertiam similiter; quartam falsam, & haereticam; quintam denique falsam, temerariam, scandalosam, & intellectam eo sensu, ut Christus pro solis praedestinatis mortuus sit, impiam, blasphemam, contumeliosam, divinae pietati derogantem, & haereticam declaravit, & ut talem damnavit.

27 His confectis, constitutionem ad Imperatorem, ad regem Christianissimum, ceterosque Principes catholicos, Praesulesque illico transmissam in toto orbe Romanae Ecclesiae adherente promulgari summus Pontifex imperavit. Eam Gallicani praesules eodem anno congregati, praeside Mazarino cardinali, unanimi consensu praeter paucos excepere. Missis inde gratulatoriis ad Innocentium literis de pace in toto Galliarum regno suprema ipsius auctoritate parta, quam maximas potuerunt, grates retulere.

Utinam quam Jansenius promiserat obedientiam cuivis Ecclesiae de scriptis suis judicio, hanc etiam vice magistri jam vita functi discipuli latis decretis praestitissent; pax certe in Ecclesia ab utriusque partis silentio indemnis servata fuisset. Sed contra res contigit, vel id evenerit ob immoderatum aliquorum plausum de vulgata censura, vel nimio discipulorum erga magistrum Jansenium studio, meum non est definire. Quod certum est, Yprensis episcopi fautores, ut nihil unquam tale exspectaverant, inopinato hoc eventu perculsi pontificiam sententiam declinare pro viribus studuerunt. Aiebant, damnatas quidem ab Innocentio fuisse quinque propositiones, sed sensu longe diverso ab eo, quo eas Jansenius in suo *Augustino* tradidisset. Alexander VII, qui Innocentio successerat, de novo hoc molimine a Clero Gallicano certior factus, ne graviores rursum contentiones in Galliarum Ecclesiis cierentur, decreto suo Innocentii constitutionem confirmavit, ac quinque propositiones ex Janseniano libro excerptas, & in sensu ab eiusdem auctore *intento* damnatas a praedecessore suo fuisse pronunciavit; quinimo, ut Jansenii patronis omnem tergiversandi locum adimeret, for-

mulam, rogante Galliarum Clero, ab omnibus ordinis Ecclesiastici viris subscribendam misit, poena insuper adversus refragantes indicta.

28 Vulgata in Galliarum regno Alexandri formula, Janseniani, ut caussam tuerentur, celebrem juris, atque facti distinctionem excogitarunt, contendentes nimirum, Ecclesiam in juris quaestione dirimenda, an scilicet quinque propositiones haereticae essent, errare quidem non posse, at non item in facti quaestione: num videlicet esset hic, an alius Jansenianarum propositionum sensus: quapropter se quantum ad juris quaestionem subscribere formulario paratos esse testabantur; at in eo, quod ad factum pertineret, talem subscriptionem omnino detrectabant.

Antequam progrediar, moneo Theologiae candidatos, ne temere, aut falso de Ecclesiae auctoritate in *factis* dogmaticis definiendis opinentur, ut adeant virum eruditum Ordinis s. Augustini Aurelium Piette in elucidationibus difficiliorum in Theologia quaestionum *tom.* 1 *quaest.* 2. Rem jam resumo. Quoniam vero aut erat plene subscribendum, aut poenis pontificio decreto, & regio etiam edicto statutis erat subjacendum, nonnulli a patria exsulare, atque profugi in Holandiam abire, quam eidem subscriptioni assentiri maluerunt; alii, restrictione adhibita, apud Episcopos, quibus subscriptionis exsecutio erat, a summo Pontifice mandata hoc pacto subscribebant: *Fide credo, dogmata illa quinque merito esse ab Ecclesia damnata: num vero a Jansenio sensu haeretico sint edocta, reverentiam praesto.*

29 Non leves ex hac subscribendi ratione inter Episcopos, qui subscriptiones illas excipiebant, contentiones ortae; aliis distinctionem hanc, & temperamentum ultro probantibus, aliis ex adverso limitationem prorsus omnem reiicientibus: sed & posteriores isti adhuc inter se diffidebant. Quidam enim nulla idcirco inter subscribendum juris, & facti distinctione opus esse adfirmabant, quod juris, & facti quaestiones inseparabiles censerentur, ac in utrisque dirimendis Ecclesia nullo modo errandi periculo subjaceret: quidam vero juris, & facti discrimen e re ipsa adeo sponte fluere, ut, cum obviam cuique foret, illud verbis enunciare in subscribendo plane superfluum, atque ab Ecclesiae usu alienum omnino esse

vi-

videretur. Verum reponebant Janseniani, si praefata distinctio silentio premeretur, pro certo fore, ut male quidam feriati absolutam hanc suam subscriptionem non minus ad jus, quam ad factum extenderent, ut finis tandem jurgiis fieret, alia ex composito inita via est. Declararunt videlicet viginti Episcopi instrumentis publicis absolutam subscriptionem a se exigi quidem inter subscribendum, non quod jus cum facto confusum vel ipsi vellent, sed quod duo haec per se distincta satis, atque aperta nova inter subscribendum distinctione non indigerent.

30 Nimis Jansenianae caussae patronis datum a memoratis praesulibus, atque indultum, nonnullis ex adversa parte criminantibus, res ad Clementem IX defertur Alexandro VII suffectum, qui, laudata Episcoporum agendi ratione, pacem Ecclesiae tanto temporis intervallo discordiis perturbatae eo pacto restituisse commendatur, quae ob eam caussam pax Clementina nuncupatur. Sed quae rursum paullo post emersere contentiones superiora quidem dissidia fuisse sopita, non vero extincta comprobarunt. Ad nova enim diverticula Janseniani, ut pontificiorum decretorum vim declinarent, denuo confugerunt, fatentes, Alexandrum VII quinque propositiones haereticas quidem in sensu a Jansenio intento pronunciasse; sed quis ille esset sensus, nullatenus declarasse, proindeque nihil hac adhuc in re definitum videri.

31 Sed nonnulli, quibus propositionum damnatio dolebat summopere, atque minus justa videbatur, cum eas immerito censura fuisse perstrictas, palam, & aperte praedicare non auderent, obliquam, ut id ostendere conarentur, viam inire statuerunt. Extractas itaque ex Jansenii *Augustino* plurimas sententias a damnato sensu longe remotas (non enim in errante sunt omnia falsa) easque cum sententiis ex divis Augustino, & Thoma depromtis conferentes, ne syllabis quidem, ob erasas de industria quasdam ab ipsis voculas, differre inter se ostendunt, indeque pontificia damnatione non minus Jansenii, cum Augustini doctrinam peti, atque labefactari concludunt. Verum Innocentius XII, qui tunc Ecclesiae praeerat, eorum statim occurrit interpretamentis. Nam brevi dato ad Belgii Episcopos anno 1694, sensum in propositionibus damnatum eum esse, quem verba prae se ferunt, quique per se legentibus obvius est, declaravit, demto illis quovis suffugio, qui Augustinum, & Thomam cum Jansenio da-

damnatos esse per summam invidiam criminabantur. Quinimo vetuit, ne quis inique Janseniani nomine quempiam verbis, aut scriptis insimularet, nisi aliquas ex proscriptis propositionibus docuisse prius aperte constitisset. En Theologiae candidati genuinam Yprensis Episcopi, eiusque errorum, ac dissensionum, quae inde emerserunt, synopsim, quam quidem sine ullo partium studio, ut arbitror, expositam, qui vera sectantur, facile fatebuntur.

32 Nunc datam fidem de subjiciendis hoc loco damnatis propositionibus exsolvere juvat; sunt autem sequentes:

PRIMA PROPOSITIO DAMNATA

„ Aliqua Dei praecepta hominibus justis volentibus, „ & conantibus secundum praesentes, quas habent, vires „ sunt impossibilia: deest quoque Gratia, qua *possibilia* „ fiant.

II

„ Interiori Gratiae in statu naturae lapsae nunquam „ resistitur.

III

„ Ad merendum, & demerendum in statu naturae la- „ psae non requiritur in homine libertas a necessitate; „ sed sufficit libertas a coactione.

IV

„ Semipelagiani admittebant praevenienti Gratiae in- „ terioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium „ fidei: & in hoc erant haeretici, quod vellent eam „ Gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resi- „ stere, vel obtemperare.

V

„ Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus „ omnino hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse.

Crimini fortasse quispiam mihi vertet, quod in referendis propositionibus earum cum Jansenii textu collatio-
nem

nem omiserim; sed cum eruditi Theologi Serry, & Berti jam suso id calamo praestiterint, ab inutili hoc opere abstinendum existimavi.

De Quesnellio.

Quesnellius Lutetiae Parisiorum anno 1634 pridie idus quintiles natus presbyterorum Oratorii Jesu Congregationem, ubi primum per aetatem licuit, ingressus est. Cognita statim Congregationis praesides eximia eius, ac prope singulari in moralibus exponendis solertia, brevi ei de Christi Domini verbis compendii ad sociorum usum conscribendi provinciam mandavere. Quod ille munus ea obivit cura, atque sagacitate, ut non omnibus probaretur solum, verum & ab instituti rectoribus cuique ex iis, qui per id tempus tirocinium agerent, legendum praeberetur. Quapropter fausto laborum exitu allectus, ne dicam elatus, Quesnellius novum opus, sed completum, magisque elaboratum adgressus est; confectumque inscripsit *Reflexions morales sur les Evangiles*, quod tamen opus cum eo confundi nolim; quod postea a Clemente XI damnatum dicemus. Tanto enim istud plausu non a suis modo, sed ab exteris etiam exceptum est, ut Episcopi plures, ubi primum in lucem prodiit, in suis quisque seminariis singulis diebus legi jusserint. At non diuturna pace Quesnellio frui licuit: a quibusdam enim praeter exspectationem variis criminationibus insimulatus, jubente rege, Aurelianum secedere coactus est, ubi operi suo imperfecto adhuc ultimam manum adhibuit.

34 Interea Patres Oratorii formulario de doctrina in scholis suis edocenda confecto, singulos eiusdem Congregationis presbyteros eidem subscribere jusserunt. Quesnellius, cui non pauca in eo formulario displicebant, ne ad huiusmodi subscriptionem, conscientia reluctante, invitus adigeretur, in Belgium secedere decrevit: ubi, juvante apprime docto Arnaldo, qui illic jampridem latebat, librum de reflexionibus moralibus perfecit, eumque anno 1687 Bruxellis in lucem primum edidit. Tum multa in eo opere adhuc desiderari non ignorans, pluribus illud adaugendum ratus est.

Quod cum praestitisset, typis denuo anno 1694 eadem in urbe mandavit. Inter haec clarissimus Bossuet semper ho-

honoris caussa appellandus, qui tum Meldensi Ecclesiae praeerat, necnon doctores quidam Sorbonici, opere illo attente perlecto, multisque in eo censura dignis adnotatis, eius orthodoxiam in suspicionem vocare coeperunt. Mechliniensis etiam Antistes pluribus hunc librum erroribus scatere post initum examen advertens, Hispaniarum regem per literas statim certiorem fecit, enixe rogans, ne novos tumultus, qui ab opere Quesnelliano impendebant, in Belgiis excitari pateretur. Qua re permotus rex Catholicus superiorum dissensionum non immemor Quesnellium comprehendi, atque in vincula conjici jubet. Dum eius caussa ageretur, quidam ipsi familiares, disruptis custodiae muris, eum a carcere extractum, incolumem, ac salvum Amstelodanum in Holandiam perduxerunt, ubi plures annos commoratus fato tandem functus est, emissa prius fidei professione, in qua errores suos pertinaci animo detrectare recusavit.

35 Jamque a Novatoris huius doctrina late, & longe per Galliam diffusa novae discordiae imminebant, cui malo ut obviam irent Gallicani praesules, regi Ludovico Magno suaserunt, ut summo Pontifici per literas supplicaret, quo nascentem errorem censura quam primum compesceret, atque suffocaret. Re itaque per Ludovicum ad Clementem XI delata, solitoque more in congregationibus illico discussa, librum reflexionum moralium non proscripsit modo, sed & propositiones centum, & unam ex eo excerptas idem summus Pontifex bulla, quae incipit *Unigenitus*, condemnavit. Bullam vero in Gallias continuo transmissam quadraginta Episcopi Gallicani Parisiis coacti anno 1713 idib. octob. exceperunt, reluctantibus octo praelatis una cum cardinale Noallio, qui primum de damnato in his propositionibus sensu summum Pontificem consulendum rati, inde ad futurum concilium anno 1717 kalend. mart. provocarunt. Priorum exemplum universae catholici orbis Ecclesiae, atque universitates, imo vero & ipse cardinalis Noallius, qui pacis caussa ad generale concilium appellasse creditur, praefatam bullam postea receperunt, praeter unum Senensem Episcopum, qui in synodo Eburodunensi episcopalibus functionibus interdictus, jussu regis apud Arvernas exsulavit. Si quis uberiorem celeberrimae huius constitutionis notionem desiderat, consulat literam encyclicam Benedicti XIV ad Episcopos Gallicanos, nec-

non

non ipsius apologiam eiusdem Pontificis iussu ab erudito Theol. Ord. Praedicat. adornatam.

PROLEGOMENON III.

De s. Augustini auctoritate in iis potissimum, quae ad Dei Gratiam explicandam referuntur.

36 Nolim hic D. Augustini in Ecclesia merita, & erudita, quae nobis reliquit, doctrinae suae monumenta laudibus, ut par esset, celebrare. Impar ego sum tanto operi implendo eo vel maxime, quod viri praestantissimi stylo elegantiori absolverunt. Quod igitur hic paucis in sublimis huius Doctoris commendationem dicere instituo, hoc unum est, quod s. Augustinus potissimum in Gratiae natura, efficacia, ac extensione explicanda magister Theologis omnibus esse debet, a quo ne latum quidem unguem discedere religioni habere omnes debent. Hoc autem ut suadeam, nihilo plus requiri crediderim, quam illud significare, in hoc potissimum argumento Ecclesiae Romanae sensus eosdem omnino esse, quos in libris Augustini reperias; quaeque s. Doctor in suis de Gratia cum eiusdem osoribus controversiis scripto consignavit, haec sua Ecclesiam fecisse, & proprium calculum eisdem adjecisse. Rem esse, ut obtendo, sponsores, ac vades mihi sunt Romani Pontifices Gelasius, & Caelestinus I, aliique bene multi. *Augustinum sanctae recordationis virum*, sic ad Episcopos Galliarum scribebat Caelestinus I, ut querelas compesceret, quibus Augustini doctrinam Massilienses dure, crudeque carpebant, *pro vita sua, atque meritis in nostra semper communione habuimus, nec unquam hunc sinistrae suspicionis saltem rumor aspersit, quem tantae scientiae olim fuisse meminimus, ut inter magistros optimos etiam a meis semper praedecessoribus haberetur. Bene ergo de eo esse in communi senserunt, utpote qui ubique cunctis & amori fuerit, & honori.* Innocentius I epist. 93 inter opera Augustini inserta haec scribit: *Epistolae Augustini nomine concilii Milevitani conscriptae ad destruendum Pelagianorum errorem multifariis uti possemus exemplis, ni sciremus, sanctitatem vestram ad plenum*

omnes

omnes scripturas calkere divinas; praesertim cum vestra relatio tantis, ac talibus testimoniis sit referta, ut his solis valeat praesens dogma rescindi; Hormisda papa epist. 70 ad Professorem Episcopum Africanum: *De libero arbitrio, & Gratia Dei quid Romana, hoc est catholica, sequatur, & adseveret Ecclesia, licet in variis libris D. Augustini, & maxime ad Hilarium, & Prosperum possit cognosci; tamen in scriniis Ecclesiasticis expressa capitula continentur.* Hic autem ab Hormisda designantur canones concilii Arausicani II, quos ex D. Augustini operibus excerptos s. Leo ad idem concilium transmisit, teste Bellarmino *lib.* 2 de Grat. & libero arbitrio *cap.* 11. Qui sint canones huiusmodi de Gratia ex scriptis Augustini excerpti, & ab Ecclesia adprobati, facile intelligetur, si rem altius repetamus.

37 Fervebant in Galliis Massiliensium controversiae circa Gratiae necessitatem, eorumque in scripta Augustini querimoniae, & dura verba Gallicanam Ecclesiam turbabant. Hilarius, & Prosper, ut primaevam tranquillitatem rebus ita turbatis restituerent, epistolam ad Caelestinum pontificem dederunt, ut ab ipso errores tunc grassantes proscriberentur. Votis eorumdem annuit Caelestinus, eisque epistolam misit, ac in ea plurima circa Gratiam capitula inseruit ex doctrina Augustini depromta. I erat in Episcopos Galliae paterna objurgatio, quod presbyteros suos contra Augustinum oblaterantes impune dimitterent. II continebat laudem Augustini, eiusque doctrinae: *Tantae enim*, inquit, *olim scientiae fuisse meminimus, ut inter optimos magistros etiam a meis semper praedecessoribus haberetur.* In III insinuat quid de Gratiae necessitate contra Pelagianos Romana Ecclesia retroactis temporibus docuerit. In sequentibus capitulis canones varios instituit. I quidem hominem originis labe fuisse sauciatum, nec absque Christi Gratia posse salvari. II hominem bonum non esse propriis viribus, sed Christi Gratia. III hominem utut Baptismo expiatum imparem esse ad concupiscentiam, & diaboli insidias superandas, nisi quotidiano Dei adjutorio bonae conversationis perseverantiam acceperit. IV neminem bene uti proprio arbitrio, nisi per Christi Gratiam. V omnia Sanctorum merita ad Dei gloriam, laudemque esse referenda, quia nemo ipsi placet, nisi ex eo, quod ipse donaverit. VI sanctas omnes cogitationes, pia consilia, & salutares voluntatis motus ex Deo esse. VII Dei Gratiam esse aptam nedum ad peccata dimittenda, verum etiam ad

ipsa

ipsa vitanda. VIII divinam Gratiam non in sola doctrina consistere, prout nobis ipsa revelatur, sed in hoc etiam, ut facienda cognoscamus, & cognita diligamus, eaque diligere possimus. IX Gratiam non dari, ut facilius, sed ut absolute possimus divina mandata implere. His omnibus simul congestis, haec Pontifex adnectit: *His ergo Ecclesiasticis regulis, & ex divina sumtis auctoritate documentis, ita adjuvante Domino, confirmati sumus, un omnium bonorum affectuum, atque operum, & omnium studiorum, omniumque virtutum, quibus ab initio fidei adtenditur, Deum profiteamur auctorem, & non dubitemus ab ipsius Gratia omnia hominis merita praeveniri, per quam fit, ut aliquid boni & velle incipiamus, & facere: quo utique auxilio, & munere Dei, non aufertur liberum arbitrium, sed liberatur, ut de tenebroso lucidum fiat, de pravo rectum.*

38 Nunc ad rem propius accedentes, illud ex historia Ecclesiastica recolere juvat, Caelestino, de quo nunc mentionem fecimus, in pontificatu successisse Xystum III, isti s. Leonem Magnum anno 440; sub utroque Pontifice discordiis circa Gratiam Gallos fuisse inter se se discerptos, atque ideo Leonem D. Prospero notario suo mandasse, ut canones alios ex scriptis Augustini conflaret, qui a se adprobati ad Galliarum Episcopos mitterentur. Caussae tam molestae finiendae gratia res ita gesta est, ac canones, ni fallor, 25 a s. Leone papa in Galliam missos, Episcopi Gallicani in concilio Arausicano coacti acceptarint. Monuerim tamen ex aliorum etiam Patrum testimoniis, praeter Augustinum, canones laudatos fuisse confectos. Cum autem, Leone papa, eiusque successoribus Hilario, Simplicio, & Felice III vita functis, alios circa Gratiam errores Faustus excitasset, Gelasius papa in concilio Romano 70 Episcoporum praefatos errores damnavit, solemni facta de scriptis Augustini, Hieronymi, aliorumque commendatione.

39 Ex his autem illud Theologo ad criticae regulas omnia exigenti deducendum videtur, quod singula Augustini testimonia, quae Romana adoptavit Ecclesia, ac sua, ita dicam, fecit, haec, tamquam fidei regulae, habenda sint, quibus vel minimum refragari eamdem inferat notam, quam Ecclesiasticarum infert definitionum contemtus. In aliis vero potissimum de Gratia argumentis, quae quidem Ecclesia adprobavit, sed sua non fecit, cum illa in canones non redegerit, in his, inquam, doctrinam Augu-


gu-

gustini summi ponderis esse, ideoque omnibus praeferendam. Meretur id certe Augustinus tum ob frequentissimos, quos habuit cum adversariis Gratiae congressus, in quibus cum fidem Ecclesiae ab erroribus eidem a Novatoribus affictis pro virili vindicaverit, summum ipsi Numinis auxilium praesto fuisse tenendum est; tum ob praeclaras in eiusdem doctrinae testimonium ab Ecclesia passim factas commendationes, atque ad eumdem in dubiis consultationes, quod apertum est sanae in ipsius libris contentae doctrinae argumentum. Dixi in illis, quae Ecclesia tamquam sua non adoptavit, in fidei regulas ipsa non redigendo summam, non falli nesciam esse ipsius doctrinae auctoritatem. Haec enim Ecclesiae concessa est, iisque omnibus, quae ipsa calculo suo confirmavit, non vero singulis Patribus singillatim consideratis. Hoc autem aperte indigitant verba Caelestini pontificis ad calcem epistolae superius memoratae, in qua haec leguntur: *Profundiores, difficilioresque vero partes intercurrentium quaestionum, quas latius pertractarunt, qui haereticis restiterunt (inter quos certe eminet Augustinus) sicut nos audemus contemnere; ita non necesse habemus adstruere, quia ad confirmandam Gratiam Dei, cuius operi, ac dignationi nihil pariter subtrahendum est, satis sufficere credimus quidquid secundum praedictas regulas Apostolicae sedis nos scripta docuerunt, ut prorsus non opinamur catholicum, quod apparuerit praefixis sententiis esse contrarium.* Imo ipse Augustinus pro ea, cuius erat, modestia de dono perseverantiae cap., ni fallor, 21 haec de se literis mandare non dubitavit: *Neminem velim sic amplecti omnia mea, ut me sequatur, nisi in iis, in quibus me non errare perspexerit: nam propterea nunc facio libros, in quibus opuscula mea retractanda suscepi, ut nec me ipsum in omnibus me secutum fuisse demonstrem . . . Proficienter me existimo, Deo miserante, scripsisse; non tamen a perfectione incepisse, quandoquidem arrogantius loquor, quam verius, si vel nunc dico, me ad perfectionem sine ullo errore scribendi, in ista aetate* (subintellige provecta) *venisse*; tum epist. 10 ad Hieronymum: *Nec te, mi frater, sentire aliud existimo. Prorsus, inquam, nec te arbitror sic legi tuos libros velle, tamquam Prophetarum, vel Apostolorum, de quorum scriptis, quod omni errore careant, dubitare nefarium est*; tum infra: *Quamquam tantummodo canonicis scripturis hanc ingentem debeam servitutem, qua eas solas ita sequar &c.*, & lib. 2 contra Faustum epist. 3:
Ne-

Neque enim quorumlibet disputationes quantumvis catholicorum, & laudatorum hominum, velut scripturas canonicas habere debemus . . . Talis ego sum in scriptis aliorum, & tales volo esse intellectores meorum. Haec interim sarta, tectaque sint, Augustino melius neminem Gratiae indolem, ac vires explicasse, nullumque proinde Theologum e re sua ducere non debere eiusdem doctrinam primam, ac praecipuam in re praesenti adoptare.



TRA-



TRACTATUS

DE DIVINA GRATIA

PARS PRIMA DOGMATICA.

Dum hic a consueta Theologorum methodo recedere mihi visum est, omnia, quae de fide esse adversus Novatores Ecclesia proponit, seorsim in sede peculiari, in altera statione, quae huius tractatus posterior pars est, constituendo, quae in quaestionem inter Theologos vocari solent; opportunum pariter esse crediderim, meoque instituto magis accommodatum, si in ipsis fidei controversiis excitandis seriem haeresum impugnandarum hic sequar, non ipsam quaestionum naturam, quarum aliquae prius, posterius aliae viris nonnullis tractandae videri possint. Hoc porro sola novitatis libidine a me factum cordati homines non credent, sed maturo consilio constitutum: si enim alteram inire viam animo proposuissem, mox ab una haeresi oppugnanda in alterius oppugnationem digredi debuissem, tum ab ista in prioris intermissae impugnationem redire. Eamdem ob caussam a consueta in scholis rerum partitione in sectiones, quaestionesque recepta, & a me hactenus servata recedendum existimavi, substituto controversiarum vocabulo a Theologis ferme omnibus cum haereticis congredientibus adoptato. Consilii itaque mei, atque instituti ratione exposita, ad quinque omnino capita rem omnem deducendam curabo. In I Pelagianismum, ac proinde ipsius etiam praecursores falsitatis convincam. Tum Semipelagianismum, atque adeo errores alios eidem affines. III aliqua Lutheranorum, & Calvinistarum figmenta huc spectantia dispungam. IV de Baianismo disseram, quantum ad praesens nostrum attinet institutum. Plura enim ad tractatum de peccatis, & ad dissertationem de caritate pertinent. Demum loco postremo systema Jansenii, quoad Gratiam spectat, refelletur.

DISSER-

DISSERTATIO I

complectens catholicae doctrinae collationem cum haeresi Pelagiana.

CONTROVERSIA I

In qua exponitur Ecclesiae fides quoad Gratiam primi hominis.

40 Cum iis, quae in hac parte dicemus, debeant respondere, quae in parte secunda scholastica discutienda sunt, operae pretium me facturum existimaverim, si ob rerum affinitatem hic in antecessum exhibeamus notiones, quae ibi ad scholasticam tractationem eorum, quae hic dogmatice exponemus, desiderari videbuntur. Porro quod attinet ad primam hanc controversiam, quae de Gratia primi hominis est, & consequenter de Gratia status innocentiae, illud visum est hoc loci adnotare, *status* nomine hic a sacrae doctrinae tractatoribus intelligi conditionem aliquam, seu modum, quo natura humana se habet ad finem ultimum suum adsequendum. Quinque autem huiusmodi status distinguunt scholae magistri, alios, qui fuerunt, alios, qui nusquam extitere. Primi generis sunt status naturae innocentis, & status naturae lapsae per Christi merita reparatae. Status naturae innocentis ille est, in quo primi hominum parentes conditi fuerunt. Status naturae lapsae reparatae is est, in quo constituti utique sumus originis labe infecti; ita tamen ut per Christi merita & ab huiusmodi labe expiari possimus, & vitam aeternam comparare. Alterius vero generis sunt status naturae lapsae non reparatae, status naturae integrae, & status naturae purae. Status naturae lapsae non reparatae ille concipitur, in quo post labem originis homo remansisset, nisi ipsum Christus propriis meritis liberasset: hunc statum esse possibilem constat ex se; potuit enim Deus a mundo redimendo abstinere. Status naturae integrae ille est, in quo homo ordinaretur duntaxat ad finem naturalem mediis pariter naturalibus comparandum. In eo statu concipitur pars homi-

nis

nis superior Deo subjecta, ut auctori naturae, & pars inferior parti hominis superiori cum auxilio quodam vel ordinis naturalis, vel supernaturalis humanae quidem naturae non debito, sed tamen debito illi statui, in quo appetitus rationi deberet esse subjectus. Status naturae purae is est, in quo sine peccato, & sine Gratia homo fuisset, iis tamen infirmitatibus subjectus, quibus nunc est obnoxius. His explicatis, quibus lucem dicendis in Baianismi impugnatione foenerabimur, tum in primis partis scholasticae quaestionibus, ad rem accedimus, ostendendo oppido falli Pelagianos sentientes, in ea nos omnes perfectione procreari, in qua fuit Adam ante lapsum, indeque illud ducentes aeque pessimum consectarium, quod quemadmodum in nobis Gratia nulla, dum procreamur, adfulget, nulla pariter Gratia praeditus fuerit Adam ante lapsum, ita referente August. *lib.* de gestis Pelagii *cap.* 11, *& lib.* 2 operis imperfecti. Pravum Pelagii dogma renovatum esse a Socino constat ex eiusdem praelectionum cap. 3, quem quidem iisdem omnino argumentis, quo Pelagium convincemus.

PROPOSITIO.

Catholica doctrina est Adamum primitus in statu Gratiae, & originalis justitiae fuisse constitutum.

41 Evincitur 1. Illud enim catholica fides constanter tenuit, quod sacrae literae, ac jugis traditio docuerunt. Porro in statu Gratiae Adam fuisse conditum aperte designant verba illa Ecclesiastes 7: *Fecit Deus hominem rectum*, quae verba sic interpretatur Augustinus lib. 1; *de civit. Dei* cap. 11; *Fecit Deus, sicut scriptum est, hominem rectum, ac per hoc voluntatis bonae; non enim rectus esset bonam non habens voluntatem: bona igitur voluntas opus est Dei; cum ea quippe ab illo factus est homo.* Quod quidem cum de naturalis ordinis rectitudine intelligi perperam posset, locum falsae interpretationi tollit idem s. Doctor, se de vera caritate loqui significans cap. 7 eiusdem lib., ubi inquit: *Nam cuius proprium est amare Deum, & non secundum hominem; sed secundum Deum amare proximum, sicut etiam se ipsum; procul dubio propter hunc amorem dicitur voluntatis bonae, quae usitatius in scripturis sacris caritas adpellatur.* Huic

scri-

ait: *Quamvis secundum corpus terra esset, & corpus, in quo creatus est, animale gestaret, tamen, si non peccasset, in corpus fuisset spirituale* (idest spiritualizatum ob subtilitatem, aliasque dotes) *mutandus, & in illam incorruptionem, quae fidelibus sanctis promittitur, sine mortis periculo transiturus.* Et cap. 12: *Proinde, si non peccasset Adam, non erat exspoliandus corpore, sed supervestiendus immortalitate, & incorruptione.* Tum lib. 14 de civit. Dei cap. 1: *A duobus primis parentibus admissum est tam grande peccatum, ut in deterius eo natura mutaretur humana, etiam in posteros obligatione peccati, & mortis necessitate transmissa.* Et sane scripturae verba clariora sunt, quam ut de hoc fidei capite quis possit ambigere. Genes. enim 2 habemus: *In quocumque die comederis, morte morieris*; Rom. 5: *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors*; Sap. 1: *Deus mortem non fecit*; ibid. cap. 2: *Deus creavit hominem inexterminabilem, & ad imaginem similitudinis suae fecit illum. Invidia autem Diaboli mors introivit in orbem terrarum.* Hinc merito concilia duo, nempe Milevitanum 2, & Arausicanum 2 canones ad id confirmandum vulgarunt. I quidem his verbis: *Placuit, ut quicumque dicit, primum hominem mortalem factum, ita ut sive peccaret, sive non peccaret, moreretur in corpore, hoc est, de corpore exiret, non peccati merito, sed necessitate naturae, anathema sit.* Similia legas in canone 2 concilii Arausicani laudati. Eadem demum fide constat contra Pelagianos, appetitum inferiorem in eo fuisse rationi perfecte subjectum. Hoc optime Augustinus contra ipsos evincit lib. 14. de civit. Dei cap. 12: *Natura humana duorum primorum parentum praevaricatione mutata est, ut . . . . tot, ac tantis contrariis perturbaretur affectibus, qualis in paradiso ante peccatum, licet in corpore esset animali, utique non fuit.* Similiter Prosper ad articulos sibi falso impositos distinct. 1: *Vulnere originalis peccati in Adam omnium hominum corrupta, & morbificata natura, unde omnium concupiscentiarum morbus inolevit.* Enimvero, cum ratio in Adam perfecte esset Deo subordinata, jus, fasque erat, ut pariter appetitus rationi esset omnino subjectus. Unde illud pari consecutione deduces a statu illo originalis justitiae illatam fuisse Adae ab omni etiam miseria immunitatem, contra ac senserint Pelagiani, cum id palam evincant verba illa Genes. 3: *Quia audisti vocem uxoris tuae, et comedisti de ligno, ex quo praeceperam tibi, ne comederes . . .*

in sudore vultus tui vesceris pane, donec revertaris in terram, de qua sumtus es &c. Tum etiam illa Augustini lib. 14 de civit. Dei cap. 26 Ecclesiae doctrinam sic egregie exponentis: *Vivebat sine ulla egestate, ita semper vivere habens in potestate. Cibus aderat, ne esuriret, potus, ne sitiret, lignum vitae, ne illum senecta dissolveret.* Nihil corruptionis in corpore, vel ex corpore ullas molestias ullis eius sensibus ingerebat. Nullus interius morbus, nullus ictus metuebatur exterius &c.

43 Ex his omnibus illud inferas velim, quod, si iustitia originalis a Gratia sanctificante non distinguitur, si Adam in Gratia sanctificante primitus fuit constitutus, profecto originalem etiam iustitiam obtinuit. Utrumque ex dictis liquido constat. Quod si, ut libuit pluribus Theologis, nempe Hugoni Victorino, Halensi, aliisque, eae videntur inter sese distingui, ita ut iustitia originalis consistat in quadam rectitudine, & sanitate tum corporis, tum animae, hac pariter iuxta fidei principia praeditum fuisse Adam ante lapsum palam ex dictis evincitur: huiusmodi enim sanitas, ac rectitudo inferunt ex parte animae scientiam, voluntatis rationi conformitatem, ex parte corporis immortalitatem, immunitatem a miseria, demum ex parte appetitus subiectionem concupiscentiae dominio partis superioris, haec autem numeris anterioribus Adae innocenti concessa fuisse compertum est. Ruit itaque male natum Pelagianorum commentum in eodem statu collocantium tum primos Parentes ante lapsum, tum quotquot homines ab eisdem post lapsum prodiere; quos cum morti addictos, miseriis, aerumnisque oppressos, ac ignorantiae tenebris obvolutos, tum denique pugnis appetitum inter et rationem jugiter distractos, incommodis eisdem Adamum addictum fuisse dicendum esset, quod quam aperte Catholicis dogmatis opponatur, nemo sane ibit inficias.

44 Unum tamen hic est, quod nolim omittere, nempe iuxta Estii observationem aliud esse in primo creationis instanti primos Parentes in statu Gratiae non fuisse constitutos, aliud paullo post, & consequenter ante lapsum huiusmodi dona supernaturalia eisdem fuisse collata: primum enim citra haeresim propugnarunt Halensis, D. Bonaventura, Scotus, aliique pauci; alterum vero, qui neget, haereseos notam non effugiet. Porro cum hic contra Pelagianos fidei caussam agamus, non aliquot Theolo-

gorum

scripturae testimonio conformia sunt, quae legimus Ephes. 4: *Renovamini spiritu mentis vestrae, & induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia, & sanctitate veritatis.* Censet itaque Apostolus, eo nobis esse adnitendum, ut Gratiam, in qua conditus fuerat primus homo, reparemus; haec autem alia non est, quam justificatio, quae per Gratiam perficitur. Idcirco ad haec adtendisse s. Augustinum crediderim, dum haec scriberet de spiritu, & litera cap. 27: *Hoc enim agit spiritus Gratiae, ut imaginem Dei, in qua naturaliter facti sumus, instauret in nobis; vitium quippe circa naturam est, quod utique sanat Gratia . . . . . qua Gratia in interiore homine renovato justitia scribitur, quam culpa deleverat.* Hac de re PP., qui Augustinum praecessere, nihil antiquius habuerunt, quam justitiam, & Gratiam sanctificantem Adae ante lapsum vindicare; huiusmodi sunt Irenaeus libro 1 contra haereses cap. 6, Basilius homil. 10 in Exameron, Chrysost. homil. 9 in Genesim.

Constantem hanc PP. doctrinam secuta, quae annis posterioribus coacta sunt, Concilia, Canones ediderunt, quibus Pelagianismum malis notis mulctarunt. Sic Arausicanum secundum canonem hunc in ordine 19 vulgavit: *Natura humana, etiamsi in illa integritate, in qua est condita, permaneret, nullo modo se ipsam, Creatore suo non adjuvante, servaret. Unde cum sine Gratia Dei salutem non possit custodire, quam accepit, quomodo sine Gratia Dei poterit reparare, quam perdidit?* Et Tridentinum sess. 5 decreto de peccato originali can. 10 sic statuit: *Si quis non confitetur, primum hominem Adam, cum mandatum Dei in Paradiso fuisset transgressus, statim sanctitatem, & justitiam, in qua constitutus fuerat, amisisse . . . . . anathema sit.* Et can. 2: *Si quis Adae praevaricationem sibi soli, & non eius propagini asserit nocuisse, & acceptam a Deo sanctitatem, & justitiam, quam perdidit, sibi soli, & non nobis etiam perdidisse . . . . . anathema sit.* Ex hisce autem conciliorum definitionibus constat, Adamum primitus fuisse in statu Gratiae constitutum, imo ex definitione concilii Arausicani nedum Gratia habituali, ac originali justitia fuisse praeditum, sed etiam Gratia actuali, patet ex eiusdem verbis mox recitatis; cui certe definitioni praeluserat Augustinus lib. de nat. & Gratia cap. 26 num. 29 inquiens: *Sicut enim oculus corporis etiam plenissime sanus, nisi candore lucis adjutus non potest cernere; sic homo etiam perfectissime justi-*

justificatus, nisi aeterna luce justitiae divinitus adjuvetur, recte non potest vivere.

42 Evincitur 2. Quia justitiam illam originalem, ac Gratiam Adae ante lapsum a Deo concessam semper agnovit Ecclesia, quae ipsum Deo gratum redderet acceptumque, ita ipsius nomine docente Augustino lib. 2 de peccatorum meritis, & remissione cap. 22: *Hanc ergo* (obedientiam) *priusquam violassent* (intellige primi parentes), *placebant Deo.* Porro cum ex cap. 11 ad Hebraeos *sine fide impossibile sit placere Deo*, Ecclesia etiam constanter tenuit, Adamum supernaturali mysteriorum cognitione per fidem fuisse donatum. Et sane cum Eccles. 17 habeamus, *disciplina intellectus Deum illos replevisse, creasse illis scientiam spiritus, sensu implevisse cor illorum, & mala, & bona ostendisse illis, posuisse oculum suum super corda illorum, ostendisse illis magnalia operum suorum;* iniquus profecto fuerit, qui sibi persuasum haberet, Ecclesiam credidisse, fidei mysteriorum ignorantia primos parentes laborasse, cum testetur Augustinus loco mox citato, *Deum placuisse eis*, nedum ipsos Deo; & aliunde Apostolus doceat loco etiam laudato, *accedentem ad Deum oportere credere quia est, & inquirentibus se remuneratorem esse.* Stat itaque fide certa tenendum esse, Adamum ante lapsum in justitia, & sanctitate, ceterisque donis cum ista connexis fuisse constitutum. Eadem fide tenendum est, Adamum conditum fuisse immortalem Hoc enim ideo negabant Pelagiani apud scriptorem Hypognosticon in prologo, ubi haec leguntur; *Adam*, inquiunt, *sive peccasset, sive non peccasset, moriturum fuisse*, quia mortem temporalem ex necessitate naturae esse censebant, nec propter peccatum primorum parentum ipsam in humanum genus redundasse, ideoque necessario Adamum ipsum moriturum, si non peccasset, ut refert Augustinus lib. 1 contra Julianum cap. 66, ubi ait, *mortem non vis ex peccato fecisse in omnes originaliter transitum, ne cogaris fateri, simul etiam originaliter transisse peccatum.* Porro & hoc eiurare in concilio Palaestino, esto, ficte, ac subdole pro genio suo compulsus est Pelagius, ut docet Augustinus lib. laudato cap 65: *Hoc sapis*, alloquitur Julianum, *quod Pelagius in concilio Palaestino ficto corde damnavit; Adam scilicet mortalem factum, ita ut sive peccaret, sive non peccaret, moriturus esset*, idemque Augustinus pluribus confutavit lib. 1 de pecc. meritis, & remiss. cap. 11, ubi

ait:

involvit in secunda parte scholastica ad liquidum perducendam, quodnam scilicet fuerit auxilium Gratiae collatum Angelis, & Adae innocenti, quale eidem post lapsum; haec pro nunc sufficiat responsio, quod ibi s. Augustinus non loquitur de Gratia habituali, de qua tamen nunc nobis lis est contra Pelagianos; sed de Gratia actuali, quam quidem alio sensu necessariam voluit Angelis, & Adae innocenti, alio Adae lapso. Illi enim fuit Gratia efficax necessaria, ut vires sanae ad opus salutare admoverentur; isti ut novum robur addatur, ac vires fractae efficaciter bono operi adplicentur. Hinc optime innuit Augustinus, voluisse primo supremum Numen hominem libero suo arbitrio permittere, tum propriae Gratiae vim demonstrare. Haec porro lucem exspectant ex dicendis in quaestione de Gratia primi hominis in parte 2. Ad 3 dico, ipsum gerram esse, gerram, inquam, eamque vanissimam: ita enim Adam in Gratia condidit Deus, ut tamen in Gratia ipsum non confirmaverit, nec impeccabilem reddiderit: nam cum libero arbitrio ad bonum, vel malum indifferenti creatus est, proinde defectibilis. Ad 4, concesso antecedenti, & prima consequentia, nego secundam. Nam quando Eva serpenti credidit, jam intentione peccatum electionis commiserat, aiente s. Augustino lib. 2 de Genes. ad literam cap. 30: *Mulier verbum serpentis non crederet, nisi jam inesset menti eius amor propriae potestatis, & quaedam de se superba praesumtio.* Ob id Gen. 3 dicitur: *Vidit mulier quod esset bonum*; igitur jam ipsum cum delectatione consideraverat, qua factum est, ut facilem se praebuerit verbis illis *Scietis bonum* &c. Ad 5, concesso antecedenti nego consequentiam; responsio autem haec est, quam nobis exhibet Augustinus lib. 1 de peccat. meritis cap. 5, ubi loquens de Adami corpore sic ait: *Antequam immutaretur in illam incorruptionem, quae in sanctorum resurrectione promittitur, poterat esse mortale, quamvis non moriturum . . . . sed ipsum mortale non est factum mortuum, nisi propter peccatum.* Duplicem igitur distinguit Augustinus mortalitatem, primam, qua quis mori potest; secundam, qua quis debet mori. Prima conveniebat Adae innocenti; secunda Adae lapso. Primam habebat eodem modo, quo ad peccandum potentiam habebat; alteram vero habuit eo modo, quo nobis ipsa convenit, nempe ex necessitate, quatenus non possumus dumtaxat mori, sed imo ne-

ceſſario debemus. Cum prima tamen mortalitate optime ipſius immortalitas cohaerebat, ut ſcite, & appoſite oſtendit idem Auguſtiuus lib. 6 de Geneſi ad lit. cap. 25 ſic aiens: *Illud quippe ante peccatum & mortale ſecundum aliam, & immortale ſecundum aliam cauſſam dici poterat; ideſt mortale, quia poterat mori, immortale, quia poterat non mori. Aliud enim eſt non poſſe mori, ſicuti quaſdam naturas immortales creavit Deus, aliud eſt autem poſſe non mori; ſecundum quem modum primus creatus eſt homo immortalis, quod ei praeſtabatur de ligno vitae, non de conſtitutione naturae . . . . . Mortalis ergo erat conſtitutione corporis animalis, immortalis autem beneficio corporis.*

Quaeritur hic, num originalis juſtitia primo homini fuerit naturalis, vel ſupernaturalis.

46 Naturalis nomine hic intelligimus id, quod vel naturae pars eſt, vel illi debitum ſecundum ipſius *exigentiam*, ita ut, ſi ipſum deſit, aliqua eiuſdem proprietas deſiderari cenſeatur, unde eiuſdem natura imperfecta concipiatur, vel demum quod Deus ita debet creaturae, ut citra injuſtitiam ei nequeat denegare. Utroque ſenſu naturalem dixit primo parenti juſtitiam originalem Lutherus comment. in cap. 3 Geneſ.: poſtremo Calvinus lib. 1 inſtit. cap. 15, cui calculum ſuum adjecit Michaël Baius in variis propoſitionibus a Pio V, Gregorio XIII, & Urbano VIII proſcriptis, quarum 26 ſic erat concepta: *Integritas primae creationis non fuit indebita naturae humanae exſaltatio, ſed naturalis eius conditio*; 78: *Immortalitas primi hominis non erat Gratiae beneficium, ſed naturalis conditio*; & 79: *Falſa eſt Doctorum ſententia, primum hominem potuiſſe a Deo creari, & inſtitui ſine juſtitia originali.* Baianum ſenſum adoptarunt nonnulli eiuſdem Baii ſectatores.

Catholicorum autem ſententia eſt, originalem juſtitiam, necnon immortalitatem primi hominis eidem fuiſſe ſupernaturalem, non naturalem, quod etiam de reliquis donis, quae originalis juſtitiae appendices ſunt & conſectaria, intelligas velim. Nam primo originalis juſtitia Gratiam habitualem involvit; haec autem ſi debetur, Gratia non eſt ex Apoſt. Rom. 1. Idipſum ſentiendum eſt de immortalitate: ut enim habemus Eccl. 40: *Omnia, quae de terra ſunt, in terram convertuntur*: ergo cum Adam pro nativo principio terram habuerit, ipſius natura ſibi

per-

gorum sententiam propugnemus, visum est nobis abstinere a *primi creationis instantis* vocabulis, & solum adserere statum Gratiae primitus, idest ante lapsum Adae vindicare, quod certum de fide est. Num autem in ipso creationis instanti id primis parentibus obtigerit, & sentio, & adfirmo, ut conclusionem Theologicam optime ex argumentis laudatis deductam, sed illud ut fidei dogma adversus Pelagianos demonstrare consilium mihi non fuit; id enim mea juxta praesens institutum nihil referebat.

Responsiones ad objecta.

45 Opponitur a Pelagianis multiplex argumentum in caussae suae defensionem. I prima ad Cor. cap. 15 legitur: *factus est primus Adam in animam viventem, novissimus autem in spiritum vivificantem*: hinc ita ratiocinantur. Ex Apostolo Adamus conditus est sola informatus vita animae, Christus spiritu, seu vita Gratiae, si ita est, ante lapsum Adam in statu Gratiae non fuit constitutus, cum sit privilegium solius Christi, ergo &c. II ex testimoniis, quae Catholici proferunt, videtur inferri, statum illum Gratiae primo creationis instanti Adae fuisse ab optimo Numine concessum; atqui id dici nequit: ergo &c. Probo minorem ex triplici Augustini testimonio: lib. enim de civit. Dei cap. 24 inquit: *primus homo de terra terrenus in animam viventem factus est, non in spiritum vivificantem. Quod ei per obedientiae meritum servabatur*; lib. 2 de Genesi contra Manichaeos cap. 8 inquit: *Nondum spiritualem hominem debemus intelligere, qui factus est in animam viventem, sed adhuc animalem: tunc enim spiritualis effectus est, cum in Paradiso, hoc est in beata vita constitutus, praeceptum etiam perfectionis accepit, ut verbo Dei consummaretur*; demum lib. de corrept. & Gratia cap. 10 n. 27: *Deus sic ordinavit Angelorum, & hominum vitam, ut in ea prius ostenderet, quid posset eorum liberum arbitrium.*
III qui fieri potest, ut hominem intelligamus in ipso creationis exordio tot Gratiae donis insignitum, vix tamen ab ortu peccasse? IV Adam seductus est ab Eva, cui adserenti utrosque in Deos evasuros esse turpiter credidit: Eva seducta est ante ipsum, serpentem loquelae capacem credidit, eiusque dictis facilem fidem adhibuit: utrique ergo in errorem impegerunt. Deerat igitur in utroque

scientia. V Adam mortuus est, igitur immortalem non fuisse conditum hoc satis probat.

Resp. ad 1, Apostolum ibi de corporum resurrectione disserere, illudque inter nos mortales, & Christum post resurrectionem discrimen ponere, quod corpus tum hominum, tum Adae cibo, potuque indiget ad conservationem, ubi corpus Christi post resurrectionem immortale, & spirituale, nihil horum opus habet. Reponi etiam potest, hoc inter Adam, & Christum discrimen ab Apostolo adferri, quod Christus Dominus in primo suae conceptionis instanti sanctitatem habuit substantialem ob hyposthaticam unionem nuspiam amittendam, ubi Adam sola fuit praeditus Gratia sanctificante, a qua posset excidere, uti excidisse probat fatalis ipsius lapsus. Ad 2 primo, data, aut permissa mai. & min., permittendo etiam conseq., inde solum posset inferri, Adamum in primo instanti creationis iis non fuisse praeditum Gratiae donis; ast nequit inferri, *ergo Adam non habuit Gratiam ante lapsum*, quod hic obtendunt Catholici contra Pelagianos. II, concess. mai. neg. min. ad eius probationem desumtam ex testimoniis August., respondeo, ad I quidem, Augustinum ibi non agere de Gratia sanctificante, sed de dotibus corporis immortalis, ac gloriosi, quas certe non habuit Adam in sua prima conditione, cum de facto post lapsum mortuus sit, sed de immortalitate illa, quam merito obedientiae obtinuisset, ubi Christus post resurrectionem omnes habuit corporis gloriosi dotes, ac praerogativas. Ad alterum testimonium repono I, non inde colligi, Adam ante lapsum fuisse Gratia destitutum: potius enim infertur oppositum, sed ad summum dumtaxat in Paradiso eidem Gratiae dona fuisse collata. II dicendum, ibi August. esse mentem, quod extra Paradisum non omnes illas habuerit corporis, animique delicias, quas obtinuit statim ac fuit in Paradiso collocatus, quod tamen non evincit, in creatione ipsius Gratiae dona eidem non fuisse collata. Sic Deipara Gratiam habuit uberrimam, imo Sancti omnes sanctificantur a Gratia habituali, quin tamen iis nunc deliciis affluant, quibus in coelis post mortem fruentur. Quod si haec interpretatio minus arrideat, excipe hanc aliam; hoc unum consilium esse ibi August., ostendendi nimirum, Gratiam, in qua creatus est Adam, fuisse ipsius naturae indebitam, ac proinde sine illa creari potuisse, uti potuit extra Paradisum condi. Ad ultimum testimonium, quia difficultatem

in-

mum est, *dabit & quod secundum est.* His autem Patrum testimoniis recitatis, sic rem claudit Augustinus: *Isti tales, tantique oratores dicentes non esse aliquid, de quo, tamquam de nostro, quod nobis Deus non dederit, gloriemur; nec ipsum cor nostrum, & cogitationes nostras in nostra esse potestate, & totum dantes Deo, atque ab ipso nos accipere confitentes, ut permansuri convertamur ad eum; ut id, quod bonum est, nobis quoque videatur bonum, & velimus illud . . . : haec utique Gratiae Dei tribuunt, Dei munera agnoscunt, ab ipso nobis, non a nobis esse testantur.* Eadem habent Patres Augustino posteriores, ut Fulgentius *lib.* de Incarnat. & Grat. *cap.* 18; Prosper contra collatorem *cap.* 36; s. Leo *epist.* ad Nicetam Aquileiensem, Gregorius Magnus, Bernardus, aliique. Porro dum solos hic laudo Latinos Patres (nisi unum excipias Gregorium Nazianzenum superius laudatum) cave, ne cum Jansenio sentias, Graecae Ecclesiae doctores crassissima quoad haec ignorantia laborasse: contrarium enim constat legenti Justinum martyrem *apol.* 2, Clementem Alexand. *lib.* 8 stromat., Basilium *in psal.* 115, aliosque. Unde illud merito opponebat Augustinus Juliano Pelagiano, Graecos nimirum inepte prorsus in sui erroris praesidium adduci, cum summa etiam in hac re semper fuerit utriusque Ecclesiae consensio: *Non est* (ita s. Doctor contra Julianum cap. 4 n. 14) *cur provoces ad Orientis Antistites; quia & ipsi utique Christiani sunt, & utriusque partis terrarum fides ista una est, quia & fides illa Christiana est.*

50 Evincitur 3 ex definitionibus conciliorum. Sic concilium Diospolitanum hunc Pelagii articulum damnavit: *Gratia Dei, atque adjutorium non ad singulos actus datur, sed de libero est arbitrio, vel in lege, atque doctrina.* Idem praestitit concilium Milevitanum II, tum etiam Arausicanum II can. 7, in quo haec leguntur: *Si quis per naturae vigorem Evangelicae praedicationi consentiri posse confirmat, absque illuminatione, & inspiratione* (notetur τῷ *inspiratione.*) *Spiritus sancti . . . . haeretico fallitur spiritu.* Tum denique Tridentinum sess. 6, a quo latus est hic canon in ordine 3: *Si quis dixerit, hominem sine s. Spiritus inspiratione, atque eius auxilio credere, sperare posse &c. sicut oportet, ut ei justificationis Gratia conferatur, anathema sit.*

51 Evincitur 4 rationibus nonnullis potissimum ex Augustino deductis. I orat Ecclesia supremum Numen, ut

ut fidei donum nobis largiatur, atque ob illud concessum gratias exhibet illius largitori Deo; si autem id esset in nostra potestate, si pares ad fidem essent naturae vires, preces istae ab Ecclesia non funderentur, cum oratio certum sit indigentiae argumentum. Ita August. *lib.* de dono perseverantiae *cap.* 23 *n.* 63, *&* *epist.* 177 *alias* 95. II Fidei donum promittitur a Deo passim in sacris literis: ergo id argumento est, eam esse a Deo, non a nobis, ita s. Doctor *lib.* de Praedestinat. Sanctorum *cap.* 10 *n.* 19. III aliquibus ex Dei misericordia huiusmodi fides conceditur, aliis justo eiusdem judicio denegatur; non itaque a nobis est, sed a Deo, ita idem August. *lib.* de Praedestinat. Sanctorum *cap.* 6, & 8. IV si fides, quae primum est, ac praecipuum in nostrae salutis negotio fundamentum, a nobis est, non a Deo, profecto ipsa etiam salus opus erit creaturae, non vero Numinis peculiare beneficium. Ita argumentum hoc fuse prosequitur August. *lib.* de Praedestinat. Sanctorum *cap.* 2. Demum huc facit, quod ad id impar est naturae hominis, ac supra eius vires constitutum, quod naturale non est, sed supernaturale; porro fidei objecta sunt supernaturalia, ut omnes norunt: haec igitur assensu salutari non credent homines, nisi Gratia supernaturali adjuventur.

Responsiones ad objecta.

52 Opponitur 1. Legimus passim in sacris literis, quod, si crediderimus, salvi erimus; primum itaque exigitur, alterum offertur: ergo istud est Gratiae donum, fides neutiquam, sed in nostra posita est potestate. Item legimus ibidem, *hominis esse praeparare animam, & Domini gubernare linguam; cor hominis disponere viam suam, Domini autem esse dirigere gressus eius*, ita Proverb. 16. Atqui haec praeparatio, dispositio ista habetur per fidem: ergo &c. Demum id etiam insinuant verba illa Lucae 1: *Petite, & dabitur vobis; quaerite, & invenietis; pulsate, & aperietur vobis*; Rom. 7: *Velle adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio.*

Resp ad 1, conc. anteced., & 1 parte consequentiae, negando 2. In nostra enim id est potestate, sed cum Gratia, non sine Gratia, ita respondet Augustinus lib. de Praedest. Sanctorum cap. 11, ubi ait: *Utrumque est in potestate Dei, &, quod jubet, &, quod offert. Rogatur enim, ut*
det

permissa tandem in terram fuisset conversa: naturae igitur constitutione mortalis erat; quam igitur in eo statu habuit immortalitatem, hanc habuit ex privilegio Creatoris, qui, humorum temperie eidem concessa, vitae ligno constituto ad vires jugiter reparandas, necnon externa pericula amovendo immortalitatem primo homini adhuc innocenti concessit, quam eius interna naturae principia non exigebant. Hoc pariter ex eo evincunt Catholici, quod, ut infra ostendemus, status naturae purae est possibilis; quae igitur Deus dona concessit Adae innocenti num. superiori recitata, non erant ipsi naturalia, sed supernaturalia.

CONTROVERSIA II

Continens thesim Pelagianorum, & antithesim Catholicorum de Gratia fidei necessaria ad mysteria revelata assensu supernaturali, atque aeternam salutem promovente credenda.

Pelagianis id fuisse solemne, ac vulgatum, fidem ad salutem necessariam citra ullum Gratiae auxilium haberi posse, satis, ut arbitror, constat ex iis, quae diximus, dum Pelagii errores recitavimus. Nunc, quae fuerit quoad id Catholicorum sententia, ostendemus.

PROPOSITIO.

Dogma Catholicum est, Gratiam fidei interiorem requiri, ut mysteria revelata assensu supernaturali, & salutari credamus.

48 Evincitur 1 ex scripturis, quae id Catholicis aperte declarant, fidem esse Dei donum, per Dei Gratiam nos esse fideles, nihil nos posse cogitare ad salutem conducens ex nobis, sed ad id adjutorium Numinis requiri. Sic Matth. 16 cum s. Petrus hanc fidei suae confessionem pronunciasset, *Tu es Christus filius Dei vivi*, statim haec a Christo audivit: *Beatus es Simon Bar-Jona, quia caro, & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in caelis est*; Joan. 6: *Hoc est opus Dei, ut credatis in eum, quem*

misit

misit ille . . . . . Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum . . . . . Omnis, qui audivit a Patre, & didicit, venit ad me; & cap. 12: *Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Isaias: Excaecavit oculos eorum, & induravit cor eorum.* Mitto alia quamplurima.

Nec est quod quis intemperanter objiciat, his scripturarum testimoniis solam indigitari Gratiam exteriorem, nimirum revelationem, aut praedicationem, non Gratiam interiorem ad pium credulitatis affectum excitantem: nam eam memorant scripturae, quae internos mentis oculos adaperiat, quae a nobis auferat cor lapideum, cor carneum impertiendo; quae hominem juvet interius ad credendum, dum auribus corporis personant voces praedicantium: haec porro Gratia interna est; stat igitur invictum huiusce dogmatis argumentum ex scripturis petitum. Sic legimus Ephes. 1: *Non cesso gratias agens pro vobis memoriam vestri faciens in orationibus meis, ut Deus Domini nostri Jesu Christi pater gloriae det vobis spiritum sapientiae, & revelationis in agnitione eius, illuminans oculos cordis vestri, ut sciatis, quae sit spes vocationis eius*; Lucae 24: *Tunc aperuit illis sensum, ut intelligerent scripturas*; Isaiae 5 innuitur frustra divinum verbum praedicari, & signa conspicienda proponi, *nisi Deus det oculos ad videndum, & cor ad intelligendum*; tum act. 16 declaratur, *a Deo cor Lydiae apertum fuisse, ut iis, quae dicebantur a Paulo, attenderet*; demum decretorium est, quod habemus 1 Cor. 4: *Quid habes, quod non accepisti? Quid gloriaris, quasi non acceperis?*

49 Evincitur 2 ex constanti Ecclesiae traditione, cuius testes, & vades sunt tum Patres illi, quos ipse laudavit Augustinus lib. *de dono persever.* cap. 19; tum qui ipsum sunt postea secuti. Inter primos numerantur Cyprianus, cuius sunt haec verba lib. 3 ad Quirinum cap. 4: *In nullo gloriandum, quando nostrum nihil sit*; Ambrosius ad illa verba Lucae *visum est & mihi*, sic ait: *Qui Christum sequitur, potest interrogatus, cur esse voluerit Christianus, respondere, visum est & mihi. Quod cum dicit, non negat Deo visum; a Deo enim praeparatur voluntas hominum: ut enim Deus honorificetur a sancto, Dei Gratia est*; Gregor. Nazianz. orat. 44 in Pentecosten: *Unius Deitatis, quaeso vos, confitemini Trinitatem: si vero aliter vultis, dicite unius esse naturae, & Deus vocem dari vobis a sancto Spiritu deprecabitur . . . . . dabit enim, certus sum, qui dedit quod primum*

tem ita complet, ut libertatem humanam fartam tectamque servet, ut optime advertit Augustinus lib. de spirit. & liter. cap. 30 n. 52, ubi inquit: *Sicut lex per fidem, sic liberum arbitrium per Gratiam non evacuatur, sed stabilitur . . . . quia Gratia sanat voluntatem, qua justitia libere diligatur*; & cap. 31: *Cum potestas datur, non necessitas utique imponitur.* Ast, quomodo salvetur libertas cum hac adjutorii supernaturalis necessitate, fatemur & nos, facile explicari non posse, quando id difficile credidit ipse Augustinus. Esto tamen, difficilis sit haec concordiae intelligentia, plures a Theologis invecti sunt modi ipsam explicandi, quos in secunda parte expendemus, postquam systema Gratiae juxta s. Thomam bona in luce a nobis fuerit collocatum.

Ad 2 neg. prim. partem assumti: ut enim semel, iterumque diximus in tractatu de Praedestinatione, potissimum ubi de Praedestinatione gratuita disseruimus, iniquitas nulla est apud Deum; quod itaque hunc eligat Deus, illum non eligat ad fidei donum, id arguit, inscrutabilia esse divina judicia, non peculiarem personarum acceptionem apud Deum. Quare clamat Apostolus: *O inscrutabilia judicia ei, quam investigabiles sunt viae eius!* Quod quidem tamquam extremam, sed tutissimam anchoram consulto etiam arripit August. *lib.* de spirit. & lit. *cap.* 33 *n.* 55, & alibi passim. II autem pars etiam negatur, quia cum huiusmodi voluntate generali de omnium salute stat etiam quod Deus donum fidei aliquibus neget ob *praecedentia peccata*, quae potuissent vitare; nec enim deerat Numinis auxilium, quo possent ab eisdem declinare. Eadem facilitate III partis assumtum negamus: qui enim mysteriis non credunt, inexcusabiles sunt, ut ait Augustinus *epist.* 194 *alias* 105 ad Xystum, vel reatu originis, vel additamento propriae voluntatis *sive qui novit, sive qui ignorat.* Haec porro omnia curis secundis in expositione systematis Thomistarum in altera parte expendemus.

Ad ultimum respondeo cum cardin. Bellarmino de Gratia & liber. arbitrio *lib.* 3 *cap.* 6 distinguendo prim. partem difficultatis. Plura fidei nostrae mysteria credunt haeretici sine Gratia, credunt, inquam, fide naturali. Conc. Supernaturali. Nego suppositum. Ad fidem supernaturalem, atque ad credendum, ut loquitur Trident. synodus, *sicut oportet ad salutem*, requiritur certitudo tum objectiva, tum subjectiva, tum etiam pius quidam in Deum affectus;

porro

porro in haeretico desunt haec omnia. Primum quidem eo quod, ut fides sit certa ex parte objecti, debent caussa revelans articulos, & caussa eosdem proponens esse infallibiles. Jam vero haeretici putant se credere, quia Deus falli, ac fallere nescius revelavit; sed revera non ob id credunt, cum potius credant, quia temere id credere volunt, quod credunt: negant enim Ecclesiae judicium infallibile, cuius sit proponere mysteria credenda, ac proinde, quae sint revelata. Ubi autem habeatur fallibilitas ex parte proprii judicii, quae cuique privato judicio omnino convenit, jam nequit haberi certitudo infallibilis revelationis; hac autem deficiente, deest certitudo objectiva: ubi haec desideretur, deest pariter certitudo subjectiva. Haeretici enim serio inter sese suum credendi modum meditantes, non ii erunt, qui nihil possint dubitare, qui mori potius malint, quam fidei articulos eiurare. Si vero dotibus hisce destituta sit ipsorum fides, qualem affectum pium vere talem in eorum fide inveniemus, qui fidei salutaris initium est, ac singularis praerogativa, cum ille sit a Gratia ex dicendis contra Semipelagianos, & Gratia non detur ad fidem falsam? Ad alteram partem difficultatis concedit antecedens. cardin. Bellarminus, & negat consequentiam. Disparitatem assignat, quia quod de falso dicitur, dici nequit de vero, uti quod de malo dicimus, dici nequit de bono; sic, ait ipse, potest homo ex toto animo Deum blasphemare, non potest ex toto corde Deum sine Gratia laudare; verum & ipsius paritas, &, qui eam adoptat Tournely, Pelagianos directe non petunt: quare eam sic ad intentum accommodari posse crediderim. Pelagiani admiserunt Gratiam requiri ad facile agendum, ut liquet ex num. 9: hoc posito, sic arguo. Potest homo facile Deum blasphemare: ergo etiam facile sine Gratia Deum, ut par est, laudare. Falsa est per Pelagianos illatio. Ita etiam in re nostra, potest haereticus mysteria nostris contraria credere sine Gratia: ergo mysteria nostra poterit etiam catholicus credere sine Gratia. Falsum nobis est consectarium, quia alia est ratio falsi, alia veri.

Urgent nihilosecius disputatores. Verum est objectum intellectus, objectum intellectus credi potest solis naturae viribus: ergo. Verum credi potest solis naturae viribus; atqui fidei mysteria continentur in objecto intellectus: ergo &c. Resp., conc. mai. dist. minorem. Objectum ipsi propor-

tio-

det, quod jubet: rogant credentes, ut sibi augeatur fides: rogant pro non credentibus, ut eis donetur fides: & in suis incrementis, & in suis initiis Dei donum est fides. Sic autem dicitur, si credideris, salvus eris: quemadmodum dicitur, si spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis. Nam & hic ex hisce duobus unum exigitur, & alterum offertur .... Num igitur placet, ut facta carnis mortificare non donum Dei esse dicamus, neque id donum Dei esse fateamur, quoniam exigi audimus a nobis praemio vitae, si hoc fecerimus, oblato? Absit .... Pelagianorum est error iste damnabilis .... Sicut ergo quamvis Dei donum sit facta carnis mortificare, exigitur tamen a nobis, proposito praemio vitae: ita donum Dei est & fides, quamvis & ipsa .... proposito praemio, exigatur a nobis. Ideo enim haec & nobis praecipiuntur, & dona Dei esse monstrantur, ut intelligatur, quod & nos ea facimus, & Deus facit, ut illa faciamus, sicut per prophetam Ezechielem dicit: Ego faciam, ut faciatis. Ad 2 dist. maior. Hominis est praeparare animam, disponere viam suam sine Gratia. Nego mai. Cum Gratiae adjutorio. Conc. mai, & conc. pariter min. neg. conseq. Responsionem hanc eruo ex Scripturis, ubi passim haec nobis recurrunt: *Converte nos, Deus; praeparatur voluntas a Domino, non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei; Deus est, qui operatur in vobis & velle, & perficere pro bona voluntate*, & similia. Ad 3 idem adhibeto responsum: pulsatio enim illa, illa petitio habetur per Gratiam, aiente Apost. Rom. 8: *Nam quid oremus, sicut oportet, nescimus, sed ipse postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*; & 1 Cor. 12: *Nemo potest dicere, Dominus Jesus, nisi in Spiritu sancto.* Ad ultimum respondeo, ibi non excludi ab Apostolo Gratiae auxilium, sed sensum ipsius esse, quod eum, ut ipse loquitur Rom. 7: *Non quod volebat bonum ipse faceret .... aliamque videret legem in membris suis repugnantem legi mentis suae, eum captivantem in lege peccati*, quod bonum volebat Gratiae subsidio, quo *Deus in omnibus operatur velle, & perficere pro bona voluntate*, ut scribit Philipp. 2, illud, qua optabat facilitate, *implere, & perficere* non poterat.

53 Opponitur 2. Fides, ut sit meritoria, debet a nostro pendere Libertatis arbitrio, quod fuse probant Theologi in tractatu de actibus humanis: atqui semel admissa Gratiae necessitate ad actum fidei salutarem eliciendum, jam tota corruit libertatis praerogativa: si enim ad id in-

di-

diget voluntas Gratiae auxilio a solo pendente Numinis beneplacito, jam illud ab humano non pendet arbitrio: ergo &c. Ulterius. Eadem Gratiae necessitate admissa ad fidem supernaturalem, jam Deus traduci poterit, ut personarum acceptor, qui fidem aliquibus conferat, aliis neget; generalis eius voluntas de omnium salute erit explodenda, donum quippe fidei non omnibus confert; falsum denique erit, quod passim clamant Scripturae, inexcusabiles esse, qui divinis mysteriis non credunt; ab ipsis enim non pendet, quod Gratia fidei sint instructi, ut credant, sicut oportet. Demum, quamquam non suppeterent alia, haec Gratiae necessitas hoc uno excludi videtur, quod haeretici plura fidei nostrae mysteria credunt sine Gratia, cum ipsorum fides sit errori conjuncta, nec ad fidem erroneam Gratia requiratur; iidem haeretici articulos falsos, in quibus sunt a Catholicorum sensu discordes, eadem credunt firmitate, ac a nobis creduntur articuli oppositi; ergo ut illi sine Gratia, ita & nos sine illa credere posse dicendum est.

Resp., haec omnia cavillationes esse a Pelagianis confictas. Primi enim argumenti falsa est minor: nam etsi difficile sit concordiam libertatis cum Gratiae necessitate explicare, id ipso testante Augustino lib. 2 contra literas Petiliani cap. 84 n. 186, ubi inquit: *Si tibi proponam quaestionem, quomodo Deus Pater adtrahit ad Filium homines, quos in libero dimisit arbitrio, fortassis eam difficultatem soluturus es. Quomodo enim adtrahit, si dimittit, ut quis, quod voluerit, eligat; & tamen utrumque verum est, sed intellectu hoc percipere pauci valent*; tum lib. de Gratia Christi cap. 47 n. 52: *Ista quaestio, ubi de arbitrio voluntatis, & Dei Gratia disputatur, ita est ad discernendum difficilis, ut, quando defenditur liberum arbitrium, negari Dei Gratia videatur; quando autem asseritur Dei Gratia, liberum arbitrium auferri.* Hoc, inquam, etsi demus libenter, captu esse difficile, non ideo tamen est falsum, quia non omnibus obvium; sic nemo Trinitatis mysterium liquidum per se se, ac cognitu pervium adfirmabit, an ob id tamquam anile commentum ipsum reiiciet? Sic in re nostra Christi Gratia nos liberat, ut passim clamat Apostolus. Gratia haec, quae nos liberat, nos liberos reddit, nostrumque auget arbitrium, ut liquet ex illo Joan. 8: *Si vos filius liberaverit, vere liberi eritis.* Gratia itaque requiritur, sed requiritur ad complendam potentiam; hanc au-

tem

natum. Conc. min. Excedens naturalem ipsius facultatem. Nego min. & consequentiam. Sunt enim veritates supernaturales ordinis superioris, quas intellectus propriis viribus relictus nequit attingere.

COROLLARIA.

54 Ex his fluunt sponte sua nonnulla consectaria. I est, quod ut veritates supernaturales *tum ex parte objecti*, *tum ex parte motivi*, sive tantum ex parte motivi, assensu salutari credantur, requiritur interior Christi Gratia. Constat hoc ex *can.* 6, & 7 Arausicani II; tum etiam ex canone 3 session. 6 concilii Trident.; tum demum ex August., qui, cum aliquando falsa illa persuasione laborasset, quod sola ad credendum veritatis praedicatio sufficeret, eamque solam Dei esse donum, praedicationi autem consensum uni humanae voluntati esse tribuendum, ut ipse fatetur *lib.* de Praedestinatione Sanctorum *cap.* 3, errorem deposuit ob monitum illud Cypriani lib. 3 testimoniorum ad Quirinum: *In nullo gloriandum, quando nostrum nihil sit*; necnon ex illo Apost. 1 Cor. 4: *Quid autem habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* II est, quod ut quis credat, sicut oportet, requiritur I, ut impleatur praeceptum actus fidei eliciendi; II, ut is actus ad salutem conducat; III, ut eliciatur ex pio in Deum affectu; IV, ut ea sit elicitus firmitate, qua quis, data optione, potius vitae dispendium velit, quam fidei jacturam. Porro ad haec omnia Gratia requiritur. Ad I quidem, quia actus supernaturalis excedit naturae vires; actus igitur fidei supernaturalis nobis imperatus exigit Gratiae adjutorium. Ad II idem donum Gratiae exigi diserte definit Trident. *sess.* 6 *can.* 3, quem videris. Id pariter verificatur de III, cum pius ille affectus sit bonae voluntatis initium, hoc autem a Deo esse palam demonstrant verba illa Philipp. 2: *Deus est, qui operatur in nobis velle, & perficere pro bona voluntate.* Probat id demum de IV idem Apost. in eadem epist. cap. 1, inquiens: *Vobis donatum est pro Christo, non solum, ut credatis in eum, verum etiam patiamini pro eo.*

CONTROVERSIA III

Continens errorem Pelagianorum, & Ecclesiae catholicae dogma de Gratia requisita ad dilectionem supernaturalem Dei super omnia.

55 Non hic agitur controversia de dilectione Dei naturali: de hac enim disputandi locus erit in parte II; sed tantum de supernaturali, qua nempe diligitur Deus non ut auctor naturae, sed Gratiae, & gloriae, ac proinde ut objectum intra ordinem Gratiae spectatum, ut universae nostrae justitiae, ac beatitudinis fons est, & origo, qua quidem dilectione filialem aliquam cum supremo Numine amicitiam inimus, & fovemus, ipsum ita super omnia diligentes, ut eum ceteris bonis praeponamus. Dilectio autem haec alia est affectiva, effectiva altera. Prima est actus ille voluntatis, quo maiori in Deum ipsa fertur ardore, quam in ullam rem creatam. Secunda est, qua nedum affectu laudato fertur in Deum humana voluntas, sed reipsa omnia servat eiusdem mandata. Jam vero Pelagiani divinae Gratiae necessitatem ad fidei actus explodentes, eam pariter negarunt quoad actus caritatis, idest dilectionis Dei supernaturalis super omnia, quae quidquam posset ad salutem aeternam conferre. Nunc quae fuerit Ecclesiae mens, paucis exponam.

PROPOSITIO.

Catholicorum semper sententia fuit, amorem illum supremi Numinis, quo nos, & omnia eidem subjicimus, quo ipsum tamquam objectum supernaturale fidei lumine cognitum super omnia diligimus, verum esse Dei donum, & Spiritus sancti Gratiam.

56 Evincitur I ex Scripturis, quas Ecclesia catholica semper ad hoc fidei dogma propugnandum adoptavit Rom. 5: *Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis*; Ephes. 6: *Pax fratribus, & caritas cum fide a Deo Patre*; Galat. 5: *Fructus Spiritus est caritas*; 1 Joan. 4: *Caritas ex Deo est*; atqui di-

dilectio ista supernaturalis Dei super omnia; ad salutem aeternam conducens, est caritas: ergo &c.

57 Evincitur 2 ex Augustino, quem contra Pelagianos Ecclesiae sensum opposuisse, sensum, inquam, ex laudatis Scripturae locis deductum omnibus compertum est. *Unde est*, ita inquit s. Doctor lib. de Gratia, & libero arbitrio cap. 18, *unde est hominibus caritas Dei, & Proximi, nisi ex ipso Deo? Nam si non est ex Deo, sed ex hominibus, vicerunt Pelagiani; si autem ex Deo, vicimus Pelagianos. Sedeat ergo inter nos judex Apost. Joannes, & dicat nobis:* Carissimi diligamus invicem. *In his verbis Joannis, cum se illi extollere coeperint, & dixerint, ut quid nobis hoc praecipitur, nisi quia ex nobis habemus, ut invicem diligamus, sequitur continuo idem Joannes confundens eos, ac dicens, quia dilectio ex Deo est: non itaque ex nobis, sed ex Deo est. Cur ergo dictum est, diligamus invicem, quia dilectio ex Deo est, nisi quia praecepto admonitum est liberum arbitrium, ut quaereret Dei donum.* Jam vero sic arguitur. Agit hic August. de caritate supernaturali, qua proximum diligamus ex motivo supernaturali Dei super omnia dilecti; caritas haec erga Proximum ex laudato motivo Dei supernaturaliter dilecti super omnia nequit haberi sine Gratia: ergo a fortiori haberi non poterit dilectio caritatis erga Deum: qui enim rei minori impar est, impar etiam est graviori. Pergit s. Doctor lib. 2 ad Bonifacium cap. 9 haec scribens: *Cupiditas boni non est, nisi caritas, de qua Joannes Apost. sine ambiguitate loquitur, caritas ex Deo est*; tum lib. 5 contra Julianum cap. 3: *Amor Dei, quo pervenitur ad Deum, non est, nisi a Deo Patre per Jesum Christum cum Spiritu sancto.*

58 Evincitur 3 ex conciliis, ac pontificiis decretis, quae Ecclesiae mentem hanc unam semper fuisse liquido demonstrant. Sic Carthaginiense III can. 4 satis aperte significat, caritatem divini esse operis fructum, his verbis: *Cum dicat Apost. scientia inflat, caritas vero aedificat, valde impium est, ut credamus ad eam, quae inflat, nos habere Christi Gratiam, ad eam, quae aedificat, non habere, cum utrumque sit Dei donum & scire quid agere debeamus, & diligere ut faciamus, ut, aedificante caritate, scientia non possit inflare; sicut autem de Deo scriptum est;* psalm. 63: *Qui docet hominem scientiam, ita etiam scriptum est, caritas ex Deo est.* Consentiunt praesules Africani in Sardinia exsules in epist. synodica praefixa lib. Fulgentii de Praedest.

sic mentes: *In homine agit Gratia divinitus data, ut animus, dono fidei, caritatisque percepto, & sermonem bonum proferat, & studio bonae operationis insistat.* In idem recidit canon ultimus Arausicani II: *Prorsus donum Dei est diligere Deum: diffundit enim caritatem in cordibus nostris Spiritus Patris, ac Filii, quem cum Patre amamus, ac Filio*; & paullo post: *per peccatum primi hominis ita inclinatum, & attenuatum est liberum arbitrium, ut nullus diligere Deum, sicut oportet, possit, nisi Gratia eum, & misericordia praeveniat*; tum Caelestinus papa epist. ad Episcopos Galliarum cap. 9, ita scribens: *Legem credendi lex statuit supplicandi. Aliqui sanctarum legum praesules apud divinam clementiam, tota secum Ecclesia ingemiscente, postulant, ut schismatici spiritum redivivae caritatis accipiant.* Atque ob id Ecclesia catholica nihil habet antiquius, ac magis solemne, nisi ut in filiis suis caritatis donum a supremo Numine imploret. Sit instar omnium suarum precum oratio illa, quam adhibet Dominica V post Pentecosten: *Deus, qui diligentibus te bona invisibilia praeparasti, infunde cordibus nostris tui amoris affectum, ut te in omnibus, & super omnia diligentes* &c. Vide eiusdem generis preces in Dominica III post octavam Paschae, Dominica infra octavam Corporis Christi, VI, & XIII post Pentecosten. His omnibus, si definitionem addas concil. Trid. in *can.* 3 *sess.* 6, habebis continuam Ecclesiae doctrinam a prioribus seculis usque ad haec posteriora constanter traductam circa Gratiae necessitatem ad Dei supernaturalem dilectionem ex motivo pietatis in ordine ad salutem aeternam. Verba concilii haec sunt: *Si quis dixerit: sine praeveniente Spiritus sancti inspiratione, atque eius adjutorio, hominem credere, sperare, diligere, aut poenitere posse, sicut oportet, anathema sit.*

59 Evincitur 4 rationibus Theologicis, quae fidem hanc Ecclesiae Pelagianis verissimam demonstrent. I legimus in 1 epist. Joannis cap. 4: *In hoc est caritas, non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos . . . Nos ergo diligamus Deum, quoniam ipse prior dilexit nos*; atqui si viribus nativis Deum possemus diligere, ut donorum supernaturalium largitorem, per quae ad aeternam beatitudinem deducimur, non ideo Deum diligeremus, quia prior ipse nos dilexerit, sed e contra nos ipse diligeret, quia prius a nobis esset ipse dilectus: ergo &c. Ita arguit s. August. lib. de Grat. & libero arbitr. cap. 18. II *Qui manet in caritate, in Deo manet, & Deus in eo*: ergo

ergo ipsum possidet; atqui repugnat *Deum haberi posse sine Deo*, idest sine Gratiae dono: ergo &c. Ita arguit s. Augustinus *lib.* de patientia *cap.* 18. III certum est, Adam a Deo in sua creatione voluntatem liberam obtinuisse, quae posset esse bona, vel mala. Iam vero, si Adam potuisset Deum, ut supernaturalem auctorem amore pariter supernaturali diligere, jam habuisset a se bonam voluntatem; a Deo autem voluntatem habuisset, quae posset esse bona, vel mala: ergo melior fuisset factus a se, quam a Deo; id autem citra crimen dici nequit: ergo &c. Argumentum hoc mutuatus sum ab Augustino *lib.* 2 de peccatorum meritis, & remiss. *cap.* 18. Jam vero, si res ita est, certumque pariter manet, ab illo Numinis amore, quem in suo creationis initio Adam ab eo accepit, ipsum peccando excidisse, sponte sua fluit hoc consectarium, nempe Adam, eiusque filios eumdem amorem recuperare non potuisse, nisi ab illo, a quo primum fuerat collatus, nimirum ab humanae vitae conditore supremo. Quae autem hic possent adduci difficultatum capita, ea mittimus resolvenda in partem II, ubi scholastice inquiremus, possitne sine Gratia diligi Deus ut auctor naturae: si enim, ut ostendemus, nequit id homo sibi relictus praestare, facillimum erit Pelagianos refellere, qui amorem supernaturalem Dei viribus naturae tribui posse contendunt.

CONTROVERSIA IV

Continens thesim Pelagianam naturae viribus tribuentem divinae legis observantiam in ordine ad vitam aeternam comparandam; tum etiam antithesim Catholicorum id Gratiae Numinis tribuentium.

60 Norunt omnes praecepta, quibus nos sumus ex Dei instituto obnoxii, alia esse naturalia, quae in Decalogo continentur; alia supernaturalia. Primi generis praecepta sola ratione naturali dictantur, atque in Decalogo continentur; altera vero sunt, quae Christus Dominus nobis imposuit ad religionem Christianam spectantia; haec autem sunt ipsa lex Evangelica. In horum autem praeceptorum observantia modus a substantia omnino est distin-

guendus. Substantia observationis praeceptorum est ipsa mera, ac simplex praecepti exsecutio. Modus autem est actus, quo lex ipsa impletur ob motivum supernaturale; ac proinde in ordine ad vitam aeternam comparandam; quod quidem discrimen fictitium non esse constat ex censura lata a Romanis Pontificibus in hanc Michaëlis Baii propositionem: *Celebris illa distinctio divinae legis mandata bifariam impleri; altero modo quantum ad praeceptorum operum substantiam tantum, altero quantum ad certum quemdam modum, videlicet secundum quem valeant operantem perducere ad regnum aeternum, hoc est ad modum meritorum, commentitia est, & explodenda.* Constat id pariter ex D. Thoma, cuius nomen in schola summam merito sibi vindicat auctoritatem. Hic autem 1 2 quaest. 109, art. 4 distinctionem a nobis adductam sic exponit: *Implere mandata legis contingit dupliciter, uno modo quantum ad substantiam operis, prout scilicet homo operatur justa, & fortia, & alia virtutis opera . . Alio modo possunt impleri mandata, non solum quantum ad substantiam operis, sed etiam quantum ad modum agendi, ut scilicet ex caritate fiant.* Porro praecepta memorata bifariam sumi possunt, *collective*, & *distributive*; idest vel omnia, vel eorum aliqua. Jam vero error fuit Pelagii, posse hominem ex se omnia legis mandata implere tum quoad substantiam, tum quoad modum, ut refert August. *lib.* de haeresibus *cap.* 88. Gratiam enim non ad posse simpliciter, sed ad facilius operandum admitti censebat perfidus haeresiarcha. Ex Theologis autem orthodoxis, esto, quoad modum ea impleri non posse adfirment sine Gratia, quoad substantiam vero omnia impleri posse ex motivo naturali legis naturalis praecepta asserunt nonnulli, atque inter hos, ut quibusdam videtur, adnumeratur Scotus. Alii aliqua dumtaxat, non omnia servari posse volunt sine Gratia; alii ad singula Gratiam exigunt; alii ad omnia collective implenda Gratiam auxiliantem specialem requirunt, non habitualem; alii utramque. Nos, missis variis Theologorum sententiis, quas in parte II ad crisim exigemus, solum hic Pelagianum errorem refellemus, argumenta illa proferendo, quibus suam, quoad hoc, semper Catholica Ecclesia doctrinam propugnavit.

PRO-

Catholicorum constans, ac firma haec fuit semper sententia adversus Pelagianos, sine Gratia Dei non posse ab hominibus legem naturalem, vel divinam impleri ea observantia, quae illis utilis esse possit ad salutem.

61 Evincitur 1. Quia Ecclesia fidissima scripturarum interpres ab eisdem fuit semper edocta, sine Christi Gratia nihil a nobis praestari posse, quod ad salutem perducat, sufficientiam nostram ex Deo esse, Christi Gratiam eam esse, quae nos possit liberare a lege peccati, idest a transgressione praecepti non concupiscendi, ut palam indigitant verba illa Joannis 15: *Sine me nihil potestis facere*; 2 Cor. 3: *Sufficientia nostra ex Deo est*; Rom 7: *Video in membris meis aliam legem repugnantem legi mentis meae, captivantem me in lege peccati, quae est in membris meis; quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Jesum Christum.* Atqui his omnibus testimoniis, aliisque plurimis, quae piget recitare in re certa, aperte colligitur, mandatorum observantiam, qua homines salutem sibi comparent, a Christi Gratia pendere; Ecclesiam igitur id pariter sensisse tenendum omnino est.

62 Evincitur 2 ex Augustino Catholicae huius doctrinae testimonium passim reddente in suis adversus Pelagianos libris: *Qui praecepta legis*, ita scribit s. Doctor lib. 2 contra Julianum cap. 156, *implere se putat per arbitrium propriae voluntatis sine spiritu Gratiae, suam justitiam vult constituere, non justitiam Dei sumere. Nam unde dicit idem Apostolus? ut inveniar in illo non habens meam justitiam, quae ex lege est, sed justitiam, quae ex fide, justitiam, quae ex Deo*; tum lib. de Nat. & Grat. cap. 40: *Si possibilitas naturalis per liberum arbitrium & ad cognoscendum, quomodo vivere debeat, & ad bene vivendum sufficit sibi: ergo Christus gratis mortuus est.* Eadem scripsit *epist.* 95, 105, 106, 120 *lib.* de spirit. & lit. *cap.* 14, & 19; tum alibi passim. Magistro suo concinit s. Prosper *lib.* contra Collatorem *cap.* 10, & 11, ubi docet a nullo posse Dei mandata impleri sine Numinis Gratia, ac inutilem esse legem, ubi spiritus Gratiae desit.

63 Evincitur 3 ex conciliis judicium idem passim ferentibus. Sint exempli loco Patres concil. Carthaginiens.

II pro causa Pelagiana in epist. synodica ad Innocentium I sic aientes: *Quicumque dogmatizat sibi, ad vincenda peccata, & Dei mandata facienda sufficere posse humanam naturam, & eo modo Gratiae Dei, quae Sanctorum evidentius orationibus declaratur, adversarius invenitur, anathema sit.* Quod quidem commentum fuisse Pelagianorum, innuunt iidem Patres ita paullo antea ipsorum errorem significantes, *persuadere non cessant, ad operandam justitiam, & Dei mandata complenda, solam sibi humanam sufficere naturam posse, non adtendentes, quod scriptum est* (Rom. 8:) *Spiritus adjuvat infirmitatem nostram.* Patribus Carthaginiensibus adjungimus Patres concilii Milevitani in epist. synodica ad Innocent. eumdem scribentes: *Nova haeresis surgere coepit, quae nobis etiam Dominicam orationem impiis disputationibus conatur auferre. Cum enim Dominus docuerit, ut dicamus: dimitte nobis debita nostra, sicut & nos &c. isti dicunt, posse hominem in hac vita praeceptis Dei cognitis ad tantam perfectionem justitiae sine adjutorio Gratiae Salvatoris per solum liberum voluntatis arbitrium pervenire, ut ei jam non sit necessarium dicere: dimitte nobis debita nostra.* Contra quos canonem hunc in ord. 5 vulgarunt: *Quicumque dixerit, ideo nobis Gratiam justificationis dari, ut quod facere per liberum jubemur arbitrium, facilius implere possimus per Gratiam, tamquam etsi Gratia non daretur, non quidem facile, sed tamen possimus etiam sine illa implere divina mandata, anathema sit.* Similia leges in *can.* 3 concilii Carthaginiensis in causa Pelagiana III, & *can.* 6 concilii Valentini in Gallia coacti, tum demum apud Tridentinum *sess.* 6 *can.* 1, & 2.

Responsiones ad objecta.

64 Opponunt Pelagiani verba illa Deuteronomii 30: *Mandatum hoc, quod ego praecipio tibi hodie, non supra te est*; tum quae legimus Eccl. 15: *Adjecit mandata, & praecepta sua, si volueris mandata servare, servabunt te*; & ibidem: *Deus ab initio constituit hominem, & reliquit illum in manu consilii sui.* Ex his autem avidissime colligunt arguti disputatores, nihil in sacris literis disertius significari, quam divinorum, ac naturalium mandatorum observantiam solis nativis viribus tribuendam, iisque solis aeternam gloriam tamquam mercedem esse tribuendam. Verum haec nugae sunt, eaeque vanissimae. Primi enim testi-

stimonii genuinus sensus hic est, quod legis naturalis mandata humanum captum non excedunt: id enim probat contextus sequentium verborum: *Neque procul positum, nec in coelo situm . . . neque trans mare positum . . . sed juxta te est sermo valde in ore tuo, & corde tuo, ut facias illum.* Ut autem haec praecepta, quae noscimus, animo Christiano impleamus, divinam Gratiam requiri Catholici omnes profitentur. Alterius autem explicatio nobis traditur ab August. lib. 2 de Grat., & lib. arbitrio cap. 16: *Certum est, nos mandata servare, si volumus; sed quia praeparatur voluntas a Domino, ab illo petendum est, ut tantum velimus, quantum sufficit, ut volendo faciamus. Certum est, nos velle, cum volumus, sed ille facit, ut velimus.* Possumus itaque cum Gratia mandata, *sicut oportet*, idest in ordine ad salutem, servare; non vero sine Gratia. Secus Joan. 15 non legeremus: *Sine me nihil potestis facere*; nec Ecclesia in concil. Tridentino adunata doceret: *Dominum jubendo monere, & facere quod possis, & petere quod non possis, & adjuvare ut possis.* Stat itaque juxta sensum scripturarum, conciliorum, & Patrum, nobis mandatorum Christianam observantiam possibilem esse cum Numinis auxilio, non tamen sine ipso.

CONTROVERSIA V

Continens errorem Pelagii contendentis, quascumque tentationes vinci posse etiam ex motivo honesto in ordine ad vitam aeternam sine Gratia Dei, necnon doctrinam oppositam Ecclesiae id Gratiae beneficio tribuentis.

65 Tentatio est quidam ad malum provocans, vel a bono retrahens impulsus. Triplicem ipsa habet fontem, unde solet oriri, nimirum concupiscentiam, mundum, & Daemonem. Inter tentationes aliae graves sunt, aliae leves. Graves illae sunt, quae vehementer animum urgent, ac commovent, vel ratione objecti, quod vivide repraesentatum ad sui prosecutionem plus nimis allicit, vel ratione durationis, quatenus partes objecti pravi frequenter, aut continuo mentem turbant, vel ratione infirmitatis in subjecto, quatenus ex longa peccati consuetudine, aut quapiam alia subjecti dispositione gravis habetur ad pec-

peccatum propensio. Leves tentationes leviter tantum ad peccandum animum provocant, ideoque facilius vinci possunt: totidem autem modis esse possunt leves, quot ex adverso fieri possunt graves. Utriusque autem generis tentationes vinci possunt tripliciter. I per aliam tentationem, ut si quis luxuriam vincat ob motivum avaritiae. II ob motivum naturalis honestatis, puta, propter peccati turpitudinem, vel amorem recti. III ex motivo Christianae pietatis, nimirum ex Dei amore vel jam in anima inhabitantis, vel moventis; unde actio ad vitam aeternam conducat. Ad vincendas primo modo tentationes, nemo dixerit Gratiam requiri, nisi cui laesum sit sinciput. Ad victoriam tentationum ex secundo motivo ii omnes Gratiam requiri opinantur, qui nullum opus bonum fieri posse contendunt sine Gratia, ut Vasquez, Contensonius, aliique bene multi. Ad superandas denique tentationes ex tertio motivo, Gratiam omnino requiri & docet nunc, & semper docuit Ecclesia contra Pelagianos, qui, ut refert Augustinus *lib.* de haeresibus *cap.* 88, id Gratiae beneficio tribuere, nefas esse existimarunt.

P R O P O S I T I O.

Pelagianis victoriam tentationum etiam ex motivo supernaturali soli humano arbitrio tribuentibus, sese constanter opposuit Ecclesia defendens, tentationem nullam posse superari ex honesto motivo in ordine ad vitam aeternam sine Numinis Gratia.

66 Evincitur 1. Id semper docuit Ecclesia, quod ipsam docuere sacrae literae; atqui nihil frequentius in ipsis occurrit, quam victoriam tentationum utilem ad salutem Dei auxilio esse tribuendam, ut probant verba illa psal. 17: *In te eripiar a tentatione*; psal. 19 *Ego dixi in abundantia mea, non movebor in aeternum, & avertisti faciem tuam a me, & factus sum conturbatus*; Matth. 6: *Ne nos inducas in tentationem*, idest, ne permittas nos tentationibus cedere; tum 1 Cor. 10: *Fidelis autem Deus, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis*; Ephes. 6: *Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias Diaboli*: Igitur Ecclesia hoc semper unum merito sanxit, nimirum Gra-

Gratiam requiri, ut ex motivo supernaturali tentationes vincamus.

67 Evincitur 2 ex Patribus hunc fuisse Ecclesiae sensum passim testantibus. Hieronym. lib. 2 adversus Pelagianos laudans verba illa Matthaei cap. 26: *Surgite, vigilate, & orate, ne intretis in tentationem*, ita e vestigio subjungit: *Debuisset dicere juxta vos* (intellige Pelagianos) *surgite, & resistite: liberum enim habetis arbitrium, & semel vobis concessa a Domino potestate, nullius alterius indigetis auxilio*; tum lib. 3: *Nostra victoria, & corona victoriae illius protectione, & clypeo paratur*; August. lib. de Gratia, & libero arbitrio cap. 4: *Gratias autem Deo, qui dat nobis victoriam per Jesum Christum: ergo & victoria, qua peccatum vincitur, nihil aliud est; quam donum Dei . . . . Nec sufficit arbitrium voluntatis humanae, nisi a Domino victoria concedatur oranti, ne intret in tentationem.* Vide quae scribit *lib.* de perfectione justitiae *cap. ult.*, *lib.* de nat. & Grat. *cap.* 26; tum etiam quae docet Cyprianus *tract.* de oratione Dominica, quorum omnium haec una vox est, victoriam tentationum, quae utilis esse possit ad salutem a Numinis auxilio derivare.

68 Evincitur 3 ex conciliorum, ac Romanorum Pontificum oraculis, quae, cum Ecclesiam Catholicam repraesentent non aliam, quam ipsius germanam doctrinam tradere potuerunt. Sint exempli loco verba synodi Palaestinae, relata ab Augustino epist. 106 ad Paulinum: *Fateatur, unumquemque fidelium teneri confiteri, quando contra tentationes, concupiscentiasque illicitas dimicamus, quamvis & illic habeamus liberam voluntatem, non tamen ex illa, sed ex adjutorio Dei nostram provenire victoriam.* Idem legeris in epist. synodica concil. Carthaginiensis, quae est inter Augustinianas 176; in alia pariter epist. concilii Milevitani, quae est inter epist. August.; in can. 9 concil. Arausicani II, tum etiam in epist. Innocentii I ad concil. Carthaginiense, ubi haec leguntur: *Pares nos ad resistendum, non liberum arbitrium, sed Dei solum facere potest auxilium*; idem ad Patres concil. Milevitani scribit: *Diaboli machinas nisi Dei Gratia possumus juvante vitare.* Caelestinus epist. 6 ad Galliarum Episcopos: *Nemo*, ait, *etiam Baptismo renovatus idoneus est ad superandas Diaboli insidias, & ad vincendas carnis concupiscentias, nisi per quotidianum adjutorium Dei perseverantiam bonae conversationis*

acce-

perii. Idem ante ipsum docuerat Zozimus in epist. ad totius orbis Episcopos.

Aiunt tamen hic Pelagiani ex his illud minus recte colligi, victoriam tentationum ex motivo casto, honesto, ac supernaturali Numinis adjutorio acceptam esse referendam, cum inde non sequatur, hominem, gravi urgente tentatione, liberum non esse ad resistendum, vel non, tentationi; jam vero, si adhuc remanet homo liber ad tentationi cedendum, vel non, jam non indiget alieno auxilio, ut immunis a lapsu perseveret: ergo solius arbitrii vi tentationem potest superare victoria utili ad salutem. Subtiliter quidem, & ingeniose excogitatum! An forte homo liber est ad vincendas tentationes sine Gratia? An, si Gratiae exigat adjutorium, libertatem amittit arbitrii ad vincendum, vel cedendum? Minime gentium. Dicitur itaque homo liber, dum urget tentatio, quia potest ei resistere Gratia adjutus, quam quidem praesto esse, dum urget tentatio (saltem ordinarie loquendo, ne quaestionem hic scholasticam instituamus, an ea conferatur obduratis, cuius locus reservatur in parte 2), probant diserte verba illa Ap. 1 Cor. 10: *Fidelis autem Deus, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis*. Nihil itaque movere debet hominem Catholice sentientem ludicra haec, & plane futilis Pelagianorum objectio.

CONTROVERSIA VI.

Continens errores Pelagianorum quoad possibilitatem vitandi omnia peccata sine Gratia, & doctrinam oppositam semper ab Ecclesia propugnatam.

Peccata duplicis esse generis, mortalia quaedam, alia venalia compertum omnibus est. Jam vero de utraque peccatorum specie quaeritur, an homo sine Gratia possit vitam omnem suam immunem ducere a peccatis cum lethalibus, tum venialibus. Tum etiam hic in controversiam vocatur, an, supposito quod Gratia requiratur, aliqui de facto vitam omnem immunem a peccatis duxerint. Porro Pelagianorum error hic fuit, Gratiam non requiri, ut vitentur omnia peccata, hinc posse homines sine Gratia vitam omnem sine peccatis absolvere; imo de facto plures praeter Christum, & Deiparam sic vitam suam

stiam transegisse. Mentem hanc fuisse Pelagii, satis constat ex August. lib. de gestis Pelagii cap. 35, ubi ipsius, suorumque gregalium sententiam sic refert: *Dicunt, ut non peccemus, posse sufficere naturam humanam*; tum etiam ex eiusdem s. Doctoris *lib.* 2 de peccat. meritis, & remiss. *cap.* 10 & 13, ubi placitum Pelagianorum sentientium, plures numerari homines, qui vitam omnem immunem duxerint ab omni peccato, adducit, & acriter refellit. Inter Catholicos vero sunt, qui I opinentur, sine ullo auxilio supernaturali Gratiae vitari posse peccata lethalia, quae sunt contra legem naturalem, quoad substantiam, idest servando praecepta naturalia, non quoad modum, idest ea servando in ordine ad caritatem, seu cum merito; ita Durandus, atque, ut plurimi sentiunt, Scotus. II qui velint, homines in statu naturae lapsae non posse vitare omnia peccata lethalia contra legem naturalem sine auxilio Gratiae ordinis naturalis, utique vero sine Gratia habituali; ita Vasquez. III qui censeant, ad id requiri Gratiam actualem ordinis supernaturalis, tum etiam Gratiam sanctificantem. Et haec quidem pro peccatis lethalibus. Pro venialibus autem alius est auctorum dissensus. Peccata, inquiunt, vel collective, vel distributive possunt considerari. Ad omnia peccata venialia collective sumta vitanda tum per totam vitam, tum ad tempus diuturnum, nedum ordinaria Gratiae auxilia requiri, sed etiam speciale privilegium contendunt Theologi omnes; ad singula autem seorsim spectata, eadem ordinariis Gratiae auxiliis vitari posse affirmant, ut etiam omnia collective ad breve tempus. Porro hic quidquid Ecclesia defendit contra Pelagianos, constituam, tum etiam leviora quaedam in scholis disputata adnectam, quae sedem peculiarem in 2 parte non merentur.

Pro-

Propositio I.

Ecclesia Catholica Pelagianos nuspiam damnavit, quod crederent, posse hominem ad breve tempus vitare lethalia peccata, urgente levi tentatione.

70 Propositio breviter suadetur, quia nuspiam docuit Ecclesia, urgente levi tentatione, non posse hominem lapsum a peccatis lethalibus abstinere, cum ipsa non ignoret, in homine lapso amorem boni honesti penitus non esse exstinctum, ut passim docet s. Thomas; igitur Ecclesia nuspiam docuit, quod homo huiusmodi amore praeditus, etiamsi peccator, vitare nequeat lethalia peccata ad breve tempus, in quo difficiliora non urgeant praecepta, & leves dumtaxat tentationes occurrant; tunc enim amore e. c. continentiae poterit homo reprimere tentationem levem luxuriae, & ab actu libidinoso temperare. Haec porro non esse contra mentem Ecclesiae deducimus tum ex iis, quae in Baio damnavit quoad opera infidelium, & peccatorum, tum etiam in s. Thoma *quaest.* 109 (hic) *art.* 8. Quoad hoc igitur dissidium nullum fuit Catholicos inter, & Pelagianos; si enim contra sensisset Ecclesia, s. Thomas sententiam nostram loco laudato non defenderet.

Propositio II.

Contra Pelagianos semper docuit Ecclesia, quod quamvis homo lapsus potentiam physicam habeat ad omnia peccata lethalia vitanda, ea tamen potentia morali vitare nequit ad longam temporis moram, sine Gratiae supernaturalis beneficio.

71 Evincitur prima pars, quia sublata non est ab homine per peccatum eiusdem arbitrii libertas: quemadmodum igitur ante peccatum ob huiusmodi arbitrii libertatem peccata poterat homo admittere, vel vitare; ita & physice nunc id posse dicendum est, aiente Augustino: *Nullum in eo peccare, quod nequit vitare*; si autem potentia physica vitari non possent ab homine lapso peccata, jam ipse

ipse necessario peccaret, nullius itaque esset criminis reus.

72 Evincitur secunda pars, quia statutum habemus contra Pelagianos in can. 3 synodi Milevitanae, id Gratiae Numinis esse tribuendum; ibi enim legitur: *Placuit, ut quicumque dixerit, Gratiam Dei . . . . ad solam remissionem peccatorum valere, non etiam adjutorium, ut non committantur, anathema sit.* Idem habes definitum in concil. Diospolitano, tum etiam a Caelestino papa I in epist. ad Galliarum Episcopos. Vide quae diximus in quaestionibus superioribus

Confirmatur, quia, ut optime ratiocinatur s. Thomas hic *quaest.* nimirum 109 *art.* 8, peccata vitantur, quia amor Dei, vel boni honesti amorem vincit boni sensibilis; atqui nemo dixerit, ipsaque experientia persuasi fateri etiam debent Pelagiani, amorem huiusmodi diu in homine lapso, si Gratia desit, posse praevalere, cum in homine lapso, maxime peccatore, deficiente Numinis Gratia, nullus insit amor Dei supernaturalis; amor autem boni honesti languidus fit, ac effoetus, concupiscentiae autem quotidie novi ignes addantur tum ab objectis, tum a Daemonis suggestionibus, tum a pravis, quae passim occurrunt, exemplis: ut igitur tunc non cedamus, ut peccata omnia vel integro, vel diuturno vitae tempore fugiamus, Gratiae adjutorio indigemus, ut optime infert Innocent. I epist. ad synodum Carthaginiensem his verbis: *Necesse est, ut quo adjuvante vincimus, eo non adjuvante vincamur.* Exemplum huius infirmitatis humanae nobis exhibet D. Petrus, qui nimium propriis viribus tribuens, in gravem incidit lapsum perjurii, Magistrum negando.

His omnibus accedit, quod praecepta supernaturalia servari nequeunt sine Gratia. Istorum porro aliqua urgent in tempore diuturno, & toto vitae tempore omnia simul sumta hominem aliquando adstringere certum est, puta, praecepta virtutum theologalium, & similia; atqui ista servari nequeunt sine Gratia, ut partim ex dictis constat contra Pelagianos, partim ex dicendis palam fiet, & apertum: ergo huiusmodi transgressiones ad tempus diuturnum sine Gratia; neque adeo peccata ex huiusmodi transgressionibus provenientia vitari possunt. Quod attinet vero ad praecepta naturalia, certum est, sine Gratia ex dicendis in parte 2, non posse a nobis elici actum amoris Dei super omnia, etiam ut auctoris naturae: ergo sine

Gra-

Gratia vitari nequeunt peccata omnia contra legem naturalem ad tempus diuturnum; qui enim omnia viribus propriis vitaret, nuſpiam a Deo recederet, eumque ſuper omnia diligeret.

Propositio III.

Diſſidium alterum fuit Catholicos inter, & Pelagianos; ex iſtorum enim ſententia poteſt homo viribus naturae ab omni veniali peccato toto vitae ſuae tempore abſtinere. Contra Catholici ſemper docuerunt, adeo non poſſe hominem ita ſe immunem a venialibus ſine Gratia ſervare, ut, quamvis ordinariis auxiliis poſſit ſingula diviſim vitare, & omnia collective ad breve tempus, tamen diu, vel integro vitae omnia collective vitare nequeat cum eiſdem Gratiae auxiliis, ſed requiratur privilegium ſpeciale.

73 Evincitur I pars, quod nempe ea eſſet Pelagianorum ſententia. Ipſi enim Gratiam tandem admiſerunt non ad ſimpliciter peccata cavenda, ſed ad ipſa facilius vitanda, ut omnium nomine ſcribit ipſorum coriphaeus Pelagius ad Demetriadem his verbis: *Divinam mereamur Gratiam, ut facilius nequam ſpiritui ſancti Spiritus auxilio reſiſtamus.* Igitur mens erat Pelagii, Gratiam non requiri ſimpliciter ad vitandum peccatum, & ſpiritui diabolico reſiſtendum, ſed tantum ad facilius lapſum praecavendum. Huc faciunt etiam Caeleſtii Pelagiani verba in cap. 3 ſuarum definitionum: *Si Gratia Dei eſt, quando vincimus peccata: ergo ipſa eſt culpa, quando a peccato vincimur, quia omnino cuſtodire nos aut non potuit, aut noluit.* Vide etiam, quae diximus ex Auguſt. deſumta ſub huius controverſiae initium; ex his enim facile colligitur, quae fuerit in hac re Pelagianorum ſententia.

74 Evincitur II pars, quod nimirum Eccleſia docuerit, ſingula peccata venialia ordinariis Gratiae auxiliis vitari poſſe. Nam ſemper eiuſdem ſententia fuit, peccatum ibi non eſſe, ubi non eſt voluntarium; jam vero ſi homo per Gratiam ſanatus, & juſtificatus (de homine enim juſto dumtaxat lego apud auctores caput iſtud expendi) ſingulos non poſſet motus inordinatos reprimere auxiliis Gratiae ſtatui ſuo accommodatis, ipſius lapſus non eſſet voluntarius.

75

75 Evincitur III pars, nempe hominem (intellige semper justum, cum de isto solo quaestio a Theologis moveatur) ad breve aliquod tempus cum Gratia ordinaria vitare posse omnia peccata venialia; idque juxta sensum Ecclesiae. Haec enim in concil. Trid. congregata *sess. 6 can.* 23 damnans sentientes, hominem justum toto vitae tempore vitare posse omnia venialia sine ullo speciali Numinis privilegio, implicite videtur significare, id posse de homine justo ad breve tempus verificari. Accedit Hieronymus sic aiens lib. 3 contra Pelagianos: *Hoc est in nostra positum potestate peccare, vel non peccare .... sed hoc pro modo, tempore, & conditione fragilitatis humanae .... Nec quia ad breve possum, coges me, ut possim jugiter; possum jeiunare, vigilare, ambulare, psallere &c. numquid in perpetuum?* Et sane si ad breve tempus vitari non possent cum Gratiae auxiliis ordinariis omnia peccata venialia, homo recenter baptizatus deberet illico peccare venialiter, nec proinde vir adultus, suscepto rite Baptismo, atque justificatus effugere posset purgatorium, si paullo post obeat, quod tamen falsum est. Hinc s. Thomas 3 part. quaest. 79 art. 4 explicans illud s. Joannis 1: *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est*; ita explicat: *Non est ita intelligendum, quin aliqua hora possit homo esse absque omni reatu peccati venialis; sed quia vitam istam Sancti non ducunt sine peccatis venialibus.* Qualis autem esse possit haec temporis mensura, in qua homo justus possit ab omni veniali abstinere, quis prudens definiet? Aliquis ferventiori caritate accensus diutius id poterit, minus alter remissiori praeditus caritate.

76 Evincitur IV pars, nempe hominem justum non posse toto vitae suae cursu aut ad tempus diuturnum cum solis auxiliis Gratiae ordinariis omnia collective venialia vitare, sed ad id speciale requiri Numinis privilegium, evincitur, inquam, ex scripturis, in quibus passim haec legimus: *Non est homo, qui non peccet*; ita 2 Paralipomenon 6: *Non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens*; ita psal. 142, tum psal. 31: *Dixi: confitebor adversum me injustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei, pro hac* (intellige pro remissione peccatorum) *orabit ad te omnis Sanctus in tempore opportuno.* In quae verba haec addit opportune Augustinus lib. 2 de peccatorum meritis, & remissione cap. 7: *Non ergo omnis peccator, sed omnis Sanctus; vox enim sanctorum est: si dixerimus, quia peccatum*

 non

non habemus, *nos ipsos decipimus*, *& veritas in nobis non est*, ut scribitur 1 Joannis 1. Similia sunt, quae exstant Proverb. 20: *Quis potest dicere: mundum est cor meum, purus sum a peccato?* necnon Ecclesiastis 7, & Jacobi 3; ibi enim legimus: *Non est enim homo justus in terra, qui faciat bonum, & non peccet*, hic vero. *In multis enim offendimus omnes*. Concordi huic scripturarum locutioni adhaesit semper Ecclesia; quapropter in synodis Milevitana, & Tridentina hos canones edidit: *Placuit, quod ait Joannes, si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus &c. . . . . quisquis sic accipiendum putaverit, ut dicat, propter humilitatem oportere dici, nos habere peccatum, non quia vere ita est, anathema sit.* Ita fert, can. 6 concilii Milevitani; canon autem Trident. in ordine 23 sess. 6 hic est; *Si quis hominem semel justificatum dixerit amplius peccare non posse, nec Gratiam amittere, atque ideo eum, qui labitur, & peccat, nunquam fuisse justificatum, aut contra, posse in tota vita peccata omnia etiam venialia vitare, nisi ex speciali privilegio Dei, quemadmodum de beata Virgine tenet Ecclesia, anathema sit.*

Stat itaque hanc esse quoad hoc, ac semper fuisse Ecclesiae sententiam, quam si quis adhuc in dubium vertat, adeat Augustinum *lib.* de nat. & Grat. *lib.* 2 de peccatorum meritis, & remissione *cap.* 12, Hieronymum *lib.* 3 contra Pelagianos, aliosque apud Theologiae dogmaticae tractatores. Et sane ea est humanae naturae post peccatum infirmitas, ut omnes concupiscentiae motus, tentationes omnes tam frequentes, tam varias constanti, ac perfecta vigilantia sine peculiari Numinis beneficio vitare non possit, aut reprimere. Quocirca optime aiebat s. Thomas hic art. 8: *Non potest abstinere homo ab omni peccato veniali propter corruptionem inferioris appetitus sensualitatis, cuius motus singulos quidem ratio reprimere potest (& ex hoc habent rationem peccati, & voluntarii) non autem omnes, quia, dum uni nititur resistere, fortassis alius insurgit; & etiam quia ratio non semper potest esse pervigil ad huiusmodi motus vitandos.*

PRO-

Propositio IV.

Si Christum, & Deiparam excipias, nullus homo privilegium illud speciale obtinuit vitam omnem traducendi ab omni peccato veniali immunem.

77 Evincitur I pars, & primo, quod attinet ad Christum, nemo erit frontis adeo perfrictae, minusque verecundae, qui Christum velit aliquando culpis etiam levibus obnoxium fuisse. II, quod spectat ad Deiparam, praeter Tridentini definitionem a nobis allatam num. 76, disertum habemus August. testimonium lib. de Nat. & Grat. cap. 36 num. 42: *Excepta*, inquit, *sancta Virgine Maria, de qua propter honorem Domini, cum de peccatis agitur, haberi nolo quaestionem: unde enim scimus, quod ei plus Gratiae collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quae concipere, ac parere meruit eum, quem constat nullum habuisse peccatum. Hac ergo Virgine excepta, si omnes illos Sanctos, & Sanctas, cum hic viverent, congregare possemus, & interrogare, utrum essent sine peccato, quid fuisse responsuros putamus? Utrum hoc, quod iste* (intellige Pelagius) *dicit, an quod Joannes Apostolus? . . . . Nonne una voce clamassent: si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos decipimus, & veritas in nobis non est?* Similiter scribit s. Bernardus epist. 114: *Ego puto, quod & copiosior sanctificationis benedictio in eam descenderit, quae ipsius non solum sanctificaret ortum, sed & vitam ab omni deinceps peccato custodiret immunem.*

78 Evincitur II pars tum ex testimoniis mox adductis, tum ex illo Ecclesiastis 7: *Non est homo justus in terra, qui faciat bonum, & non peccet.* Quod quidem etiam disertius exprimit D. Joannes jam Spiritu sancto cum ceteris Apostolis repletus epist. 1 cap. 1: *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est.* Hinc Augustinus audiens Pelagianos effutientes, numerari quamplurimos justos, quos culpa nulla polluerit, totus est, ut ipsorum male natum commentum impugnet *lib.* 2 de peccatorum meritis, *cap.* 7, tum *cap.* 10 adducens exempla Danielis, Job, aliorumque hominum bonae frugis, quos tamen alicuius culpae levis reos facit, rem sic claudit cap. 13: *Sunt ergo in terra justi, magni . . . patientes, pii &c. sed . . . . non sunt sine peccato.*

cato. Idem repetit *lib.* de perfectione justitiae, & *lib.* de nat. & Grat. cap. 34 & 36. Nec alius est Hieronymi sensus, quem ob id lege *lib.* 2 & 3 contra Pelagianos. Quando itaque radicem nullam, fulcrum nullum in scripturis, & Patribus habet sententia Ambrosii Catharini, qui aliquos insigniter Sanctos commune cum Deipara privilegium habuisse contendit, longe ableganda est e Scholis Theologicis, nec ab ullo sacrae nostrae facultatis tractatore adoptanda; haec enim sententia, quamvis ab errore Pelagianorum longe diversa, cum isti immunitatem a peccato viribus naturae tribuerent, Catharinus autem Numinis auxilio peculiari, tamen eo titulo reiicienda videtur, quod ad arbitrium ficta sit, nullo ipsi vel scripturae, vel traditionis suffragante argumento.

Responsiones ad objecta.

79 Opponitur contra II propositionem: quae enim contra I adduci possent, inferius resolvemus in controversiis de *Baianismo*. Primo igitur contra thesim II facere videntur plura infidelium exempla, qui gravissimis tentationibus ad malum acti honestatem constanter coluerunt, tum etiam illud, quod, utut gravis supponatur tentatio, voluntas nuspiam ad malum necessitatur: ergo ista potest eidem resistere; tum denique, quod Scholae Thomisticae princeps Doctor Angelicus scribit in 2 sententiarum *dist.* 28 *quaest.* 1 *art.* 2, scilicet hominem lapsum, & in statu peccati constitutum, posse omnia peccata vitare. Porro si semel hoc esse tanti Doctoris placitum evincatur, ut facile evinci posse constat ex loco laudato, nemo erit usque adeo morosus, ac minus aequus, qui Pelagianos hac in parte criminari possit, ac malis notis adficere.

Verum nihil ista in gratiam Pelagianorum evincere inde probo, quod infideles huiusmodi, Augustino teste, graves illas tentationes vicerunt, aliis cedendo; aut famae enim, aut vanae gloriae inani studio ea non perpetrarunt, ad quae animum proclivem reddebant peculiares in alicuius vitii specie tentationes, unde vehementiori cupiditati succumbentes minores reprimere consueverunt. Quoad vero a gravi tentatione nulla inferatur voluntati necessitas, id probat subsistere in voluntate potentiam physicam ad non peccandum, eo plane modo, quo libere, ac physice potest avarus pecunias liberalitatis causa largiri, moraliter

au-

autem non potest. Quod demum loco ultimo ponitur, ad crysim deduci debet. Docet passim s. Thomas, praecipue in summa sua Theologica posse hominem lapsum sine Gratia omnia peccata lethalia vitare; quando igitur docet, posse id ab homine praestari, intelligendus est de potentia physica. Potentia haec in ipsa arbitrii libertate fundatur, quae certe per Adae peccatum exstincta non fuit, & si esset exstincta, peccati nusquam reus esset homo, cum nemo ad impossibile teneatur. Potentia moralis fundatur in amore finis ultimi, quo homo vitat media ipsi contraria. Quia igitur homo liber est, potest physice omnia peccata vitare. Quia vero passim gravibus tentationibus ad malum impellitur, ab objectis pravis vehementer accenditur concupiscentia, necesse moraliter est, ut amorem boni honesti passim abjiciat, ac bonum proprium quaerat, in quo peccatum admittit.

80 Opponitur contra III propositionem: potest homo ad breve tempus omnia peccata venialia vitare sine Gratia; ergo etiam ad tempus diuturnum. Antecedens certum est ex communi Theologorum sententia. Consequentia inde liquet, quod eadem videtur esse ratio de viribus naturae ad breve, vel longum tempus consideratis. Respondetur, concesso antecedenti, negando consequentiam. Disparitas est, quia undique & continuo tentationibus distractum humanum arbitrium pro ea, in qua versatur infirmitate, nequit moraliter omnes motus suos ad rectam rationis normam temperare. Vide, quae diximus §. 1 & 2 *num. 76.*

Opponitur 2, & quidem pressius contra postremas propositionis partes, in quibus potissimum defenditur necessitas privilegii specialis ad omnia collective venialia vitanda. 1 Joannis 3 legimus: *Qui natus est ex Deo non peccat, quoniam semen ipsius in eo manet, & non potest peccare; quoniam ex Deo natus est*; ergo justi vitare possunt omnia collective venialia; 2 Math. 5 habemus: *Estote perfecti, sicut & Pater vester caelestis perfectus est*; unde illud inferunt Pelagiani relati ab Augustino lib. 2 de peccat. meritis, & remissione cap. 15, quod id a Christo non praeciperetur, *si sciret fieri non posse, quod praecipit*, 3 Lucae cap. 1 de Zacharia, & Elisabeth dicitur: *Erant autem justi ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis, & justificationibus Domini sine querela.* Huc spectat denique, quod legimus de Job, quod nimirum *non esset ei similis in terra,* ho-

homo simplex, & rectus, & timens Deum, & recedens a malo; ex quibus omnibus illud avidissime colligunt Pelagiani, posse homines justos vitare omnia collective venialia, etiam sine speciali privilegio.

Sed haec nobis nullum negotium facessunt. Primum enim testimonium ex Joanne petitum intelligendum est de regeneratione perfecta, & consummata, quae nobis in caelesti patria continget: ibi enim nulla peccati noxa nos polluet. Ita respondet Augustinus contra Pelagianos in falsa loci laudati interpretatione nimium sibi plaudentes: *Consummetur ergo* (ita s. Doctor lib. de peccatorum meritis, & remissione cap 8) *quod filii carnis sumus, & perficietur, quod filii Dei, & spiritu renovati sumus.* Unde idem Joannes *Dilectissimi*, inquit, *nunc filii Dei sumus, & nondum apparuit, quid erimus. Quid est hoc sumus, & erimus? nisi quia sumus in spe, erimus in re. Nam sequitur, & dicit: scimus, quia, cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum.* Qui igitur sunt hac perfecta, & consummata nativitate renati non peccant; secus vero, qui imperfecta in hac vita per peccatorum remissionem. Quod si minus arrideat hoc responsum, excipe hoc aliud ex eodem Augustino petitum ibidem *cap.* 8 *num.* 10, quod nempe justus in sensu composito justitiae nequit componere simul peccatum ipsius destructivum, in sensu diviso utique, quatenus simpliciter, & absolute potest peccare. Ad 2 ita respondet Augustinus lib. de peccat. meritis, & remissione cap. 15: *Cur ergo jubet, inquiunt, quod scit nullum hominem esse facturum? hoc modo etiam dici potest, cur primis illis hominibus jusserit, qui duo soli erant, quod sciebat eos non esse facturos? eo modo ergo jubet omnibus hominibus, ut non faciant ullum peccatum, quamvis sit praescius neminem hoc impleturum . . . . Quum legitur in scripturis cuiusque perfectio, qua in re dicatur, non negligenter intuendum est, quoniam non ideo quisquis prorsus sine peccato esse intelligitur, quia in aliqua dicitur esse perfectus.* Eam igitur nobis injungit perfectionem Deus, cuius in hac vita mortali pro nostra infirmitate capaces sumus. Ad 3 respondeo, Zachariam, & Elisabeth vitam duxisse sine querela, ac proximi offensione, tum etiam sine gravi Numinis offensa, non vero sine culpa veniali saltem in rei veritate: poterant enim juxta hominum aestimationem tales credi, qui nec venialiter peccarent, quamvis interdum reipsa veniales noxas admisissent. Responsum hoc nostrum duci-

mus

natus ex Augustino lib. saepe laudato cap. 13, ubi inquit: *Nam de Zacharia, & Elizabeth, qui nobis saepe in huius quaestionis disputationibus obiiciuntur, quid dicamus, nisi quod evidenter scriptura testatur, eminenti iustitia fuisse Zachariam in principibus sacerdotum? . . . . . Quid autem de Zacharia, & Elizabeth laudabile dictum est, quod non in eo comprehendatur, quod de se Apostolus, dum in Christum nondum credidisset, professus est? Dixit enim, se secundum iustitiam, quae in lege est, fuisse sine querela . . . . . tantum ergo longe est, ut Zachariam, & Elizabeth credamus sine ullo peccato habuisse perfectam iustitiam, ut nec ipsum Apostolum eiusdem regulae summitate arbitremur fuisse perfectum. Zacharias igitur sancte, pieque vixit secundum quamdam* (sunt s. August. verba lib. de Grat. Christi cap. 48 num. 53) *inter homines conversationem laudabilem, quam nullus hominum iuste posset in accusationis querelam vocare . . . . . Non autem dictum est secundum illam perfectionem iustitiae, in qua vere, atque omnimodo immaculate atque perfecti vivemus; aliud enim est* (inquit s. Doctor lib. de perfectione iustitiae cap. 11 num. 24) *esse sine peccato . . . . . aliud esse sine querela, quod de multis iustis etiam in hac vita dici potuit.* Ad 4 respondet s. Augustinus lib. 2 de peccat. meritis, & remiss. cap. 12: *Non igitur praeclarum illud testimonium Dei, quo laudatus est Job, contrarium est ei testimonio, quo dictum est; non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Quia non id persuadet, prorsus in illo nihil fuisse, quod vel ab ipso veraciter, vel a Domino Deo recte reprehenderetur, quamvis iam iustus, & verax Dei cultor, & ab omni opere malo se abstinens non mendaciter diceretur.*

Urgent tamen adversarii: peccatum nullum occurrit in eo, quod nequit vitari, ut superius iam innuebamus Pelagianorum nomine; atqui nemo negaverit, hominem peccare, dum non vitat omnia venialia: ergo omnia possunt vitari. Respondetur conc. mai. disting. min. Dum non vitat omnia divisim, & singillatim venialia. Concedo minorem. Omnia collective. Nego suppositum minoris, & consequentiam. Ad vitanda singula venialia aptus est homo cum Numinis auxilio, & ideo, dum singula non vitat, peccat. Peccata autem collective vitanda non occurrunt. Hinc falsum est suppositum. Quod homo peccet, dum non vitat omnia collective. Responsio clarius, fusiusque explicatur a s. Thoma hic *quaest.* 109 *art.* 8, & ar-

tea *quaest.* 74 *art.* 3 ad 2; tum etiam 3 contra gentes *cap.* 160.

Insistunt: praeceptum habemus a Deo injunctum de nullo committendo peccato veniali: ergo praeceptum habemus totius collectionis vitandae; atqui divina praecepta, Augustino teste *lib.* 2 de peccat. meritis, & remiss. *cap.* 6 *num.* 7, non versantur circa impossibilia: ergo tota venialium collectio potest vitari. Respondetur conc. antecedens, negando consequentiam. Ratio est, quia huiusmodi praeceptum versatur circa venialia, prout hic & nunc occurrunt divisim, non vero collective: nam tota collectio hic & nunc nuspiam occurrit vitanda. Quod si inde colligant adversarii, ad aliquod veniale committendum homines necessitate impelli, facilis est responsio, necessitatem illam in particulari non cadere circa aliquod particulare peccatum: in quovis enim ita considerato homo liber est, sed est necessitas vaga, generalis, & indeterminata, similis illi, de qua ait Christus Matth. 18: *Necesse est, ut veniant scandala.* Certum est autem, nullum in particulari necessitate aliqua duci ad scandala aliis praebenda, secus iste non peccaret, nec poenam illam mereretur, cuius idem Christus ibidem meminit inquiens: *Verumtamen vae homini illi, per quem scandalum venit.* Quod igitur necessitas illa scandali mala alicuius opera contingat, oritur ex hoc, quod, ut ait Hieronymus in hunc Matthaei locum: *vitio suo homo facit, ut per se fiat scandalum.*

His tamen non acquiescunt Pelagiani: aiunt enim, quod si quis hunc actum mente gereret: *Nolo vitare omnia venialia*, peccaret: ergo id argumento est, hominem posse omnia collective venialia vitare: si enim secus res esset, posset licite nolle omnia vitare, cum nolle possim, quod nequeo praestare. His addunt, inde sequi inutilem esse precem illam Ecclesiae, *ut ad nullum declinemus peccatum*: si enim impares sumus ad omnia omnino venialia vitanda, inutile est a Deo implorare, quod obtinere non possumus.

Sed quis non rideat, hisce cavillamentis plurimum niti adversae partis actores? Ecquis enim ignoret, in eo actu includi pariter voluntatem non vitandi aliqua imo etiam singula divisim? Ecquis in sacra doctrina non omnino peregrinus nesciat, objecta etiam aliqua necessaria, sed tamen turpia nuspiam deliberate a nobis posse approbari? Profecto nemo inter Pelagianos licitum admittere poterit hunc actum, volo Antichristum peccare, quamvis certo

sciam, Antichristum esse peccaturum. Ita in re nostra arguere debent adversarii. Quod spectat ad orationem Ecclesiae, ut *ad nullum declinemus peccatum*, respondeo, hanc absolute intelligendam esse de peccatis divisim consideratis, eaque piae matris votum indigitari, ut omnes a quavis culpa sint immunes, si id possibile sit; firmiter enim credi ab eadem omnia venialia collective sumta non posse sine speciali privilegio vitari, superius demonstravimus. Adde, si placet, lethalia potissimum ab Ecclesia spectari, & minorem venialium admissionem.

82 Opponitur contra 4 propositionem. I privilegium huiusmodi Deiparae abjudicando. II, alis a Deipara abjudicando. Qui sensum Ecclesiae priori ratione oppugnant, adducunt I illud Hieronymi epist. ad Ctesiphontem, ubi Pelagianos sentientes posse, ab homine vitam duci ab omni prorsus veniali immunem sic falsitatis convincit: *Egregii Doctores dicunt esse posse, quod nunquam fuisse demonstrant, dicente scriptura: omne, quod factum est, jam factum est in priori tempore*: ergo si ante Christi adventum nemo venialia omnia vitavit, nec pariter post ipsum ab iis semper fuit immunis Deipara. II in medium proferunt illud August lib. quaest. veteris, & novi Testam. quaest. 75, quod nempe verba illa Luc. 3: *Tuam ipsius animam pertransibit gladius*, indigitari fidei dubitationem ab ipsa in Christi passione conceptam. Qui vero alios numerant in eadem cum Deipara classe constituendos homines ab omni veniali immunes, recensent I Joannem Baptistam: hic enim illud audire meruit *inter natos mulierum non surrexit maior Joanne Baptista*; tum Apostolos omnes post Spiritus sancti illapsum: tunc enim fuerunt in Gratia confirmati.

Resp. ad primum prioris difficultatis caput, ibi Hieronymum ex hoc, quod nemo viribus naturae (ut obtendebant Pelagiani) venalia omnia vitarent, arguere neminem futurum esse, qui illa posset vitare, imo ordinarie loquendo neque cum ordinariis Gratiae auxiliis id posse contingere, an autem ex speciali privilegio id alicui contigerit, nec adfirmat, nec inficiatur, sed rem silentio mittit. Ad secundum dubitatio illa non fuit *infidelitatis*, sed *admirationis*. Ita s. Thomas 3 part. *quaest.* 27 *art.* 4 *ad* 2 laudans Basilium in *epist.* ad Optimum, quae est 317; tum quia liber ille quaestionum veteris, & novi Testam. non est August. foetus, sed potius Anonymi cuiusdam haeretici, ut concors est criticorum sententia. Ad

po-

posterioris difficultatis exemplum primum respondeo, Joannem Baptistam primatum obtinere inter antiqui Testamenti Prophetas, cum id indigitent verba illa Lucae cap. 7, 21, 28: *Maior inter natos mulierum Propheta Joanne Baptista nemo est.* Id autem non evincit in ipso immunitatem ab omni veniali peccato. Ad exemplum secundum dico, inde dumtaxat colligi, Apostolos ob Spiritus sancti illapsum immunes fuisse a peccatis lethalibus, non vero a venialibus; secus s. Joannes illud de se, aliisque Apostolis in Gratia confirmatis non pronunciaret: *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus.*

APPENDIX.

83 *Quaeres I, num fieri possit absolute ex privilegio speciali, ut homo justus ab omni veniali praeservetur per totam vitam.*

Respondetur affirmative, id aperte docente Augustino lib. 2 de peccatorum meritis & remissione cap. 6, ubi ait: *Qui dicunt esse posse in hac vita hominem sine peccato, non est eis continuo incauta temeritate obsistendum. Si enim esse posse negaverimus, & hominis libero arbitrio, qui hoc volendo appetit, & Dei virtuti, vel misericordiae, qui hoc adjuvando efficit, derogabimus. Sed alia quaestio est, utrum esse possit, alia, utrum sit; si a me quaeratur, utrum possit . . . . Confitebor posse per Dei Gratiam, & liberum arbitrium*; tum lib. de spirit. & liter. cap. 1: *Qua ratione aliquid esse posse, cuius tamen exemplum deest, quod nunquam factum est, vel fiet, absurdum tibi videtur, cum, sicut credo, non dubites nunquam esse factum, ut per foramen acus camelus transiret, & tamen ille hoc quoque dixit Deo esse possibile.*

84 *Quaeres II, in quonam consistat privilegium nuspiam peccandi venialiter Deiparae concessum.*

Respondetur, ipsum situm esse partim in fomitis exstinctione, partim in speciali Numinis providentia circa ipsam, partim in Gratiae, ac virtutum perfectione.

85 *Quaeres III, num in aliqua determinata materia concessum dici possit huiusmodi privilegium aliquibus Sanctis.*

Respondetur affirmative. Sic Theologi plurimi existimant, s. Joannem Baptistam ea omnia vitasse venialia peccata, quae solent locutione committi. Narrat s. Gregorius Ma-

gnus de s. Benedicto, carnis rebellionem in eo fuisse sopitam, postquam ad ipsam sedandam inter spinas sese cruenter revolvit, quod quidem privilegium B. Thomae fuisse concessum narrat ipsius legenda Breviario Romano inserta; quem quidem etiam superbiae peccatis non fuisse obnoxium, ex Ecclesiae adprobatione canunt in suis psalmodiis Fratres Ordinis Praedicatorum.

CONTROVERSIA VII

Continens Pelagii sententiam negantem Gratiae necessitatem ad resurgendum a peccato; & oppositum dogma Catholicorum.

86 Quamvis Pelagius, teste Augustino *lib.* de Grat. & libero arbitrio *cap.* 13 *num.* 26, Dei Gratiae peccati remissionem tribuerit (in quo quidem explicando ab omni errore immunis etiam non fuit, ut *num.* 9 jam innuimus) hanc tamen peccantium mundationem ob merita praecedentia peccatorum solis nativis viribus parta a Deo concedi erronee docuit, ut constat ex 12 ipsius propositione in concilio Diospolitano censurae subjecta: quis porro fuerit Ecclesiae sensus, mox exponam.

PROPOSITIO.

Catholicis semper certa haec stetit sententia, quod homines, ut pio, ac salutari conversionis motu resurgant a peccatis, divinae Gratiae adjutorio indigent.

87 Evincitur propositio ex can. 19 synodi Arausicanae II, in quo haec decretorie pronunciantur: *Natura humana . . . . cum sine Gratia Dei salutem non possit custodire, quam accepit, quomodo sine Gratia poterit reparare, quod perdidit?* Hausit autem dubio procul hoc dogma Catholica Ecclesia ex iis scripturae locis, in quibus declaratur, labem, ac maculam ex peccato contractam abstergi non posse sine Gratia, ut psal. 50: *Lava me ab iniquitate mea, & a peccato meo munda me* &c., tum ex iis, in quibus innuitur eam naturae deordinationem, qua humana voluntas per peccatum Deo non remanet subjecta, eam, inquam,

quam, deordinationem auferri non posse, nisi per Gratiam, quae ordinationem priorem restituat, voluntatem humanam conditori suo subjiciendo, ut Ezechiel 36: *Dabo vobis cor novum, & spiritum novum ponam in medio vestri, & auferam cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneum.* Et sane arduum magis est, ac operosum a peccato commisso sese retrahere, quam a peccato committendo abstinere; atqui nequit homo sine Gratia omnino a peccatis abstinere, ut in propositionibus superioribus ostendimus: ergo sine Gratia a peccato jam admisso non poterit homo resilire.

Quod si illud opponant, *Exsurge a mortuis, & illuminabit te Christus*, quod legitur Ephes. 5, indeque colligant, Gratiae illuminationi praerequiri a peccato resurrectionem nativis viribus praestitam, facilis responsio erit, quam adhibet hic s. Thomas quaest. 109 art. 7 ad 9: *Gratiae illuminationis* nomine designari hic Gratiam habitualem, cui certe debet praeire resurrectio a peccato *actualis Gratiae* subsidio comparata.

APPENDIX.

Ut jam monui in superioribus, quae sedem peculiarem in parte secunda non merentur quaestiunculae inter Theologos institutae, suis hic locis tamquam appendices constituentur. Jam vero.

Quaeres I, num solo generali Dei concursu concipi possit dolor aliquis naturalis imperfectus de peccatis.

88 Resp. affirmative. Quia ex doctrina s. Thomae nec recta ratio, nec amor boni honesti exstincta penitus sunt in hominibus per Adae peccatum; quis igitur merito ire possit inficias, hominem posse recto rationis lumine malum a se admissum expendere, tamquam morali honestati contrarium, illudque sic rectae rationi contrarium dolore aliquo imperfecto detestari?

Quaeres II, num homo sine Gratia possit dolere super omnia peccatum dolore sincero, & naturali.

89 Resp. negative. Responsio optime deducitur ex *num.* 87, tum etiam ex iis, quae in parte secunda scholastica dicemus de Gratiae necessitate ad dilectionem naturalem Dei super omnia.

CON-

CONTROVERSIA VIII.

Utrum homo justus possit in bono perseverare sine Gratiae auxilio, ut Pelagianis, ac Semipelagianis visum est; an potius ad id Gratiae beneficium requiratur, ut Catholicorum semper judicium fuit.

90 Pelagium in eo etiam versatum fuisse errore, quod homo, viribus a creatione insitis in bono possit perseverare, docent Hieronymus *lib.* 2 contra Pelagianos, & Augustinus *lib.* de perfectione justitiae, tum etiam *lib.* de haeresibus, haeresi 88. In hanc etiam abiisse sententiam Semipelagianos liquida res est legenti Cassianum *lib.* 13 *cap.* 14. Catholicis autem contrarium semper visum esse, mox ostendemus.

91 Interim illud notare juvat, perseverantiam hic sumi pro quadam in statu Gratiae continuatione. Haec porro duplex est; prima ad aliquod tempus, altera ad finem usque vitae, quae quidem *absoluta* dicitur. Haec ab Augustino sic definita legitur in lib. de dono perseverantiae cap. 10: *Gratia, qua usque in finem perseveratur in Christo; finem autem, quo ista vita finitur, in qua tantummodo periculum est, ne cadatur.* Perseverantia ista finalis subdividitur in activam, & passivam; activa est ipsa continuatio Gratiae finalis cum actibus meritoriis conjuncta, de qua loquitur Augustinus *lib.* de correptione, & Gratia *cap.* 12, tum etiam s. Thomas hic *quaest.* 109 *art.* 10. Passiva vero est Gratiae habitualis unio cum morte, ut quae pueris statim a Baptismate suscepto morientibus contingit, necnon adultis in justitia constitutis ex hac vita migrantibus. De hac etiam agit s. Thomas loco mox laudato.

92 Alterum hic observandum illud est, quod, dum Theologi de finali perseverantia agentes *specialis auxilii* vocabulum usurpant, ipsius nomine vel potest intelligi Gratia exterior, seu singularis Dei protectio, qua vel peccandi pericula avertuntur, vel mors conjungitur cum statu Gratiae, vel potest intelligi Gratia interior ab habituali omnino distincta, necnon a communibus Gratiae auxiliis, qua in accepta justitia finaliter quis perseverat.

Jam vero inter Catholicos, quamvis omnes adfirment, perseverantiam finalem esse speciale Numinis donum, tamen non omnes in hoc explicando conveniunt. Nonnulli

enim

enim etiam ex Tridentini concilii Theologis, ut Vega, aliique pauci docuerunt, donum huiusmodi a Gratia habituali non esse distinctum, ubi agatur de perseverantia finali ad breve tempus, utique vero si de perseverantia finali ad tempus diuturnum. Contra vero sentiunt reliqui communiter Theologi, finalem perseverantiam esse speciale Dei donum complectens tum externam Dei protectionem, tum Gratiam interiorem a Gratia habituali, & reliquis ordinariis Gratiae auxiliis distinctam, idque sive ad breve tempus, sive ad diuturnum.

PROPOSITIO.

Ea semper Catholicae Ecclesiae sententia fuit contra Pelagianos, & Semipelagianos, quod finalis perseverantia tum parvulorum, tum adultorum ita divinae Gratiae debeatur, ut merito dicenda sit donum Numinis speciale.

93 Evincitur prima pars, videlicet parvulorum perseverantiam finalem speciale esse Dei donum, ex Ecclesiae doctrina, & pluribus Patrum testimoniis, & potissimum Cypriani, & Augustini. Primus enim *lib.* de mortalitate docet, singulare illud Gratiae beneficium, quod adulti per mortem peccandi periculo subtrahuntur, commune etiam esse parvulis ex hac vita immature decedentibus: addit enim, *quia periculum lubricae aetatis evadunt.* Locum hunc exscribit Augustinus lib. de Praedestinat. Sanctorum cap. 14, disertius lib. de dono perseverantiae cap. 17 num. 41, inquiens: *Videte, a veritate quam sit alienum negare donum Dei esse perseverantiam, usque in finem huius vitae, cum vitae huic, quando voluerit, ipse det finem . . . Sed mirabilior . . . . largitas bonitatis Dei est, quod etiam parvulis . . . . datur haec Gratia.* Hoc autem dogma hauserant dubio procul Patres laudati ex sacris literis, potissimum ex versu 11 cap. 4 lib. Sapientiae, ubi legitur: *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius, aut ne fictio deciperet animum illius, . . . propter hoc properavit educere illum de medio iniquitatum.*

94 Evincitur secunda pars frequentibus Augustini testimoniis scripturae loca, in quibus hoc fidei dogma stabilitur, explicantis. Sic in illud Philipp. 1: *Vobis donatum*

est

est pro Christo, non solum ut credatis in eum, verum etiam ut patiamini pro eo; haec addit lib. de dono perseverantiae cap. 2: *Horum unum pertinet ad initium, alterum ad finem, utrumque tamen Dei donum est*; similiter in verba illa Jeremiae 32; *Timorem meum dabo in cor eorum, ut a me non recedant*; haec alia scribit ibidem: *Quod quid est aliud, quam talis, ac tantus erit timor meus, quem dabo in cor eorum, ut mihi perseveranter adhaereant?* tum lib. eodem cap. 7 totus est, ut ex oratione Dominica donum Dei esse speciale finalem perseverantiam demonstret, quod quidem etiam diserte exponit lib. de correptione, & Gratia cap. 60 his verbis: *Negare non possumus etiam perseverantiam in bono perficientem usque in finem, magnum esse Dei munus, nec esse nisi ab illo, de quo scriptum est Jacobi 1 Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum.*

95 Quae porro Augustini mens fuit, haec etiam fuit Romanorum Pontificum, atque conciliorum, ut liquet legenti Innocentium I in epistola ad concilium Carthagiginiense, Caelestinum in epistola ad Episcopos Galliae cap. 9, Gregorium Magnum lib. 23 moralium cap. 28; tum etiam epistolam synodicam Carthaginiensis concilii II ad Innocentium I, & can. 10 concilii Arausicani II, in quo haec decretorie pronunciantur: *Adjutorium Dei etiam renatis, ac sanctis semper est implorandum, ut ad finem bonum pervenire, vel in bono possint opere perdurare.* Quocirca Tridentinum, ut eadem cum primaevis conciliis vestigia premeret, can. 16 sess. 6 perseverantiam finalem *magnum donum* appellat; & can. 22 anathema dicit sentienti, *sine speciali auxilio Dei in accepta justitia posse justificatum perseverare.*

96 Hoc autem totum ratione Theologica firmari potest. Deus enim solus est & Gratiae conservandae dominus, & mortis cum Gratia conjungendae; ei itaque soli tribuenda est finalis perseverantia, quae nihil est praeter mortis conjunctionem cum Gratia sanctificante.

Responsiones ad objecta.

97 Opponitur 1. Damnatae sunt a Pio V, & Gregorio XIII propositiones sequentes: *Liberum arbitrium sine Gratiae Dei adjutorio nonnisi ad peccandum valet. Pelagianus error est dicere, quod liberum arbitrium valeat ad ullum pecca-*

peccatum vitandum: ergo liberum arbitrium ad peccata vitanda, ac proinde ad conservandam Gratiam sanctificantem, eamque cum morte conjungendam non indiget novo perseverantiae finalis auxilio. Respondetur ex huiusmodi propositionum damnatione non tam peti Catholicum dogma de necessitate Gratiae ad perseverantiam finalem, verum etiam alterum fidei caput de Gratiae necessitate ad graves tentationes vincendas, & ad actus salutares eliciendos. Hinc, concesso antecedenti, sensu ab Ecclesia intento in iis propositionibus damnandis, nimirum quod inde inferatur semper hominem peccare, dum quidpiam agit sine Gratiae adjutorio, negatur consequentia. Cum enim ea sit hominum infirmitas, ut nequeat sine Numinis beneficio in bono ad finem usque perseverare, peculiaris requiritur Dei protectio, qua homines caveant peccata, atque in bonis propositis constantes moriantur, quae quidem protectio *doni perseverantiae* vocabulo designatur, vel si nolis hac niti ratione, hanc aliam excipe, quod nempe perseverantia finalis, cum juxta phrasim Scripturae, & Patrum sit donum speciale, impar est liberum arbitrium ad statum Gratia cum morte conjungendum.

Opponitur 2. Nullo in subsidium advocato speciali perseverantiae dono, posse hominem justificatum illico mori, ac proinde finaliter perseverare, &c. Resp. negando antecedens. Uti enim nasci ex parentibus Christianis specialis est Numinis Gratia, ita etiam illico mori post justificationis Gratiam susceptam.

Instant moleste. Non requiritur Gratia specialis a reliquis supernaturalibus auxiliis distincta, ut quis in Gratia ad tempus diuturnum perseveret: ergo neque ut quis brevissimo tempore in statu Gratiae ita perseveret, ut vitae finem claudat justificatus. Responderi potest I negando anteced. Communis enim gravium Theologorum sententia est, non posse hominem lapsum ad longum tempus in Gratia perseverare, & a peccato abstinere sine speciali Numinis Gratia, id insinuante Hieronymo epist. ad Ctesiphontem iis verbis: *Non mihi sufficit, quod semel donaverit, nisi semper donaverit.* II, permisso anteced. negatur consequentia. Disparitas est, quia in potestate est arbitrii humani ordinariis Gratiae auxiliis suffulti in bono ad tempus diuturnum perseverare, at in eius non est potestate ita causas naturales disponere, ut mors eo tempore accidat, quo quis in bono perseverat, nisi velimus donum perseveran-

tiae finalis notis peculiaribus a sacris scriptoribus celebratum, in sola fortuita, ac casuali mortis cum Gratia conjunctione constituere. Quod si quis adhuc urgeret aiendo, hominem in statu Gratiae jus habere ad gloriam, & consequenter jus habere, si moritur, ad vitam aeternam, facilis, & obvia responsio erit, inde non inferri, jus homini inesse, ut in Gratia conservetur finaliter, ac proinde ita moriatur, ut e vivis excedat cum jure ad gloriam: cum enim homo versatilis sit e bono in malum, quod ita bonum amplectatur, ut in eo proposito moriatur, specialis est Dei dilectio.

98 Opponitur 3. Ideo aliqui non perseverant, quia nolunt juxta August. *lib.* de correptione & Gratia *cap.* 7: ergo ex parte Dei perseverantia finalis justis omnibus datur: tribuuntur enim auxilia ordinaria, quibus perseverare possint, si velint: ergo non est Gratia specialis.

Resp. conc. antec. neg. consequentiam. I, quia, cum homo obicem voluntarie ponat collationi Gratiarum, quibus efficit Deus, ut recta velit; hinc & verum est aliquos non perseverare, quia nolunt, & perseverantiam finalem donum esse ab auxiliis ordinariis seiunctum.

II Ex eo, quod quidam non perseverent, quia nolunt, non sequitur perseverantiam finalem omnibus concedi, quia illi, quibus conceditur, certe velle debent, ut perseverent, quod autem velint, Dei profecto beneficium est omnino singulare: nam Deus juxta Apostolum *operatur in eo velle, & perficere pro bona voluntate.*

Demum vellem, id mihi adversarii explicarent, quomodo pueri sine Baptismo decedentes careant finali perseverantia, quia nolunt; quemadmodum ergo isti hoc orbantur beneficio, quia labe originali polluti sunt, ita Deus idem beneficium largiri non tenetur iis, qui obicem posuere Gratiis, quibus semper bene operantes finalem perseverantiam sola gratuita Dei miseratione obtinuissent.

99 Opponitur 4. Inexscusabilis est homo ad vitae finem in bono non perseverans: ergo eidem potentiam inesse dicendum est ad finaliter perseverandum: ergo &c. Resp. concesso anteced. distinguendo primum consequens: ergo eidem potentia inest ad perseverandum finaliter quoad negativum, quod perseverantia finalis involvit, nimirum quoad obicem non ponendum Gratiae per aliquod peccatum lethale. Concedo consequentiam. Potentia efficax,

& quoad positivum, quod in finali perseverantia involvitur, videlicet quoad conjunctionem Gratiae cum morte. Nego consequentiam. Responsio est D. Thomae quaest. 24 de verit. art. 13 in corp., ubi inquit: *Aliud est dicere posse abstinere a peccato, & posse perseverare usque ad finem vitae in abstinentia a peccato. Cum enim dicitur aliquis posse abstinere a peccato, potentia fertur supra negationem tantum, ut scilicet aliquis possit non peccare; & hoc potest quilibet in Gratia exsistens, loquendo de peccato mortali, quia habenti Gratiam inest aliqua habitualis inclinatio ad vitandum peccatum. Et ideo quando occurrit ei aliquid sub ratione peccati mortalis, ex habituali inclinatione dissentit ab illo, nisi in contrarium nitatur, concupiscentias sequendo; quas tamen non necesse habet sequi . . . . Sed cum dicitur, iste potest perseverare usque ad finem vitae in abstinentia a peccato, potentia fertur ad aliquid affirmativum, ut scilicet aliquis ponat se in tali statu, quod peccatum in eo esse non possit . . . . Hoc autem non cadit sub potestate liberi arbitrii, quia virtus motiva exsequens ad hoc non se extendit. Et ideo homo causa perseverantiae sibi esse non potest, sed necesse habet perseverantiam a Deo petere.* Hoc autem totum exemplo fit obvium. Si Deus exempli caussa velit in aeternum hominem justum in hac vita conservare, in eodem relinquendo potentiam ad peccandum, sed interim decernens nuspiam eiusdem peccatum permittere; iste profecto nuspiam peccaret, & tamen quia potens peccare, ideoque ad peccandum, & non peccandum indifferens, esset etiam ad perseverandum, vel non perseverandum indifferens, quin tamen integrum perseverantiae donum haberet, eo quod nuspiam in eo statu a Deo collocaretur, in quo non posset peccare.

Ast hic moras nobis injiciunt adversarii, aientes, quod si positum non est in hominis arbitrio actu finaliter perseverare sine speciali Numinis beneficio, nec erit in Dei potestate idem donum perseverantiae auferre; atqui istud apud Catholicos male audit: ergo. Probatur maior. Ideo primum; quia licet in hominis potestate sit a peccatis vacare; in eius tamen potestate non est huiusmodi culpae carentiam cum morte coniungere, ac se ipsum in eo statu collocare, in quo nequeat amplius peccare; atqui pariter, quamvis in Numinis potestate sit mors; tamen quod ipsa cum abstinentia a peccatis jungatur, non

in

in eius, sed in nostra est positum potestate, cum huiusmodi abstinentia, ut liberi arbitrii effectus ab humana pendeat voluntate: ergo. Haec tamen argutia insulsitatis plenissima negotio nullo revincitur; nam ad huiusmodi argumentum negamus mai., ad cuius probationem conc. mai., distinguo minorem. Huiusmodi abstinentia ab humana pendet voluntate, praeparata a Deo praestante, ut abstineat. Conc. min. In alio sensu. Nego minor., & consequentiam Itaque libera carentia culpae est a nostra voluntate, sed supponit etiam Dei determinationem, qua fiat, ut de facto velit humanum arbitrium a peccatis vacare; ex qua porro Dei determinatione, si supponatur conjuncta cum decreto gloriam conferendi, fluit etiam decretum jungendi voluntariam carentiam peccati cum morte; quo fit, ut a Deo habeatur determinatio & ad carentiam peccati, & ad ipsam cum morte jungendam. Ex adverso creatura, quamvis se determinet ad abstinentiam a peccato in sensu explicato, tamen Deum non determinat, ut peccati carentiam conjungat cum morte; unde illud fluit certissimum consectarium, perseverantiae donum Deo deberi, non viribus naturae.

Corollaria.

100 Ex hoc autem Catholico dogmate illud 1 inferre licet contra Duallium, aliosque, perseverantiae donum speciale iis etiam esse necessarium, qui ad breve tempus finaliter perseverant: nullo occurrente praecepto observatu difficili, nullaque urgente gravi tentatione. Probatur; quia effectus providentiae specialis infallibiliter connexus cum gloria in quibuscumque reperiatur, est aliquid distinctum ab iis auxiliis ordinariis, quae tum electis, tum reprobis communia sunt; atqui perseverantia finalis, in iis etiam adultis, qui statim post justificationem moriuntur, est effectus providentiae specialis infallibiliter connexus cum gloria: ergo. Tum quia huiusmodi hominum perseverantia fluit ex speciali Numinis proposito sic res omnes disponentis, ut in finalem perseverantiam conspirent, quapropter rapti sunt praemature, ne intellectus eorum fictione, ac malitia mutaretur, eorumque in malum versatile arbitrium gravibus tentationibus, quae irruissent, occumberet; quapropter aiebat s. Augustinus lib. de dono

perseverantiae cap. 1: *Hanc certe, de qua nunc agimus, perseverantiam usque in finem, nullo modo habuisse dicendus est, qui non perseveraverit usque in finem; potiusque hanc habuit unius anni fidelis, & quantum infra cogitari potest, si donec moriatur, fideliter vixit; quam multorum annorum, si exiguum temporis ante mortem a fidei stabilitate defecit.*

101 Inferendum 2. Donum illud speciale finalis perseverantiae non esse solam Gratiam habitualem cum reliquis ordinariis Gratiae auxiliis. Probatur; quia huiusmodi perseverantia est donum, quo quis actu in finem certo, & infallibiliter perseverat juxta doctrinam Augustini de dono perseverantiae cap. 6, sic aientis; *De illa enim perseverantia loquimur, qua perseveratur usque in finem, quae si data est, perseveratum est usque in finem, si autem non est perseveratum usque in finem, non est data.* Atqui donum huiusmodi tum a Gratia sanctificante, tum ab ordinariis Gratiae auxiliis debet esse distinctum, cum istis praediti frequenter a bono in ipso vitae exitu declinent: ergo. Hac de re justi etiam a Deo petunt finalem perseverantiam, Dominicae orationis comma illud frequenter proferente *Adveniat regnum tuum*, & passim debent implorare, ut definit Arausicanum II *can.* 10, quae profecto oratio inutilis foret, si perseverantia non esset a Gratia habituali distincta: ut quid enim petas, quod jam obtines? Horum autem omnium ratio inde est repetenda, quod, ut optime docet s. Thomas 3 contra gentes *cap.* 155, omne, quod de se est variabile, ad hoc, quod figatur in uno, indiget auxiliis unius moventis immobilis; homo autem variabilis est de bono in malum; ad hoc igitur, ut immobiliter perseveret in bono, indiget auxilio divino; & 2 2 quaest. 137 art. 4: *Indiget homo non solum Gratia habituali, sed etiam gratuito Dei auxilio conservantis hominem in bono usque ad finem vitae . . . quia quum liberum arbitrium de se sit vertibile, & hoc ei non tollatur per habitualem Gratiam praesentis vitae, non subest potestati liberi arbitrii etiam per Gratiam reparati, ut se immobiliter in bono statuat, licet sit in potestate eius, quod hoc eligat. Plerumque enim cadit in nostram potestatem electio, sed non exsecutio.*

102 Inferendum 3. Finalem perseverantiam constituendam non esse in auxiliis sufficientibus, quibus possint omnes

omnes ad finem usque vitae perseverare; sed quia non omnes iis bene utuntur, non omnes actu perseverant. In hac, inquam, Gratia sufficienti statuenda non est perseverantia finalis: tunc enim non Deus hominem, sed homo se ipsum discerneret, contra illud Apostoli 1 Cor. 4: *Quis te discernit?* Necnon illud sequeretur incommodum, a Deo esse potentiam ad perseverandum; a nobis autem actualem perseverantiam, quae melior est potentia ad perseverandum; unde nobis melius, Deo deterius tribueretur, quod passim Pelagianis opponebat Augustinus.

103 Inferendum 4. Donum perseverantiae finalis consistere materialiter in complexu Gratiae, & mortis; formaliter vero saltem pro adultis partim in aliquo exteriori, partim in aliquo interiori justo perseveranti. Exterius enim involvit specialem Numinis protectionem, qua ita ex intentione efficaci dandi gloriam omnia disponuntur, ut finis vitae hominem in Gratia constitutum reperiat, interius autem in collatione plurium auxiliorum, quibus ita vitentur peccata, & justitia ad tempus diuturnum finaliter conservetur; vel pro iis, qui statim post justitiam acceptam moriuntur, ut mors ita acceleretur, unde contingat mortis cum Gratia conjunctio. Pro parvulis nihil involvit praeter specialem illam Dei directionem, qua efficaciter disponitur mortis eventus, ut ista contingat, antequam Gratia possit amitti.

104 Inferendum 5 contra plures Augustinianos, donum illud speciale tum Adae in statu innocentiae, tum Angelis, qui perseverarunt, fuisse necessarium. Probatur ex Augustino in Enchiridio cap. 106 sic aiente: *Etsi peccatum in solo libero arbitrio erat constitutum; non tamen justitiae retinendae sufficiebat liberum arbitrium, nisi participatione immutabilis boni divinum adjutorium praeberetur;* cui concinit s. Thomas hic quaest. 109 art. 1 ad 3, ubi ait: *Homo in primo statu accepit donum, per quod perseverare posset; non autem accepit, ut perseveraret.* Huius autem rei ratio haec est, quod & Angelorum, & Adae in statu innocentiae liberum arbitrium versatile erat e bono in malum; ut igitur ita in bono constituerentur, ut illud infallibiliter ad datum usque terminum retinerent, ulteriori, ac speciali auxilio indigebant. Tum quia donum hujusmodi est effectus providentiae specialis: ergo non

 debet

debet esse commune etiam huiusmodi providentia speciali non addictis: ergo aliud fuit donum bonis Angelis collatum, aliud malis: ergo &c. Quod idem dic de Ada, qui, cum a justitia originali exciderit, quam tamen boni Angeli iservarunt, satis ostendit, dono illo speciali non fuisse insignitum, (quoad justitiae originalis conservationem) quod fuit bonis Angelis collatum.

105 Inferendum 6. Neminem mereri de *condigno* donum perseverantiae; ut enim docet Augustinus lib. de dono perseverantiae cap. 13: *Et inchoandi, & usque in finem perseverandi Gratia ..... non secundum merita nostra datur.* Ut igitur nemo jus habet ad primam Gratiam, ita nec ad ultimam; tum quia ex Apostolo Philipp. 2: *Cum metu, & tremore salutem nostram operari debemus; Deus est enim, qui operatur in nobis & velle, & perficere pro bona voluntate.* Si igitur precibus, ac metu salutari impetrandum est huiusmodi perseverantiae donum, illud certe ex *condigno* debitum nobis non est. Quamvis autem de *condigno* illud mereri non possimus; possumus tamen illud de *congruo* mereri, mediis scilicet orationibus, obsecrationibus, aliisque pietatis operibus, quibus assidue, atque indefesse vacantes nihil in nobis admittamus, quod summam Dei clementiam a nobis avertat, hoc insinuantibus verbis illis Matth. 26: *Vigilate, & orate, ut non intretis in tentationem.* Vigilate itaque omni tempore orantes, ut digni habeamini fugere ista omnia, quae futura sunt, & stare ante Filium hominis; tum etiam aliis 2 Petri 1: *Magis satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem, & electionem faciatis.*

CON-

CONTROVERSIA IX

Continens Ecclesiae sententiam de hominis ineptitudine, ut sese erigat ad Gratiam sine eiusdem adjutorio; cum opposito errore Pelagianorum, & Semipelagianorum.

106 Constat Pelagianos ex divo Augustino *tom.* 10 *pag.* 489 novissimae editionis; impie docuisse, Gratiae collationem non juxta Dei beneplacitum impendi, sed tamquam mercedem tribui meritis a natura comparatis: quatenus nempe Gratiam, qua in ordine supernaturali homo constituitur, propriis nativis viribus, bonoque arbitrii usu promeretur. Semipelagiani, etsi nollent Gratiam omnem a nobis posse comparari bonis actibus ex proprii arbitrii fundo provenientibus; censebant tamen bonis vitae initiis, piis aliquot conatibus sola naturali virtute elicitis mereri hominem fidem, aliasque gratias, quibus postmodum gratias uberiores mereri posset ad agendum meritorie pro vita aeterna, ut ostendimus in historia Semipelagianorum prolegomen. II. Jam vero, quid contra senserit Ecclesia, paucis aperiemus.

PROPOSITIO.

Haec fides semper in Ecclesia fuit, non posse hominem viribus nativis sese ad Gratiam obtinendam praeparare, ac disponere; unde Gratia meritis nostris naturalibus, ac proinde sine supernaturali adjutorio elicitis non confertur.

107 Evincitur I propositio. Quia illud contra Pelagianos saepissime urget Augustinus; quod si *Gratia est ex operibus*, idest, si ea nativis viribus debetur ob bonum arbitrii usum, *jam Gratia non est Gratia*, quod quidem hausit ab Apostolo Romanor. 4, cuius sunt pariter ibidem haec alia verba: *Quis prior dedit illi, & retribuetur ei?* Atqui si quis sine Gratia possit Gratiam promereri, jam aliquis prior daret Deo; unde ab isto aliquid Gratiae deberet retribui: ergo. Alterum afferebat etiam Augustinus, nempe quod cum homo per Gratiam veniat ad Patrem, ad eum venire nequit nisi per Filium, hoc

docente Christo Domino in sacris literis: *Nemo venit ad Patrem, nisi per Filium*; atqui si quis Gratiam mereatur ex solis naturae viribus, fallit haec regula: ergo &c. Faciunt huc etiam verba illa Ezechielis 36: *Haec dicit Dominus Deus, non propter vos ego faciam, sed propter nomen sanctum meum*; Ephes. 2: *Gratia estis salvati per fidem, & hoc non ex vobis; Dei enim donum est, non ex operibus, ut ne quis glorietur*; & 2 ad Timoth. 1: *Nos . . . . . vocavit vocatione sua sancta non secundum opera nostra, sed secundum . . . . Gratiam, quae data est nobis ex Christo Jesu.* Quae quidem omnia palam evincunt, Gratiam Dei nullatenus meritis nostrorum operum naturalium tribui; hinc Ecclesia his innixa testimoniis errori contrario semel, iterumque anathema dixit. Quod ut ostendam

108 Evincitur 2 propositio: teste D. Augustino epist. 186. in synodo Diospolitana damnatus est hic error Pelagii: *Gratia Dei secundum merita nostra datur*; concilium Arausicanum II hunc can. in ordine 6 edidit: *Si quis sine Gratia Dei credentibus, volentibus . . . . . conantibus . . . pulsantibus, nobis misericordiam dicit conferri divinitus; non autem ut credamus, velimus, vel haec omnia, sicut oportet, agere valeamus per infusionem, & inspirationem sancti Spiritus in nobis fieri confitetur, & aut humilitati, aut obedientiae humanae subjungit Gratiae adjutorium, nec ut obedientes, & humiles simus, ipsius Gratiae donum esse consentit, resistit Apostolo dicenti: Quid habes, quod non accepisti? Et Gratia Dei sum id, quod sum*; tum hunc alium confecit num. 25: *Hoc salubriter confitemur, & credimus, quod in omni opere bono non nos incipimus, & postea per Dei misericordiam adjuvamur; sed ipse nobis, nullis praecedentibus meritis bonis, & fidem, & amorem sui ipsius inspirat.* Id ipsum luculenter confirmavit synodus Tridentina *sess.* 6 *cap.* 5; quae omnia satis demonstrant quae fuerit in hac re Ecclesiae sententia; quam quidem, etsi non suppeterent alia, declarat aperte Augustinus ita inquiens lib. de peccato originali cap. 24: *Spiritus, ubi vult, spirat, non merita sequens, sed etiam ipsa faciens merita.* Vide etiam D. Prosperum *carm.* de ingratis *cap* 25; Fulgentium *lib.* de Gratia Christi *cap.* 18, aliosque apud Theologiae dogmaticae tractatores; quos secutus s. Thomas Pelagianismum sapere adfirmavit quodlibeto 1 art. 7 sententiam docentem: *Hominem posse se ad Gratiam praeparare sine Gratia.*

109

109 Evincitur 3 ratione theologica. I, quidquid ordinis naturalis est nullam habet ad Gratiam habitudinem; merita igitur naturalia nullatenus possunt ad Gratiam disponere. II, ut arguit Augustinus *lib.* de Praedest. Sanctorum *cap.* 15. Christus est lumen Praedestinationis, & Gratiae; uti igitur, nullo humanitatis suae merito praecedente, natura ipsius humana fuit a verbo assumta; ita, nullo praecedente nostro merito, Gratiae donum nobis derivatur.

Quaeres, an possit defendi sententia Molinae, Alphonsi a Castro, Durandi, aliorumque sentientium, merita naturalia posse esse saltem occasionem quamdam, motivum quoddam, unde Deus excitetur ad Gratiam conferendam, & an eo sensu intelligi possit axioma illud apud Theologos vulgatum: *Facienti, quod in se est, Deus non denegat Gratiam.*

110 Respondetur negative, & probatur iisdem omnino argumentis, quibus hanc thesim Catholicam comprobavimus. Nam nulla est proportio inter actus naturales, & Gratiam supernaturalem: ergo nequeunt merita naturalia esse motivum, occasio, qua Deus moveatur ad Gratiam conferendam. II, si per hoc, quod homo recte naturaliter agat, Deus confert Gratiam, jam donum istud ex aliquo dono confertur, non ex liberalitate, ac proinde non erit *Gratia.* III, ut arguit Augustinus lib. 1 de peccator. meritis, & remissi. cap. 22: *Videmus plerosque in infidelitate, aut haeresi satis modeste, ac laudabiliter viventes, quibus conversionis Gratia minime confertur, cum e contra sceleratis pluribus conferatur*: ergo quaevis ad conversionem dispositio a solo pendet Numinis arbitrio, a nullo pacto, a motivo nullo, quod a fundo naturalis virtutis oriatur; quotquot enim salvamur, *non ex nobis salvamur, non ex operibus justitiae, quae fecimus nos, sed secundum misericordiam suam; solus enim Deus nos discernit: in solo Deo gloriari possumus*, ut Apostoli verba adoptemus. IV demum vel illa opera naturalia nos ad Gratiam suo modo disponentia sunt aliqui virtutum actus vulgares, vel insigniores, vel totius legis naturalis observantia. Si I quare *qui oderit avaritiam, luxuriam detestetur*, ut verbis utar Augustini lib. & cap. mox laudato, *tamen eo loco non sit, ubi ei praedicari possit Gratia Christiana . . . . . . alius facinoribus coopertus, audiat, credat, baptizetur?* Si II hujusmodi actus sunt, e. c., dilectio Dei super omnia,

&

& aliqui actus heroici; at istas actiones sine Gratia elici non posse partim constat ex controversiis anterioribus, partim manifestum fiet ex testimoniis D. Augustini in controversia 2 dissert. de Baianismo referendis, partim ex dissert. 1 partis 2 scholasticae. Sic III constat pariter ex dictis in hac dissertatione contra Pelagium, legem naturalem quoad omnia praecepta impleri non posse sine Gratia: ergo ab imo suffoditur hoc commentum. Quare axioma laudatum sic commode poterit explicari cum D. Thoma lect. 3 in cap. 10 epist. ad Romanos: *Hoc ipsum, quod aliqui faciunt, quod in se est, convertendo se scilicet ad Deum, ex Deo est movente corda ipsorum ad bonum, secundum illud Threnorum 5: Converte nos, Domine, ad te, & convertemur.* Quod etiam dixerat 1 2 *quaest.* 109 *art.* 6 ad 2.

Corollaria.

111 Ex his illud I deducimus, non posse hominem sine Christi Gratia sperare, sicut oportet, in ordine ad salutem aeternam. Quum enim ex Apostolo Hebraeor. 11: *fides sit sperandarum substantia rerum*, si fides haberi nequit sine Gratia, ut ostendimus controversia 2 huius dissert., profecto nec spem aliquis habere potest, cum spes versetur circa illa, quae divina fide credimus.

112 Deducimus 2. Actus adtritionis, qui ad conversionem, ac poenitentiam disponant, elici non posse sine Gratia. Adtritio enim involvit dolorem de peccatis admissis ex timore Numinis offensi, cum proposito nullam amplius culpam lethalem admittendi, necnon fiducia, ac spe veniae impetrandae; igitur in huiusmodi actu involvitur fides divinae iustitiae, tum etiam spes obtinendae veniae; atqui fides, ac spes non habentur sine Gratia: ergo. Propositum autem illud, cum fide, ac spe tamquam motivo innitatur, eiusdem erit ordinis ac motivum suum; unde erit etiam ordinis supernaturalis, ac proinde Gratiae adjutorio elicitum. Unde merito Tridentinum *sess.* 14 *cap.* 4 definit, adtritionem mox a nobis explicatam esse donum Dei ex impulsu Spiritus sancti moventis.

113 Deducimus 3. Deum solum esse caussam Gratiae principalem. Quum enim ex dictis constet, nullam esse proportionem inter naturam creatam, & id, quod ordinis

nis est supernaturalis; Gratia autem utpote elevans creaturam ad agendum in ordine supra eiusdem nativas vires posito, ac proinde *supernaturaliter* profecto ab Auctore supernaturali tamquam a caussa principali dumtaxat produci potest.

DISSERTATIO II

Continens Catholicae doctrinae collationem cum haeresi Semipelagiana.

114 Quid senserint Semipelagiani, pluribus significavimus in prolegomen. II, dum historiam Semipelagianismi referebamus: juvat nunc praecipuos ipsorum errores dogmatice confutare. Horum autem summa haec erat, quod etsi originis labe contra Pelagium humanum genus infectum vellent, quamvis Gratiae necessitatem a bonis actibus non excluderent; aliquod tamen salutis initium, ac semen libero arbitrio nativae virtuti relicto tribuebant. Quare primos aliquos naturae conatus, eosque pios, ac bonos admittebant, qui fidem praevenirent: unde ii bonae voluntatis motus fidei initium ab eisdem vocabantur, promovente postmodum Deo, ac perficiente fidei dono pia haec naturae sese ad Deum convertentis exordia. Porro, ut monui in tractatu de Praedest. *num.* 22, Semipelagiani duos ordines constituebant; alii enim severiores pia illa naturalia desideria ad cuiusvis boni operis initium admittebant; alii molliores dumtaxat ad fidei initium. Eos tamen hic una omnes dispungemus, quia omnes ex aequo Gratiam sustulerunt ad fidei initium; qui enim pios motus ad alia pietatis opera Gratiam praecedentes admiserunt, eos in controversia 9 anteriori satis oppugnatos, falsique convictos existimaverim; tum etiam in *num.* laud. tract. de Praedest. Erat & aliud Semipelagianorum commentum; ipsorum quippe sententia erat ad, Gratiam conservandam, idest ad perseverandum etiam ad finem usque vitae in bono, vel naturae vires, vel Gratiam semel habitam sufficere. Verum quia pravum hoc dogma Pelagianis commune differt. anteriori confutatum jam fuit, operam nostram

stram in eo dumtaxat constituemus, ut primum, ac capitalem Semipelagianorum errorem contrarium Catholicae doctrinae ostendamus, meritoque esse ab Ecclesia damnatum. Quare sit

CONTROVERSIA UNICA.

In qua exponitur Ecclesiae doctrina constanter a Patribus adserta contra Semipelagianos fidei initia bonis naturae conatibus tribuentes.

PROPOSITIO.

Semipelagianis docentibus fidei initium a nobis esse, non a Gratia pia voluntatis desideria praeveniente, contraria semper fuit Catholicorum sententia fidei initium Gratiae beneficio tribuentium.

115 Propositio haec ad liquidum melius, ut arbitror, perduci nequit, quam integra, ac fideli collatione eorum dogmatum, quae in scriptis Semipelagianorum occurrunt, cum iis Patrum sententiis, vel Pontificum, aut Conciliorum decretis, quae in caussa Semipelagiana vulgata fuerunt. Rem autem ordior a Fausto inter Semipelagianos facile principe, quidquid pro eius vindiciis scripserint nonnulli Catholici auctores; quos tamen saniores critici suggillant, ut card. Norisius in hist. Pelagiana, & Hyacinthus Serry in suo opere, cui titulus *Augustinus vindicatus*, quos adire poterit, qui omnia ad rem hanc pertinentia cupiat edoceri; rem, ut dicebam, ordiar a Fausto, cuius sunt haec verba: *Sermo divinus*, sub initio cap. 1 lib. 1 de libero arbitrio, *illi objici non potest, qui non de solo labore praesumit, sed conatibus suis quotidianam Dei misericordiam, & Gratiam implorandam esse cognoscit, & auxilium Domini pervigili obsecratione deposcit*; cap. 17: *Ita se duo ista conjungunt attrahentis virtus, & obedientis affectus: quomodo si aeger aliquis assurgere conetur, & facultas animum non sequatur; & propterea sibi porrigi dexteram deprecetur. Clamat voluntas, quia sola per se elevari nescit infirmitas; ita Dominus invitat volentem, adtrahit desiderantem, erigit adnitentem*; & cap. 8: *Quum venitur ad Baptismum*,

sanum, prius accedentis voluntas inquiritur, ut regenerantis Gratia subsequatur. Quibus consonant, quae de huius auctoris sententia scripsit Joannes Maxentius, responsione ad epist. Hormisdae: *Faustus novae pravitatis apostolus Gratiam secundum meritum fidei, & laboris dari nititur edocere, ut jam sic Dei Gratia non sit Gratia*; tum refert ex eodem Fausto: *Bonum credulitatis, ac proinde fidem esse omnibus inditam cum ratione, & voluntate; per naturalem vigorem absque Gratiae adjutorio multos etiam ante adventum Domini fuisse salvatos* &c.; similia legas apud Cassianum Semipelagianismi adsertorem non vulgarem; scribit enim collat. 13 cap. 8: *Quum in nobis ortum quemdam bonae voluntatis inspexerit* (intellige Deus) *illuminat eam confestim, atque confortat, & incitat ad salutem, incrementum tribuens ei, quam nostro conatu viderit emersisse*; & cap. 11: *Si Gratia Dei semper inspirari bonae voluntatis principia dixerimus, quid de Zachaei fide, quid de latronis pietate dicemus, qui desiderio suo vim quamdam regnis caelestibus inferentes specialia vocationis monita praevenerunt?* Exstant & alia capp. seqq., quae nunc piget recitare. His enim testimoniis contenti sumus, cum sufficiant ad institutum.

116 Jam vero quid Patres, quid Concilia docuerint, ut hoc male natum commentum ab imo suffoderent, satis constabit ex ipsorum sententiis, quas nunc adducam. D. August. lib. 1 de praedest. Sanctorum, postquam cap. 1 ea indigitasset, quibus Semipelagiani, seu Massilienses a Pelagio differebant, cap. 2 ita scribit: *Nunc eis respondendum esse video, qui dicunt ex nobis nos habere ipsam fidem, sed incrementum eius ex Deo, tamquam fides non ab ipso donetur nobis, sed ab ipso tamen augeatur in nobis eo merito, quo coepit in nobis*. Et sane optime pro more respondet integro libro, in cuius cap. 11 haec inter alia scribit: *Quod ergo pertinet ad religionem, atque pietatem, de qua loquebatur Apostolus, si non sumus idonei cogitare aliquid quasi ex nobismetipsis, quod sine cogitatione non possumus, sed sufficientia nostra, qua credere incipimus, ex Deo est*; lib. de Gratia, & libero arbitrio: *Fides usque adeo ad Gratiam pertinet, ut Apostolus dicat, misericordiam consecutus sum, ut fidelis essem*; lib. jam laud. de praedest. Sanctorum cap. 3: *Non sic pius, & humilis doctor ille sapiebat Cyprianus, qui dixit in nullo gloriandum esse, quando nostrum nihil sit; quo praecipue testimonio convictus sum, cum similiter errarem putans fidem non esse donum Dei*. Eamdem doctri-

nam

nam tenuere Prosper adversus Cassianum cap. 19, & responsione 8 ad excerpta Genuensium, Hilarius in epist. ad Augustinum, Fulgentius lib. de Incarnatione, & Gratia Christi cap. 20, s. Leo Papa in epist. decretali ad Nicetam Episcopum Aquileiensem, D. Bernard. tract. de Gratia, & libero arbitrio, aliique sexcenti. Hi autem sententiam novam profecto non cuderunt, sed a Patribus antiquioribus didicerunt, nimirum a Clemente Alexandrino lib. 5 stromatum, Cyrillo Jerosolimitano Catechef. 16, Basilio homil. 20 de humilitate, aliisque, qui certe, ut erant in sacris literis versati, ea non ignorabant scripturae loca, in quibus & fidei, & cuiusvis boni operis salutaris initium Gratiae tribuitur. Huiusmodi sunt quae legimus Psal. 58: *Misericordia eius praeveniet me*; Sap. 6: *Praeoccupat, qui se concupiscunt, ut se prior illis ostendat*; Rom. 11: *Quis prior dedit illi, & retribuetur ei?* Proverb. 8: *Praeparatur voluntas a Domino*; Ioannis 15: *Sine me nihil potestis facere &c.* Quare merito concilium Arausicanum II contra Semipelagianos definivit can. 5: *Sicut argumentum, ita etiam initium fidei, atque ipsum credulitatis affectum esse Gratiae donum per inspirationem Spiritus sancti*, quod etiam confirmavit Tridentinum sess. 6 can. 5.

117 Hoc autem totum eo facilius ad errorem deponendum Massilienses compulisset, si, ut observatu facillimum erat, ita ipsi ad id attendere voluissent, quod si homo viribus propriis primum fidei gradum sibi posset conferre, posset etiam gradus ulteriores nativa virtute sibi comparare, unde totum augmentum fidei, quod tamen negant Semipelagiani, posset sibi homo citra Gratiae auxilium adquirere. Ulterius: *A fide justitia omnis sumit initium*; juxta tritum illud August. epist. nunc 194 ad Xystum; ergo fides est initium omnis meriti; ergo debet esse donum Dei, secus Gratia daretur secundum merita nostra; quia initium fidei, utpote omnis meriti initium esset a nobis. Demum id etiam debuissent observare, non posse desiderium mere naturale, ac bonum arbitrii conatum disponere ad Gratiam supernaturalem, eamque impetrare, atque alio modo promereri.

Responsiones

118 Opponitur 1 sententia negans Gratiae praevenientis necessitatem radicem, ac fulcrum habet in sacris literis; temere igitur suggillatur ut haeretica. Antecedens probant 1 verba illa Matth. 25: *Uni dedit quinque talenta, alii duo* &c. *unicuique secundum propriam virtutem*; ergo Gratia naturali facultati accommodatur; ergo & fidei perfectae Gratia naturali ipsius desiderio. 2 Ea, quae legimus in scripturis exempla, puta Cornelii centurionis, qui adhuc Gentilis ob eleemosynas, & orationes Spiritus s. Gratiam obtinuit, Actor. 10, Zachaei, qui ob desiderium videndi Christum Dominum, ac proinde eidem credendi, salutem sibi, ac propriae domui a Deo obtinuit, Luc. 19. Tum demum boni latronis, qui certe fide carens, tamen ob orationem viribus naturae elicitam, illud a Christo audivit: *Hodie mecum eris in Paradiso*. 3 Semipelagiani pondus etiam sententiae suae constituunt in verbis illis: *Petite, & accipietis, pulsate, & aperietur* &c. quae quidem corruunt, nisi Gratia Numinis sunt pulsatio, oratio, &c. nec a fundo naturae nostrae derivantur.

Respondetur ad argumentum negando antecedens. Ad cujus primam probationem dico cum s. Thoma 2 2 quaest. 24 art. 3 ad 1. Ibi innui Gratiam subsequentem, quae confertur pro mensura cooperationis ad Gratiam anteriorem. Hinc sic distinguitur primum consequens. Gratia Dei antecedens naturali facultati, accommodatur. Nego conseq. Subsequens subdistinguo. Naturali facultati, ut tali. Nego conseq. Ut adjutae a Gratia praeveniente. Concedo consequentiam. Ceterum argumenta a parabolis deducta plenam non faciunt juris accessionem, cum earum sensus, utpote obscurus, diversas subeat interpretationes. Ad 2 ab exemplis petitam facilis responsio est, Cornelium centurionem fuisse aliqua fidei Gratia praeventum, dum orationes fundebat, & eleemosynas largiebatur: *Quomodo enim invocasset, in quem non credebat*, inquit Augustinus lib. 1 de praedest. s cap. 7. Zacchaei autem desiderium: *non fuit de natura, sed Divinae largitatis donum*, ut loquitur concilium Arausicanum II can. 25; quod quidem *credendum* etiam vult *de latrone, quem Dominus ad Paradisi patriam revocavit*; & sane bonus latro in eas voces erumpere non potuisset: *Memento mei, Domine, dum veneris in regnum tuum*. Citra revelationem, ac proinde sine

Gratia

Gratiae interioris adjutorio. Ad 3 respondet Apostolus Rom. 8 sic aiens: *Spiritus adjuvat infirmitatem nostram; nam quid oremus, sicut oportet, nescimus; sed ipse Spiritus postulat pro nobis*. Et D. Fulgentius lib. de Incarn. & Gratia cap. 22: *Nunquam redire velle potest ovis errans, nisi fuerit boni Pastoris inquisitione praeventa, & humeris reportata*.

119 Opponitur 2. D. Chrysostomus optime semper audivit apud Ecclesiam, neque ipsum uspiam sinister rumor aspersit, & tamen Gratiae praevenientis necessitatem a fidei initio exclusit; ergo &c. Antecedens constat ex ipsius verbis homil. 27 in Joannem, ubi ait: *Deus suis beneficiis nostras non praevenit voluntates, sed a nobis incipiendum est: cum enim nos prompto animo ad suscipiendam gratiam exhibemus, tunc multas nobis offert salutis occasiones*; homil. 9 in Genesim: *Si Deus viderit desiderium fervens, ipse suas divitias largiter suppeditat*; hom. 42 in Genesi: *Nisi prius ille* (intellige Abraham) *quod suum erat, fecisset, non tanta a Domino obtinuisset*. Demum hom. 12 in epist. ad Hebraeos: *Oportet nos eligere primum, quae bona sunt, & tunc Deus, quae sua sunt, introducit*. An, inquiunt adversarii, Faustus, & Cassianus clarius, atque expressius locuti sunt?

Respondetur. D. Chrysostomum merito semper habitum fuisse, ut summe Catholicum, doctrinae integrum, & erroris purum, atque ob id Semipelagianismi nota nonnisi per summam calumniam eidem inuri potest, cum longe alio sensu locutus sit, ac Haeretici Massilienses. Quare me totum excutiam, ut genuinam Patris mentem attingam, eamque bono in lumine constituam. Hoc ut adsequar, verba laudata Chrysostomi conferamus cum aliis ipsius testimoniis; hom. 38 in Genes. inquit: *Deus preces nostras semper praevenit*; hom. 2 in cap. 1 epist. 1 ad Timoth.: *sola vi suae bonitatis impulsus salvos nos fecit, secundum propositum suum, & Gratiam, non secundum opera nostra*; hom. 13 in Joannem: *Gratia Dei semper in beneficiis priores partes vindicat*; hom. 71 in eumdem: *Non vestris praecedentibus meritis debitum persolvi; sed ego incepi*. Demum hom. 12 in 1 Cor. 4: *Quamvis fidem adducas, a vocatione eam accepisti. . . . Quid igitur habes, quod non accepisti?* Et in epist. ad Philipp. 2: *Propensionem voluntatis ipse nobis praebet, & operationem*. Haec, quum ita sint, & satis exprimant Chrysostomi sententiam de Gratiae

Gratiae necessitate ad fidei initium, luculenter demonstrant in testimoniis ipsius in objectione recitatis, hoc unum ipsi stare consilium, mentem hanc unam, quod Deus velit Gratiam subsequentem largiri, si bonus fuerit Gratiae praevenientis usus. Supponit itaque, nos velle, & incipere ex Gratiae auxilio, ut opus demum perficiat misericors Deus, qui illud incepit. Eadem esto responsio ad alios Graecos Patres, qui solent opponi a sectae Semipelagianae fautoribus, cuiusmodi sunt Justinus, Iraeneus &c. Hi enim semper supponunt, opera praecedentia Gratiae collationem esse opera ex Gratiae praevenientis auxilio posita, & disponentia ad Gratiam secundam. Sin aliter Patres Graeci sensissent, eos Augustinus Semipelagianis non opposuisset; nec Petrus diaconus epist. ad Episcopos Africanos in Sardinia exsules fidenter pronunciasset, sententiam nostram communem semper fuisse apud utramque Ecclesiam occidentalem, & orientalem.

130 Opponitur ultimo. Ex Patrum testimoniis inter probandum adductis nihil extundi potest in sententiae a nobis adsertae defensionem, si dici nequeant Patres contrarii Semipelagianis, quin ipsi Patres tamquam violatae fidei rei traducantur; ita est. Probo min. Semipelagiani admittebant Gratiae praevenientis necessitatem ad initium fidei; ergo, si Patres contrarios dicimus Semipelagianis, ipsi huiusmodi Gratiam negarunt; ergo, dum defenditur huiusmodi Gratiae necessitas, Patres traducuntur tamquam violatae fidei rei. Antec. prob. 1; quia Semipelagiani idem senserunt de salutis initio in homine sano, ac in homine lapso; atqui homo sanus per ipsos Gratia sufficienti praeditus erat, qua stare poterat, ac proinde bene salutis suae negotium auspicari: ergo & homo lapsus, qui ut natura infirmiori praeditus, a fortiori exigit auxilium huiusmodi supernaturale; constat hoc ex epist. Hilarii ad Augustinum. 2 D. Augustinus lib. de praedestinatione Sanctorum cap. 1 videtur innuere duas Semipelagianorum classes. Porro qui erant in secunda; admittebant Gratiae praevenientis necessitatem etiam ad initium fidei, ut constat tum ex Augustino ibid., tum ex D. Prospero epist. ad Augustinum. 3 Cassianus inter primos Semipelagianismi adsertores facile assurgens, collatione tertia vult a Deo immitti in humana corda inspirationes, & desideria vitae aeternae, dormientes ad studia pietatis excitantia; atqui

inspiratio est Gratia praeveniens: ergo. 4 idem Cassianus cap. 3 collatione 13 vult: *Deum nobis initia sanctae voluntatis inspirare*; ergo &c.

Sed haec omnia eius ponderis non sunt, ut a sententia Catholica, quam tuemur, defendenda nos abigant; concessa enim mai. nego min. Ad eius probationem nego antec. Ad cuius primam probationem concedo mai. nego min. in sensu quaestionis. Gratiam enim admittebant Semipelagiani, qua Adam stare posset, sed voluntas standi per ipsos erat a natura, & naturalem hanc voluntatem sequebatur potestas standi. Constat hoc ex eadem Hilarii epist., ubi haec habentur de Semipelagianis: *In hoc solo volunt a primo homine omnium distare naturam, ut illum integris viribus voluntatis juvaret gratia volentem, sine qua perseverare non poterat: hos autem, amissis, & perditis viribus credentes tantum, non solum erigat prostratos, verum etiam suffulciat ambulantes*. Concedebant itaque Adamo Gratiam, quae ipsum adjuvaret, sed jam habentem in se initium bonae voluntatis. Ad 2 Semipelagiani molliores, de quibus loquuntur ibidem Augustinus, ac D. Prosper, etsi admiserint Gratiae necessitatem ad alia opera bona; nuspiam tamen admiserunt ad initium fidei. Probant hoc verba Augustini ibidem: *Impendamus eis ministerium sermonis, ut in his literis ea, quae illis sunt apta, & utilia dicamus. Prius itaque fidem . . . . . donum Dei esse debemus ostendere . . . . . Non ergo receditur ab ea sententia* (intellige Pelagii) . . . . . *Si non pertinet ad Dei Gratiam, quod credere coepimus*. Quod attinet ad D. Prosperum, satis innuunt ipsius mentem haec verba ibidem: docent Massilienses, ab his *Gratiam apprehendi, qui Deo sponte*, idest naturali usu libertatis *Crediderint, & auxilium Gratiae merito credulitatis acceperint*. Ad 3, ut fucum faciat, inspirationis nomen adhibet eo loci Cassianus; cum satis constet ab exemplis, quae adducit, se tantum intelligere doctrinam externam, praedicationem &c. Sic vult Abraham a sola voce: *Exi de terra tua*. Antonium ab Evangelii testimonio: *Qui non odit Patrem*. In concione audito, illum Patriae, istum rebus omnibus heroica virtute valedixisse. Ad 4, dum ita scribit Cassianus, Catholice scribit, sed paucis interjectis satis se prodit, impia dogmata (proferens, & argumentis undequaque conquisitis confirmare contendens. Nolim quoad hoc mihi fidem da-

ri,

ri, sed detur integra D. Prospero, qui illud observavit in lib. contra collatorem collatione 13 potissimum ad ipsum caput 9.

MONITUM

Series haeresum, quas prolegomeno II recitavimus, id a nobis nunc postularet, ut sensum Ecclesiae constanter a Patribus retentum contra Praedestinatianos traderemus. Verum cum de haeresi hac partim in tractatu de Praedestinatione, partim in prolegomeno II huius tract. numero 14, quid sentiant eruditi, quaeve sit inter ipsos opinionum dissensio, pluribus significatum jam sit, nec ullum a me ferendum judicium crediderim, inducta ne fuerit in Ecclesiam, an non, secta Praedestinatianorum; diligentia videretur esse hominis otio suo abutentis, haeresim hanc Ecclesiae documentis confutare. Illud etiam accedit, quod aliqua dogmata ipsis tributa hic locum non habeant, sed in tract. de Actibus humanis, alia ex dictis in tractatibus de Divina voluntate, & Praedestinatione jam falsificatis convinci facile possint, alia demum ex dicendis contra Lutheranos, & Calvinianos.

DISSERTATIO III

Continens Ecclesiae sensum Lutheranis, & Calvinianis dogmatis contrarium, quoad aliqua, quae supersunt eorum capita nondum ad crisim exacta, & ad hoc argumentum spectantia.

Libertatem humanae naturae etiam labe originis vitiatae Theologi omnes asserunt, ac vindicant contra Lutherum, & Calvinum, aliosque eiusdem eversores in tract. de Actibus humanis, quod forte & nos, Deo opitulante, praestabimus. Varia eorumdem hominum prava dogmata aliquam ad hunc tractatum affinitatem habentia in tractatu de Praedest. praeoccupavimus. Non nulla in

dissertatione ultima huius tract. expendemus; ubi de impii justificatione, ac merito justi disseremus. Nunc illud unum hic videtur posse in quaestionem adduci, num Ecclesia semper crediderit, hominem sub Gratiae motione liberum esse, eique etiam cooperari, quin proinde peccet semper in opere bono: quod tamen negant Novatores memorati falsa illa ducti persuasione, quod homo, lapsus relate ad actus ex Gratia elicitos mere, passive se habeat, nullusque sub Gratiae influxu supersit in eo arbitrii usus.

CONTROVERSIA UNICA

In qua paucis exhibetur thesis Catholica de hominis lapsi bona, ac libera cooperatione Gratiae adjutorio contra antithesim Luteranam, & Calvinianam.

PROPOSITIO

Constanter docuit Ecclesia, liberum hominis arbitrium non mere passive se habere sub Gratiae motione, eique vera indifferentiae libertate cooperari, nec consequenter in omni opere bono ipsum semper reum esse peccati.

121 Evincitur propositio ex dicendis in apppendice ad hunc tract., ubi de merito hominis justi disputatur; hominem lapsum mereri fidei dogma est contra Lutheranos, & Calvinianos definitum. Constat ex dictis huc usque contra Pelagianos, & Semipelagianos, hominem mereri non posse sine Gratia, nihil posse operari aeternam salutem promovens sine Numinis adjutorio. Constat pariter ex iis, quae docent Theologi omnes tractatu de Actibus humanis, hunc Ecclesiae sensum esse contra Jansenium definitum, libertatem indifferentiae requiri in homine lapso ad merendum, vel demerendum, ac proinde non sufficere meram passionem, sed requiri arbitrii usum, ac veram activitatem: ergo constat fidem hanc perpetuo in Ecclesia fuisse, quod homo lapsus non mere passive se habeat, dum elicitur operatio salutaris, sed ipsi vere, ac libere cooperetur; hoc omnium Patrum nomine docente Augustino passim, & praecipue lib. de Spir. & lit. cap. 34, & lib. de corrept. & Gratia cap. 8, ubi: *A gratia liberrimam voluntatem conferri docet*; tum etiam D. Prospe-

ro,

ro, vel quivis sit auctor lib. de vocat. gentium cap. 28 his verbis: *Deus ad obediendum sibi ipsum velle sic donat, ut etiam perseveraturis illam potestatem, quae potest nolle, non auferat*. Quare Tridentinum malas notas inussit sess. 6 can. 4 dicenti: *Liberum arbitrium a Deo motum non posse dissentire, si velit, mereque tunc passive se habere*. Vide quae in parte 1 huius tract. sect. 1 quaest. 1 dissert. 2 diceemus ad conciliandam Gratiae nativam efficaciam cum humana libertate. Hoc ipsum inde confirmari facillime potest, quod non aliam ob caussam, relate ad bonum ex Gratia elicitum, contendunt Novatores hominem lapsum mere passive se habere, nisi quia hominem volunt in hoc statu naturae corruptae semper peccare; unde nihil ab ipso afferri contendunt in operationem salutarem, quam peccatum, & mendacium, ut diligenter observavimus in historia haeresum Lutheranae, & Calvinianae, quae habetur in prolegom. 2; atqui nihil magis adversatur fidei regulis, ac proinde doctrinae Catholicae: ergo. Minorem probant verba illa Job cap. 1: *Vir erat in terra Hus nomine Job, & erat vir ille rectus, ac simplex, & timens Deum*; Psal. 7: *Judica me, Domine, secundum justitiam meam, & secundum innocentiam meam super me*. Psal. 16: *Exaudi, Domine, justitiam meam . . . . probasti cor meum, & visitasti nocte . . . . . & non est inventa in me iniquitas*; Psal. 17: *Et retribuet mihi Dominus secundum justitiam meam*. Jam vero quaesierim ab adversariis, num opus malum, quamvis non imputatum ut malum, tegente ipsius malitiam Numinis Gratia, num, inquam, huiusmodi opus spem, ac fiduciam regi David ingerere potuisset, unde ex ipso tamquam justitia propria, ac propria etiam. Innocentia certam mercedem sibi obventuram consideret, Deumque assereret actiones proprias scrutantem, & iniquitatem nullam, nullum crimen invenientem in ipsis, qua propter immaculatus esset coram ipso? Quaesierim ulterius, num ipse Deus vere, ac proprie innuere potuisset Job tamquam hominem rectum, timore sancto jugiter perculsum, vere simplicem, ubi in eo ipso timore, in ea rectitudine, ac simplicitate fatalis culpae reus semper occurrisset? Haec cum ita non esse & scripturae memoratae significent, & satis etiam exprimant haec alia Christi Domini verba decretoria: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona*; Matth. 5, optime decrevit Trident. sess. 6 can. 7, & 25 anathema

 dicen-

dicendum esse ei *Qui dixerit, opera omnia, quae ante justificationem fiunt, quacumque ratione facta sint, vere esse peccata, vel odium Dei mereri*; tum etiam: *Qui dixerit in quolibet bono opere justum saltem venialiter peccare, aut .... mortaliter, atque ideo poenas aeternas mereri, tantumque ob id non damnari, quia Deus ea opera non imputet ad damnationem*. Quibus definitionibus, qui ausu temerario subscribere renuat, hic certe adversatur Apostolo scribenti 2 ad Timoth. 4: *Bonum certamen certavi ..... reposita est mihi corona justitiae, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex*. Quomodo enim per fidem Numinis certamen Apostoli bonum sit, cui ex justitia corona debeatur? Si in illud nihil contulit Apostolus, nisi quod ipsi vitio verti debeat?

122 Ne autem religio incautis injiciatur ab iis Psal. 142 verbis: *Non intres in judicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens*; & Psal. 13: *Non est, qui faciat bonum, non est usque ad unum*. Tum denique Isai. 64: *Et facti sumus ut immundus nos omnes, & quasi pannus menstruatae universae justitiae nostrae*. Ne, inquam, ab his testimoniis fucum sibi fieri aliquis patiatur, illud omnino alta mente reponendum est, sensum verum, ac genuinum primi testimonii hunc esse, quod nemo ita sit justus coram Deo, quem nulla noxa vindicta dignum, ac reum nuspiam reddiderit; eamdem adhibeto interpretationem ad 2. Ad 3 quod attinet, miror, adversarios in eo summam praesidii partem collocare, quum ibidem constet, mentionem fieri de Judaeis, qui labiis Deum honorantes, corde tamen ab ipso alieni prorsus erant, quare merito ipsorum justitiae, idest oblationes, sacrificia &c. panno menstruatae comparantur.

DISSER-

DISSERTATIO IV

Continens Ecclesiae doctrinam oppositam nonnullis Michaëlis Baii erroribus ad crisim in hoc tractatu exigendis.

Errores Baianos qui in Ecclesiam invexerit, eisque nomen tribuerit, jam diximus in prolegom. II in historia Baianismi, eos a s. Pio V proscriptos fuisse, raroque inter errorum architectos exemplo ab auctore suo fuisse retractatos, ibidem pariter significavimus. Nunc operae pretium esse existimamus ad crisim exigere errores illos, qui pressius ad hunc tract. referuntur, & notae singulares sunt Baianismi. Alia enim etiam in hoc argumento huiusmodi errorum capita, utpote a Jansenio adoptata, in dissertatione contra Jansenium refellemus; alia demum ab hoc nostro argumento extranea in alios tract. remittenda sunt, potissimum in tract. de virtutibus Theologicis. Nunc ad institutum accedentes monemus, duo esse, quae hic debeant in controversiam vocari. I an status naturae purae sit possibilis. II an homo sine Gratia efficere possit bonum aliquod opus ordinis naturalis. Ordior a primo.

CONTROVERSIA I

Num ex Ecclesiae doctrina constet statum naturae purae esse possibilem.

115 Ne longo praeludio lectorum studiis hic moram injiciam, moneo, notiones primarias multiplicis naturae status repetendas esse ab ipso tractatus exordio; ibi enim expendentes in controversia I dissert. I num. primi parentes conditi fuerint in justitia originali, ea omnia indigitavimus, quibus intelligentia multiplicis naturae status, nimirum innocentiae, purae, lapsae, & integrae, plana fieret, & aperta. Nunc jam quaestionem instituimus, num sit possibilis status naturae humanae; in quo sine peccato, & sine Gratia nasceretur homo, iisdem tamen aerumnis, miseriis, & infirmitatibus, quibus nunc pre-

Sed & sunt alia apud eumdem Augustinum, quae me longe plus moveant, ac Baianum commentum penitus convellant. *Lib.* 3 de libero arbitrio *cap.* 20 *num.* 56, ut Manichaeos convincat falsitatis, dum duos admittunt deos, malum unum, malorum auctorem, nimirum concupiscentiae, ignorantiae, &c. bonum alterum bonorum omnium creatorem, hos, inquam, coarguit, plures modos assignans, quibus animae possent infundi corporibus cum iisdem infirmitatibus, quibus nunc sunt obnoxiae, quin Deus ob id esset vituperandus, tum etiam alicuius peccati consciae, quin tamen ob id Deus dici possit auctor peccati. Inter hos modos unum adsignat, quo animae concipiantur per creationem corporibus infundi cum iis infirmitatibus, quibus nunc nascimur subjecti, quae quidem, vel peccatum supponerent, vel non supponerent, Deum non redderent culpabilem. En eius verba lib. laudato: *Si ergo altera anima talis esse coepit* (intellige affecta ignorantia, difficultate bene vivendi ob rebellionem concupiscentiae, &c.) *non solum ante peccatum, sed ante omnem vitam suam, qualis alia post vitam culpabilem facta est, non parvum bonum habet, unde conditori suo gratias agat; quia ipse ortus eius, & inchoatio quovis perfecto corpore est melior: non enim mediocria bona sunt, non solum quod anima est, sed etiam quod facultatem habet, ut, adjuvante creatore, se ipsam excolat, & possit acquirere virtutes, per quas & a difficultate cruciante, & ab ignorantia caecante liberetur*; & cap. 22: *Sic etiam nunc si ignorantia veri, & difficultas recti naturalis est homini, inde incipit anima proficere, & ad cognitionem, & requiem . . . . . promoveri.* Supponit ergo Augustinus, culpandum non fore Deum, si animam crearet cum ignorantia, & difficultate bene vivendi, quin ipsa alicuius criminis conscia esset, unde huiusmodi miserias promeruisset; atqui anima illa in eo statu, esset in statu naturae purae: ergo hunc statum possibilem credidit Augustinus. Quod quidem uti molestum sibi Baianismi, & Jansenismi adsertores persenserunt, ab eo sese expediri crediderunt vano illo suffugio, retractatum illud fuisse ab Augustino in *epist.* ad Hieronymum *alias* 28, nunc 166 *num.* 18; tum etiam hypothesim illam Augustinianam non supponere naturam puram, sed aliquod Gratiae auxilium, quod indicant verba illa primi testimonii *adjuvante creatore.* Verum ista facilius a nobis refelluntur, quam ab adversariis proferantur. Nam D. Augustinus

gustinus

gustinus in *epist. laudata* nihil pronunciat iis contrarium, quae in *lib.* 3 de libero arbitrio *cap.* 20 adfirmaverat, sed tantum sese explicat quoad aliqua, quae de poenis parvulorum ibidem pronunciaverat, non quae ad hypothesim suam eo loci constitutam comprobandam adfirmaverat. Ulterius idem s. Doct. lib. 1 retractationum cap. 19, longe post epist. ad Hieronymum conscriptam sententiam suam de illa hypothesi confirmat his verbis: *Quamvis ignoratio, & difficultas essent homini primordia naturalia, non sic culpandus Deus, sed laudandus esset, sicut in eodem lib. 3 de libero arbitrio disputavimus. Quae disputatio contra Manichaeos habenda est, qui non accipiunt scripturas sanctas .... contra Pelagianos autem* (admittentes scripturas) *defendendum est, quod scriptura commendat.* Demum *lib.* de dono persever. *cap.* 12 repetit, quod *lib.* 3 de libero arbitrio dixerat, nempe vel quod supponantur concupiscentia, ignorantia, &c. poenae peccati, vel non, nuspiam Deus erit culpandus. Nunc autem sunt poenae peccati, quia in Adam cum justitia originali conditi fuimus, a qua ob peccatum originis deiecti sumus. Deus itaque nos ita condens culpandus non est, quia justitiam exercet; tunc autem, idest in hypothesi contra Manichaeos essent primordia naturae peccato nullo vitiatae; quibus tamen potuissent pro studio liberari. Quod quidem pium studium fuisset ordinis naturalis, uti & Numinis auxilium; quod indicant alia eiusdem s. Doctoris verba, ibidem naturale judicium, sapientiam praeponere potuisset errori. Unde alteri adversariorum evasioni aditus omnis occluditur.

125 Evincitur 2, & simul primum argumentum mox adlatum confirmatur. Si minus aequa dici debet sententia Pontificia contra errores Baianos lata circa status naturae purae possibilitatem, maxime quia huiusmodi status naturae hominis repugnaret, ac divinae justitiae, aliisque Numinis adtributis; atqui neutrum dici potest: ergo. Prob. min. Quoad primam partem, ex iis, quae diximus in controversia I contra Pelagianos, satis liquet, immortalitatem, scientiam, concupiscentiam inter limites contentam fuisse dona gratuita cum justitia originali Adae collata: ergo non sunt debita humanae naturae. Quod enim gratuitum est, quod Gratia, quod donum dicitur, profecto debitum dici nequit: ergo sine illis potuisset natura humana creari. Aliunde in eo statu natura haberet omnia ad essentiam suam spectantia, peccato careret,

turpe

turpe nihil, nihil inhonestum haberet; ipsi ut doloris, tristitiae, ignorantiae, &c. capaci nulla fieret injuria, si huiusmodi infirmitatibus crearetur obnoxia. Ex parte igitur humanae naturae impossibilitas nulla huiusce statu probari potest. II autem pars minoris inde constat, quod, si haec omnia, ut probavimus, sunt indebita, Deus sine ulla justitiae suae, bonitatis &c. laesione denegare ipsa potest humanae naturae &c.

Responsiones ad objecta.

126 Opponitur 1. Exigit divina providentia, ut creatura ad suum finem naturalem mediis aptis dirigatur; atqui in statu naturae purae homo careret Gratia, quae est medium aptum ad Deum, qui est finis ipsius, adsequendum: ergo in eo statu careret homo medio, quod divina providentia exigeret: ergo status huiusmodi huic Dei attributo repugnaret. Resp. conc. mai. disting. min. In hoc praesenti naturae statu. Conc. min. In statu naturae purae. Neg. min., & consequentiam. In hoc humanae naturae statu conditi sumus, & ordinati ad finem supernaturalem, ad quem proinde adsequendum requiruntur auxilia supernaturalia, inter quae certe eminet Gratia. Verum in eo naturae purae statu ordinata non fuisset creatura rationalis ad finem supernaturalem, ad Deum nempe intuitive videndum, ac proinde ut gloriae supernaturalis auctorem: media itaque illi debita non fuissent ordinis supernaturalis, sed fuissent sufficientia media illa, quae e proprio naturae fundo eidem obvenissent, ut lumen rationis, judicium rectum, &c. His enim potuisset adsequi finem proprium naturalem, Deum scilicet ut auctorem naturae abstractive videndum, ac contemplandum per species clariores, & puriores iis quae in hac vita haberi soleant. Hoc autem nihil inferre divinae providentiae contrarium, inde liquet, quod fulcrum habet, ac radicem in distinctione illa amoris naturalis, & supernaturalis, quam alibi diximus a decretis Pontificiis contra Baium fuisse confirmatam, & quidem merito, cum eam aperte docuerit s. Thomas lect. 4 in cap. 11 prioris epist. ad Corinth. his verbis: *Nos habemus duplicem conjunctionem cum Deo: una est quantum ad bona naturae, quae hic participamus ab ipso; alia quantum ad beatitudinem, in quantum nos hic sumus participes per Gratiam supernae felicitatis*

tie . . . . . secundum primam communicationem ad Deum, est amicitia naturalis, secundum quam unumquodque, secundum quod est, Deum ut caussam primam, & summum bonum appetit, & desiderat, ut finem suum; secundum vero communicationem secundam est amor caritatis. Vide etiam s. Doctor a 2 *quaest.* 26 *art.* 3.

Urgent tamen arguti disputatores. Deus finis supernaturalis est semper finis naturalis creaturae rationalis: ergo cum in statu naturae purae ad hunc finem debuisset pariter ordinari, aliunde Gratia ad hunc finem comparandum caruisset, eius creatio fuisset in eo statu divinae providentiae, imo etiam justitiae, ac bonitati contraria. Anteced. probr. I ex Augustino *lib.* 1 confess. *cap.* 1 id docente; II ex hoc, quod homo habeat appetitum naturalem videndi Deum, juxta doctrinam s. Thomae 1 *part. quaest.* 12 *art.* 1; III ex hoc, quod, etiam concessa visione abstractiva Dei clariori, quae posset haberi, adhuc superesset in creatura rationali desiderium videndi Deum intuitive: quod quidem, quia non posset expleri, beatitudinem hominis naturalem turbaret: quod an Dei bonitati, ac justitiae conveniat, facile quivis intelliget.

Verum non est, quod hic triumphum sibi occinant adversarii: argumenti enim adducti & falsum est antecedens, & falsa pariter triplex adducta probatio. I quidem, cum D. Augustinus loco laudato velit dumtaxat in hoc naturae statu, quo ad finem supernaturalem sumus elevati, cor nostrum esse inquietum, donec requiescat beatitudine supernaturali in Deo: aliunde, cum *ignoti nulla sit cupido* juxta vulgatum adagium, in statu naturae purae, ubi nulla Dei ut supernaturalis glorificatoris haberetur revelatio, efficax nullum, nullum verum, absolutum, ac naturale desiderium visionis Dei intuitivae excitaretur. Eiusdem notae est secunda probatio: vult enim ibidem s. Thomas, hominem habere naturalem appetitum secundum quid videndi Deum, quatenus supposita fide interius etiam, Numine afflante, connaturaliter, modo quodam naturali visionem Dei intuitivam appetimus, ea plane ratione, qua anima lumine gloriae adjuta connaturaliter Deum videt; non vero quod appetitum simpliciter habeamus, & innatum videndi Deum intuitive. Hanc autem esse mentem s. Doctoris constat ex ipsius verbis in 4 dist. 49 q. 1 art. 3 in resp. ad 3., ubi ait: *Quamvis ex naturali inclinatione voluntas habeat, ut in beatitudinem fera-*

tur

tur secundum communem rationem; tamen quod feratur in beatitudinem talem, vel talem, hoc non est ex inclinatione naturae, sed per discretionem rationis, quae adinvenit in hoc, vel in illo summum bonum hominis constare. Et ideo quandocumque aliquis beatitudinem appetit, actualiter conjungitur ibi appetitus naturalis, & appetitus rationalis. Vident appetitum naturalem hominis simpliciter talem non esse juxta principia D. Thomae circa Deum ut intuitive videndum? Haec igitur cum ita sint, facillimum erit probationem tertiam refellere. Negamus enim fidenter, hominem in statu naturae purae pervenientem ad perfectam illam, & suavem contemplationem Dei, ut auctoris naturae, abstractivam eam quidem, & per species vel immissas, vel infusas adquisitam: negamus, inquam, hominem illum maiori desiderio fore excitandum ad Dei visionem intuitivam. Cum enim in eo statu eam nesciret possibilem, profecto eam studio vero, efficaci, & absoluto non optaret, sed vix aliqua imperfecta, & conditionata velleitate, a qua nulla in propriam suam naturalem beatitudinem turbatio proveniret. Anima tunc amaret Deum amore benevolentiae, non concupiscentiae: hinc sua sorte contenta nihil amplius optaret, quam visionem illam abstractivam, non intuitivam, quae esset bona sibi.

127 Opponitur 2 ex D. Augustino *lib.* 3 de libero arbitrio *cap.* 18. Ignorantia, & difficultas bene vivendi sunt poenae peccati: ergo homo innocens eisdem esse non debet obnoxius; atqui in statu naturae purae hominem innocentem poenis illis Deus obnoxium vellet: ergo per summam injustitiam illum sine reatu puniret. Ulterius ex epist. 1 D. Joannis cap. 2: *Concupiscentia carnis non est ex Patre, sed ex mundo*; ex Apostolo ad Rom. 7 concupiscentia dicitur *peccatum, lex repugnans legi mentis, lex captivans in lege peccati*; quibus concinit s. Augustinus vocans concupiscentiam malum, iniquitatem, vulnus naturae inflictum &c., ut liquet ex ipsius verbis *lib.* 3 contra Julianum *capp.* 21, & 26; tum etiam *lib.* 4 *capp.* 8, & 9. Jam vero sic arguitur: si concupiscentia malum aliquod est, lex contraria rationi, lex peccati, iniquitas &c. nequit esse a Deo, tamquam ipsius auctore, nisi Deum velimus habitus vitiosi auctorem facere, & rei malae architectum: ergo in statu naturae purae deberet a natura profluere; atqui istud dici nequit: ergo &c.

Min.

Min. subsumta probatur. Quia in statu naturae purae concupiscentia non esset rationi prorsus subjecta, uti esse deberet, ad hoc, ut homini naturalis dici posset; hoc autem modo concupiscentia adeo non esset homini naturalis, ut esset contra naturam, id docente s. Thoma hic *quaest.* 82 *art.* 3 ad 1: ergo ex hoc solo cap., quamquam non suppeterent alia, explodi debet tamquam fictitium commentum status naturae purae possibilis.

Verum incautis solum haec omnia fucum facere possunt; nobis autem serio rem expendentibus solutu facillima videntur. Hoc vero, ut demonstrem, velim adversarios una mecum expendere scopum argumenti ab Augustino instituti in *lib.* 3 de lib. arbitrio. Totus ibi est s. Doctor, ut probet contra Manichaeos, Deum non esse auctorem mali: hoc ut evincat, duas statuit hypotheses; primam quidem realem, alteram possibilem. I spectat praesentem naturae statum; II eum, quem definivimus, possibilem, statum intellige naturae purae; in utroque statu probat Deum non esse auctorem mali; etsi ignorantiae, & concupiscentiae nascamur obnoxii, vel eis subjicerentur homines nascituri in eo statu possibili naturae purae; nunc enim poenae sunt peccati originalis, tunc autem fuissent primordia naturalia. Quo circa cap. 20 *lib.* 3 de libero arbitrio haec addit loquendo de hypothesi possibili: *Ignorantia non fuisset supplicium peccati; sed proficiendi admonitio, & perfectionis exordium.* Hinc in forma ad argumentum dist. ant. Sunt poenae peccati in hoc statu. Conc. In statu naturae possibilis. Nego antec., & consequentiam cum supposito minoris subsumtae, & postremo consectario. Ut vero, quod II nobis Baianismi adsertores opponunt in rectum sensum inflectamus, altius repetenda res est. Concupiscentiae nomine hic intelligimus inclinationem ad bonum sensibile, quae propria carnis est; non vero concupiscentiam spiritus, quae, si versetur circa objectum spirituale inordinatum, uti sunt e. c. actus superbiae, mala est; bona vero, si circa objectum spirituale ordinatum. Haec autem concupiscentia carnis, vel sumitur in actu primo, ut mera est potentia, vel in actu secundo, prout est actualis tendentia in bonum sensibile: utroque autem modo consideretur, sumi potest vel materialiter, vel formaliter: priori modo spectatur, prout est mera ad bonum sensibile inclinatio; 2 vero prout est conjuncta cum pugna, ac rebellione contra rectam rationem. Prima

ma est naturalis, nec vitiosa; secunda vero vitiosa, & haec proprie vocatur concupiscentia. Ulterius: concupiscentia vitiosa dupliciter esse potest, in ordine naturali, & in ordine morali. In primo quidem, quando mentem ad mala sollicitat, motusque excitat contra voluntatis repugnantis consensum; in secundo, concupiscentiae motibus consentimus. Quia tamen aliquid bifariam potest ad malum impellere, ac inclinare, per se nempe, idest ex naturali inclinatione, cuiusmodi sunt omnes habitus vitiosi, & per accidens, quatenus subjectum aliquod imperfectum ab aliquo ad malum propellitur; secundo dumtaxat modo concupiscentia naturaliter, ac physice spectata dicitur inclinans ad malum, quatenus homo ex naturali imperfectione facile a rebus sensibilibus, earumque amore se rapi patitur. Illud denique inobservatum dimittere nolumus, parem, ac similem non supponi in statu naturae purae vim concupiscentiae, ac quae nunc supponitur. Nunc enim deterioribus factis ob peccatum originis humanae naturae viribus, maiores sunt ex parte concupiscentiae ad malum impulsus; quod quidem, quia plures adnotare neglexerunt, vehementius invecti sunt in status naturae purae, vel propugnatores, vel osores. Nunc ad rem venio, in cuius gratiam haec omnia praenotavimus.

Quando a D. Joanne innuitur carnis concupiscentia profluens a mundo, non a Deo, loquitur de concupiscentia pravum consensum trahente, non de concupiscentia naturaliter spectata, prout est nempe inclinatio ad bonum sensibile, prout reale aliquid est, motus aliquis physicus naturaliter excitatus, indifferenter provocans ad licitum, vel illicitum, non libido quaedam infrunita rationem vehementer antevertens, qualem post peccatum experimur. Idem dic ad testimonium Apostoli: concupiscentia enim per ipsum, quae *lex peccati est*, talis non est naturaliter, & ratione entitatis, sed tantum ratione imperfectionis humanae, & potissimum infirmitatis per peccatum contractae; secundo modo non est a Deo, sed primo dumtaxat, idest prout aliquid reale est, ut proprietas naturae adjuncta, non ut excitat rebellionem. Quod si interdum vocatur peccatum ab Apostolo, tunc ab ipso designatur concupiscentia junctum habens voluntatis consensum. Dum s. Augustinus vocat concupiscentiam malum id dicit, quia in hoc statu est poena peccati, ac effraenis est ipsius cupido,

pido, ut ferebat scopus disputationis, quam adversus Julianum originis peccatum negantem instituerat. Hinc in forma. Distinguo antecedens. Si concupiscentia, prout est malum morale, peccatum est, &c., nequit Deum habere auctorem, ut est malum morale. Concedo antecedens. Si concupiscentia peccatum est, &c., non ut est malum naturale, nequit Deum habere auctorem, ut est malum naturale. Subdistinguo. Nequit esse a Deo quoad realitatem physicam, & naturalem. Nego antecedens. Prout est defectus, prout excitans per accidens motus inordinatos ob infirmitatem subjecti, in quo esset. Concedo antecedens. Ut enim docetur in tract. de peccatis, malum solam habet caussam deficientem, non efficientem; Deus autem non est caussa deficiens. Et distinguo consequentiam. In statu naturae purae deberet a natura profluere; ut est malum morale. Nego consequentiam. Ut est malum naturale. Concedo consequentiam. Ad minorem subsumtam do lubens, in eo statu perfectam non fore subjectionem concupiscentiae rationis dictamini; at inde non infertur, concupiscentiam non esse homini naturalem. Qui enim laudatur D. Thomas ibidem, solum vult concupiscentiam in actu secundo excitantem motus deordinatos esse contra hominis naturam, sed qualem? hominis ut rationalis, non vero ut hominis sensitivi. Nisi velis reponere, s. Thomam ibidem loqui de statu humanae naturae prout primo a Deo conditae: illi enim tunc in integritate constitutae naturalis dici nequit corruptio, concupiscentiae libido, ec.; quibus ob privilegium speciale carebat in statu innocentiae. Alia hujus generis testimonia facile ex praenotatis ad liquidum poterunt perduci.

128 Opponitur 3. Constans est D. Augustini doctrina, potissimum *lib.* 1 operis imperfecti *num.* 23, Deum hominem non potuisse constituere in eo statu, in quo miser esset, sine peccato; porro fames, sitis, dolor miserum reddidissent hominem in statu naturae purae: ergo in eo statu constitui homo non potuisset, quia nullum habuisset peccati demeritum. Hoc autem tam certum, tamque persuasum erat Augustino, ut toto *lib.* 4 contra Julianum *cap. ult.* deducat ex iis miseriis reatum aliquem, qui nos ipsarum dignos effecerit; imo ostendat Ethnicos ipsos philosophos, quibus ignotum erat peccatum originis, ex sola calamitatum illuvie, qua obruimur, ali-

 cujus

cujus primaevi peccati existentiam subodorasse, unde tot miseriae in humanum genus redundaverint. Verum ab adversariorum mente, & sententia toto caelo Augustinus aberrat, quum longe alius sit s. Doctoris sensus, quam qui ipsi a Baianismi adsertoribus affingitur. Nam s. Augustinus rem agit ibidem contra Pelagianos, supponens statum naturae innocentis primitus in statu Gratiae constitutae, ut liquet ex testimoniis scripturarum, quae adversus ipsos adducit *lib.* 3 & 4 contra Julianum. Qua facta hypotesi optime arguit, Deum injustum fore, si nos miseriis addictos condiderit citra ullum crimen originis, quando naturam justitia originali praeditam primitus creaverit, nec ullo communi reatu ex hypothesi ab eo statu ceciderit. Hoc supposito, nihil est in ijs locis ex Augustino laudatis, quod caussam adversariorum juvare possit, ut liquet ex sese: quod enim additur loco ultimo facile solvitur aiendo, Ethnicos illos peccatum originis subodorasse vel ex lectione librorum Mosis, vel ex commercio cum Judaeis, & ex ea conjectura optime argumenta sua ex hoc miseriarum statu deduxisse: nisi velis reponere ex nativo illo, quem gerimus in primaevam Adae felicitatem, amore istas conjecturas in mentem philosophorum gentilium venisse.

Alia solent ab adversariis opponi, ut vim decretorum effugiant, quibus contrariae sententiae anathema dictum est: quae ut paucis praeoccupemus, haec vobis alta mente reponenda sunt. I verba ista, *quas quidem sententias, . . . quamquam nonnullae aliquo pacto sustineri possent, in rigore, ac proprio verborum sensu ab adsertoribus intento haereticas &c. damnamus*, quae habentur in bulla Pii V legenda sunt cum commate, seu virgula post τὸ *possunt* interiecta: si enim omittatur virgula eo loci, Pontifex damnavit propositiones, quae sensu obvio possunt defendi, quo nihil absurdius. Ulterius Bajus ipse, ut suas propositiones illas agnovit, easdem & damnavit. Demum semper Pontifices damnant in sensu obvio, & auctoris propositiones, a quo more non recessit Pius V. Idcirco in exemplari bullae cardinali Toleto communicato comma illud a se visum testatus est cardinalis Delugo, cui credere nolle illiberalis ingenii est. II observatione dignum illud est, quod etsi Vasquez, aliique nonnulli propositiones damnatas velint ob styli acerbitatem; tamen id in-

stituto

ſtituto noſtro nihil adverſatur: propoſitiones enim ſtatum naturae purae reſpicientes nulla continent verba cruda; igitur damnantur ob pravum dogma, quod continent. III, quod nolim omittere, eſt, quod, etſi in globo damnatae ſint propoſitiones, nec ſua peculiaris cenſura ſingulis adnexa ſit; hoc tamen bullae auctoritatem non deprimit, quia frequenter ſic ſe geſſit Eccleſia. Sint inſtar omnium concilium Conſtantienſe, a quo hac forma damnati ſunt articuli Wiclefi, & Joannis Hus; & Innocentius XI, qui eo modo 65 propoſitiones morales confixit. IV denique, quod vos latere nolim, illud eſt, quod ſub Pio V, etſi oeconomiae cauſſa non fuerit promulgata bulla Piana contra Baium; tamen, agente Gregorio XIII, aliquot poſt annos promulgata fuit: cui promulgationi ſi quae in contrarium opponere adhuc velint adverſarii, eos facile fuerit convincere ex iis, quae diximus in prolegom. II in hiſtoria Baianiſmi.

CONTROVERSIA II

In qua juxta Eccleſiae dogmata examinatur, utrum homo ſine Gratia efficere poſſit bonum aliquod opus morale ordinis naturalis.

129 Ut lucem aliquam dicendis foeneremur, illud hic obſervandum occurrit, bonum opus morale ordinis naturalis illud eſſe, quod convenit cum recta ratione, nullaque circumſtantia vitiatur, quod proinde honeſtum eſt, quamvis in ordine ad vitam aeternam ſterile ſit, & infructuoſum: huiuſmodi eſt eleemoſyna, quam eroget gentilis ex ſolo honeſtatis amore. Opus autem morale ordinis ſupernaturalis illud eſt, quod ex principiis ſupernaturalibus fit, Gratia ſcilicet, fide, ac motivo ſupernaturali: huiuſmodi ſunt actus ſpei, fidei, caritatis &c. In quovis autem opere morali duo maxime ſunt diſtinguenda, officium, & finis. Officium eſt ipſa operis materia: finis autem eſt ratio, qua voluntas ad operandum movetur: ſic cultum parentibus praeſtans opus ponit moraliter bonum ratione materiae; qui autem eum praeſtat ex fine ſecundario pravo, puta, ut hereditatem ipſorum obtineat, opus exercet malum ratione finis. Finis autem duplex eſt immediatus, ſeu proximus, & mediatus ſive ulti-

mus. Primus est ipsum actionis motivum, ut pauperum levamen in eleemosynae largitione. Secundus est, ad quem vel formaliter, vel virtualiter omnia ita diriguntur, ut ipse ad nullum dirigatur. Huiusmodi autem intentionum virtualis, formalis, aliarumque notiones explicantur passim in tract. de actibus humanis, necnon de peccatis. Aliud etiam, quod hic inobservatum dimittere non possum, illud est, quod distinguit s. Thomas hic *quaest.* 100 *art.* 10, nempe in quovis divino praecepto duo esse secernenda; substantiam, & modum. Substantia est ipsa res praecepta modus vero est finis, seu motivum actionis.

Jam vero ad id accedentes, in cuius Gratiam haec praemittere jus, fasque existimavimus, plura sunt in re praesenti, quae possint in quaestionem vocari. I, utrum sine Gratia fidei elici possit bonum opus morale, ac proinde num in infidelibus opera aliqua moraliter bona *esse possint.* II, utrum sine Gratia sanctificante eadem opera *elici possint* a peccatore. III, utrum sine Gratia actuali. Priores duae quaestiones dogmaticae sunt, postrema scholastica; quam proinde ut appendicem ex hic dicendis sponte fluentem praesenti controversiae adnectemus; quin illa in parte II excitetur, quod diligentia esset hominis otio suo abutentis. Priores, ut dixi, dogmaticae sunt; malas enim notas inussit Ecclesia pluribus Baii propositionibus, in quibus omnia *infidelium, & peccatorum opera peccata esse dicebantur.* Huiusmodi sunt, propositio 25 sic se habens: *Omnia infidelium opera sunt peccata, & philosophorum virtutes sunt vitia*; & 35: *Omne, quod agit peccator, aut servus peccati, peccatum est*; aliaeque plurimae. Baianum errorem adoptavit Jansenius *lib.* 4 de statu naturae lapsae *cap.* 17. Quod attinet ad quaestionem III scholasticam, senserunt Vasquez, Norisius, aliique non bene multi ad quodvis opus bonum morale requiri semper Gratiam actualem, contra docentibus communiter Theologis.

PRO-

Ecclesiae sensus est, aliqua sine fidei Gratia fieri posse bona opera moralia ordinis naturalis, ac proinde non omnia infidelium opera esse peccata.

190 Argumentum I Catholicae huius doctrinae ducimus ex scripturis, quarum Ecclesiam fidissimam interpretem esse, nemo unus ex adversariis negabit. Exodi 1 laudantur a Deo obstetrices AEgyptiae, quod Hebraeorum masculos servassent; easque ob id remuneratas a Domino legimus ibid. v. 20, & 21. Quae quidem si ut sese apud Pharaonem excusarent, mentitae sunt, non ob id mercedem a Deo obtinuerunt; sed quia Hebraeis maribus pepercerunt, ut docet Augustinus lib. contra mendacium cap. 15 num. 32: *Non est in eis remunerata fallacia, sed benevolentia*. Ezechielis 29 mercedem a Deo Nabuchodonosor accepit ob bellum feliciter gestum adversus Tyrios, uti Dominus eidem praeceperat. An forte Deus ob peccata praemia largitur? Minime gentium. Merito itaque aiebat Hieronymus in hunc locum: *Ex eo, quod Nabuchodonosor mercedem accepit boni operis, intelligimus etiam Ethnicos, si quid boni fecerint, non absque mercede Dei judicio praeterire*. Quidquod legimus in sacris literis, laudatum Assuerum, quod Judaeos a ferali excidio liberavit; commendatam hospitalitatem Rahab meretricis; templi restaurationem a Cyro factam, &c. His omnibus accedit, quod legitur Matth 5, nempe Christi praeceptum jubentis Apostolis, ut inimicos suos diligant, additis his verbis: *Si enim diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? Nonne & Ethnici hoc faciunt?* Supponit igitur Christus Ethnicos, seu infideles recte se gerere, dum diligunt fratres; secus haec comparatio a minori ad maius ad rem non esset. Faciunt huc etiam verba illa epist. Paulinae ad Rom. cap. 2: *Gentes, quae legem non habent, naturaliter, quae legis sunt, faciunt; eiusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex*. In quibus vide supponi a D. Paulo, exerceri ab hominibus infidelibus opera a lege naturali praecepta, quae bona sunt tum ratione finis, tum ratione officii.

191 Evincitur a pluribus Patrum testimoniis, quae huiusce Ecclesiae sensus fidem luculentissimam faciunt. Primum

autem locum damus, Origeni, qui lib. 2 in epist. ad Rom. ad cap. eius 2 hanc addit explicationem: *Graecus, idest gentilis, qui cum legem non habeat, ipse sibi est lex ..... naturali ratione motus ..... vel justitiam teneat, vel castitatem, vel prudentiam &c. ..... iste licet a vita alienus videatur aeterna, quia non credit Christo ..... videtur per ea, quae dicuntur ab Apostolo bonorum operum gloriam, & honorem, & pacem perdere penitus non posse.* Sequitur Gregorii Nazianzeni fragmentum orationis 19 in patris sui vita functi commendationem: *Quemadmodum ex nostris plerique non sunt, quos scilicet a communi corpore flagitiosa vitae ratio separat; sic contra permulti exterorum a nobis stant, quicumque nimirum fidem moribus anteverterunt, ac solo Christiani nomine carent, cum rem ipsam habeant, quo in numero meus quoque pater erat, ramus quidem alienus ceterum morum honestate ad nos propendens.* Idem sentit Hieronymus in cap. 1 epist. ad Galat. epist. ad Demetriadem; tum demum in cap. 22 Matth., ubi hanc ipsam controversiam instituens, sic respondet: *Inter ipsos quoque Ethnicos est diversitas infinita, cum sciamus, quosdam esse proclives ad vitia, & ruentes ad mala, alios ob morum honestatem virtutibus deditos.* Mitto Chrysost. hom. 2 in cap. 2 epist. ad Rom., Tertull. lib. de corona militis cap. 6, Ambrosium epist. ad Ireneum nunc 73 classis 2, alias 41: quorum omnium haec una vox est, verba illa Apostoli in sua ad Rom. epist. cap. 2: *Gentes, quae legem non habent,* &c. intelligenda esse de gentibus ad Christi fidem nondum conversis, quae solo rationis naturalis lumine ea praestant, quae praeceptis naturalibus injunguntur, & quorum inobservantia ipsos divino judicio obstrictos redderet, ut ibidem docet Apostolus iis verbis: *Quicumque sine lege* (intellige Mosaica, ac proinde cum sola naturali) *peccaverunt, sine lege* (intellige etiam Mosaica) *peribunt.*

Dum autem a referendis aliorum Patrum testimoniis abstineo, religio mihi est August. sententias omittere, quae summam juris accessionem doctrinae nostrae faciant, ac oppido falli adversarios demonstrent, dum s. Doctorem patronum suum esse gloriantur. Primo August. lib. de Spirit. & lit. cap. 7 docet de his: *Qui naturaliter, quae legis sunt, faciunt, nondum Deum verum colentibus; .... quaedam facta vel legi, vel audiri, quae secundum justitiae regulam non solum reprobari possunt, verum etiam merito, recteque*

recteque laudari. Quamvis autem addat ibidem: *Quod si huiusmodi opera discutiantur, quo fine fiant, vix inveniuntur, quae iustitiae debitam laudem, defensionemve mereantur*; subiungit tamen, quod: *Non usque adeo in nobis imago Dei terrenorum affectuum labe detrita est, ut nulla in ea velut lineamenta extrema remanserint, unde merito dici possit, etiam in ipsa impietate vitae suae facere aliqua legis, vel sapere*. Tum cap. 28 docet, huiusmodi opera prodesse, *ut mitius puniantur*: sentit igitur huiusmodi opera mala omnia non esse, quamvis raro id contingat; secus nec aliquando ad poenam minuendam prodessent, & detrita prorsus dicenda esset in infideli Numinis imago, cum nullum opus rationi conforme posset ab Ethnico exerceri. Sed clariora sunt, nostroque instituto magis accommodata, quae docet epist. 144 de Polemonis temperantia, quam esse vult Dei donum; porro donum Dei infideli concessum malum esse nemo dixerit. Excipe jam s. Doctoris verba: *Xenocrates Polemonem de fruge temperantiae disputando non solum ebriosum, verum etiam ebrium ad mores alios repente convertit. Quamquam ergo tunc ille . . . . . non Deo fuerit acquisitus, sed tantum a dominatu luxuriae liberatus; tamen ne id ipsum quidem, quod melius in eo factum est, humano operi tribuerim, sed divino. Ipsius namque corporis . . . . . si qua bona sunt, ... non sunt nisi ex Deo creatore, & perfectore naturae; quanto magis animi bona donare nullus alius potest?* Testatur idem Augustinus lib. 5 de civit. Dei cap. 15: *Romanis vastissimi imperii gloriam concessam fuisse, ut redderetur merces bonis artibus eorum, idest virtutibus, quibus ad tantam gloriam pervenire nitebantur. Virtutes autem ipsorum erant privatas res suas pro Republica contemnere, avaritiae resistere . . . . . libidini non esse obnoxios*, &c. Quae quidem si quis cum Jansenio mala esse velit eo, quod gloriae cupiditati; non Deo servirent, idque ex August. cap. 14 eiusdem lib. deduci velit, oppido fallitur: inde enim dumtaxat extundi potest, opera laudata esse infructuosa relata ad vitam aeternam, quia ad Numinis gloriam non directa, non vero fuisse peccata, quia illud gloriae temporalis desiderium adeo malum simpliciter non fuit, ut suam etiam temporalem mercedem obtinuerit, ut innuit ibid. Augustinus cap. 15; quam quidem Deus non contulisset ob actum pravum.

132 Evincitur 3. ex decretis Pontificiis, a quibus anathema dictum est pluribus Baii propositionibus, & potissimum his, quae rem nostram pressius adtingunt, ut 25 sic conceptae: *Omnia infidelium opera sunt peccata, & philosophorum virtutes sunt vitia*; tum 27: *Cum Pelagio sentit, qui textum Apostoli gentes, quae legem non habent, naturaliter quae legis sunt, faciunt, intelligit de gentibus fidei Gratiam non habentibus*. Tum etiam 28, 37, & 38. His consona est censura ab Alexandro VIII lata in alias propositiones, quarum 5 sic ferebat: *Necesse est infidelem in omni opere peccare.*

133 Evincitur 4 ratione Theologica I si infideles in actionibus suis moralibus peccant, maxime quia vel ob pravum infidelitatis finem semper operantur; vel quia, ut par est, actiones suas ad supremum Numen non dirigunt: neutrum dici potest; ergo. Probo min. quoad primam partem; quia, ut docet s. Thomas 2 2 quaest. 10 art. 4: *Sicut habens fidem potest aliquod peccatum committere in actu, quem non refert ad fidei finem, vel venialiter, vel etiam mortaliter peccando; ita etiam infidelis potest aliquem actum bonum facere in eo, quod non refert ad finem infidelitatis.* II autem pars eiusdem min. inde suadetur, quod necesse non est, ut quivis actus tendat expresse in Deum, ut ultimum finem; sed sufficit, ut ex natura sua in eum tendat (quod docent Theologi in tract. de actibus hum.) atque a Deo non deordinetur prava aliqua affectione. *Si* enim aliter res esset fidelis, imo etiam justus *pauperi* stipem praebens ex solo ipsius miseriae subveniendae motivo, sine ulteriori ad Deum directione peccaret: *Habitus enim fidei, vel caritatis, quibus est instructus, nihil omnino influunt in huiusmodi actus*, ut optime docet hic Cardinalis Gotti. II ad sententiam nostram firmandam illud accedit, quod infidelitate ratio in homine penitus non destruitur: ergo cum ipsa potest homo secundum rectam rationem, ac proinde bene operari. Quapropter s. Thomas in cap. 14 epist. ad Rom. inquit: *Cum aliquis infidelis ex dictamine rationis aliquod bonum facit, non referendo ad malum finem, non peccat; licet opus eius non sit meritorium, quia non est Gratia informatum*; & 2 2 quaest. 10 art. 4: *Peccatum mortale tollit Gratiam gratum facientem; non autem totaliter corrumpit bonum naturae, unde . . . . . infideles . . . . . bona opera, ad quae sufficit*

cio bonum naturae, operari possunt. Unde non oportet, quod in omni suo opere peccent.

PROPOSITIO II.

Nusquam credidit Ecclesia, omnia peccatorum opera esse peccata; hinc sine Gratia sanctificante fieri potest bonum opus morale tum ordinis naturalis, tum supernaturalis.

134 Evincitur propositio, quia Ecclesia semper peccatores ad morum mutationem excitavit, ut inde ad bonam frugem conversi Gratiam sanctificantem possent obtinere, verba illa Ezechielis 18 adoptando: *Convertimini ad me, & agite poenitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris*; tum illa, quibus Daniel 4 monet Nabuchodonosor, ut *peccata sua eleemosynis redimat*; nec non illa, quibus Isaiae 58 excitantur peccatores, ut esurientibus panem frangant: ut egenos domum suam inducant, ut illud Christi monitum Lucae 11 impleant: *Petite, & accipietis*. Iniqui autem erimus, si dicamus Ecclesiam, imo Christum ipsum hortari peccatores, ut novis se criminibus polluant; secus crimen dicenda est oratio illa a publicano supremo Numini fusa Lucae 18: *Deus, propitius esto mihi peccatori*. Flagitia pariter essent actus fidei, spei, timoris, & adtritionis, qui ab homine peccatore, ut se ad justificationem disponat, urgente Spiritu sancto, juxta doctrinam Trident. sess. 14 cap. 4 eliciuntur; contra ac definiat eadem Synodus can. 5 ejusdem sess. Merito itaque concilium Constantiense sess. 15 errores istos Wiclefi, & Joannis Hus proscripsit: *Ex principiis fidei est per se notum, quod quidquid homo in mortali peccato fecerit, peccat mortaliter. Peccatum mortale inficit universaliter actus hominis vitiosi*. Cujus Concilii vestigia secuti Romani Pontifices Pius V, Gregorius XIII, & Urbanus VIII diris devoverunt hanc Baii propositionem: *Omne, quod agit peccator, vel servus peccati, peccatum est*.

Veritas haec ab Ecclesia semper propugnata inde etiam credibilis redditur, quod aeque in scripturis innuitur, arborem bonam non posse malos fructus facere, ut arborem malam non posse bonos fructus adferre. Uti igitur ab homine justo, seu arbore bona, hoc non obstante, admitti

peccata

peccata venialia; ita ab homine peccatore elici poterunt actus moraliter boni, ut docet Chrysost. hom. 67: *Non potest malus omnino malus esse; sed evenit, ut aliquid habeat boni: neque bonus omnino bonus; sed nonnulla solet habere peccata.* Ratio autem horum omnium haec est, quod peccato rationalitas in homine omnino non destruitur; unde cum peccato plura potest recte, ac rationaliter operari, ut docet s. Thomas: eo vel maxime, quod etiamsi bonum proprium frequenter adhibeatur ut suae cupiditatis objectum a peccatore: illud tamen objectum non semper est peccatum, quia in eius ambitu utile, honestum, & delectabile continentur. Quapropter Deum etiam diligere possumus amore concupiscentiae; qui amor non semper dicendus est rectae rationi difformis.

Responsiones ad objecta.

135 Opponitur contra primam propositionem. I scripturae passim indigitant, opera infidelium esse peccata; modo enim legimus: *Quod non est ex fide, peccatum est*; ut ad Rom. 14 modo: *Sine fide impossibile est placere Deo*; ut Hebr. 11 modo: *Omnia esse munda mundis; coinquinatis autem, & infidelibus nihil esse mundum, sed inquinatas esse eorum mentem, & conscientiam*; ut ad Titum 10: tum denique Matth. 8: *Non potest arbor mala bonos fructus facere*: ex quibus omnibus illud planum, ac obvium fit, eam esse infidelium conditionem, ut boni nihil ab eisdem possit prodire, utpote infectis, atque infidelitatis lue vitiatis.

Respondetur ad I triplici responso. I textum Apostoli intelligendum esse hoc sensu, quod nimirum, quae agimus contra conscientiae nostrae dictamen, peccata sunt: ita Patres concilii Lateranen. IV post Chrysostomum, & OEcumenium hunc locum interpretantur: quae quidem interpretatio Apostoli menti conformis est, ut liquet legenti versic. 20 cap. laud. II quod non est ex fide, peccatum est, negative, quatenus infructuosum est in ordine ad vitam aeternam, non autem positive, & vere malum semper dici debet, si non careat morali rectitudine. III peccatum est, quod non est ex fide, positive, idest contra fidem, atque animo infidelitatis exercetur, concedimus: hoc enim sensu locutus est Augustinus, dum dixit lib. 4 contra Julianum cap. 3 num. 32. *Ipsorum sunt peccata,*

quibus

quibus & bona male fiunt, quia ea non fideli, sed infideli; idest falsa, & noxia faciunt voluntate. Quod non est ex fide privative, peccatum est. Subdistinguimus. Peccatum est frequenter, quia passim ex motivo infidelitatis fide carens operatur. Concedimus: semper negamus. Sic *epist.* 1 Joannis *cap.* 3 innuitur omnem a Deo natum non peccare, nec posse peccare, & tamen justus frequenter peccat, aiente eodem Joanne nos falli, dum dicimus peccatum in nobis non esse; uti igitur Joannes intelligitur hoc sensu, quod operans ex motivo caritatis non peccat, etsi non semper ex illo motivo operetur, ut liquet, ita ex adverso in re nostra. Ad 2 respondeo. Sine fide impossibile esse placere Deo in ordine ad vitam aeternam, de qua hic loquitur Apostolus inquiens v. 23: *Qui per fidem vicerunt regna, operati sunt justitiam, adepti sunt repromissiones*. Sed tamen sine fide potest placere Deo non quidem persona, sed opus in ordine ad moralem honestatem ordinis naturalis. Ad 3 urgeo instantiam de homine justo, qui nec etiam venialiter posset peccare. II dico huiusmodi testimonium ita esse explicandum, quod nempe ii, qui propter infidelitatem, aut cordis immunditiam operibus Dei abutuntur, vel uti nolunt eo, quod temere, ac erronee ipsa esse immunda putent, isti peccant. Explicationem hanc non unus probat interpres. Ad 4 distinguo. Quando arbor operatur ut mala. Concedo. Quando non operatur ut mala. Nego. Uti enim justus interdum venialiter peccat non agens ex justitia; ita infidelis interdum non peccabit, quia non operabitur ex infidelitatis motivo. Responsionem hanc innuit Augustinus iis verbis lib. 4 contra Julianum cap. 3 num. 3: *Non enim quantum homo est, quod est opus Dei, sed in quantum malae voluntatis, quisquis arbor mala est*.

Urgebis ex Apostolo 1 Corint. 10. Omnia in Deum referenda sunt opera, omnia in gloriam Dei facienda; atqui infidelis id nequit praestare, cum Deum ignoret: ergo &c. Respondetur I objectionem hanc sedem propriam habere in tract. de Actibus humanis, quem, si licebit, in lucem edere conabor. Respondetur II minorem laudati argumenti falsam esse; etenim quotquot ideas innatas admittunt, ii supremi Numinis ignorantiam negant: porro in ea ego etiam versor sententia, ut fortassis ostendam, si tractatum de Deo, eiusque attributis publici juris fecero.

136 Opponitur 2. contra eamdem s. Augustini auctoritas: haec enim esse debet instar omnium. S. Doctor *lib.* 4 contra Julianum *cap.* 3 docet in animo infidelis pudicitiam veram esse non posse, quia semper a Deo fornicatur; tum in infideli veram virtutem esse non posse, eorumque opera, quae videri possunt virtutes, ut nudum operire &c. defectu fidei, & directionis in Deum adeo non esse virtutes, ut vera sint dicenda peccata; quapropter quae in antiquis Romanis commendantur gesta, ea laudem non merentur, utpote mala. Vide apud Theologos dogmaticos testimonia ipsius id palam significantia.

Respondetur. Omnia Augustini testimonia, quae in specie adversariis favere videntur, ad liquidum facile posse perduci, si prava dogmata, quae hoc loco evertit Augustinus, expendantur. Rem hic habet Augustinus cum Juliano, qui cum originis labem negaret, illud facile inferebat, liberum arbitrium ita sibi ad bene vivendum sufficere, ut nullo eidem opus sit Numinis auxilio; ideoque viribus naturae virtutes plurimas, easque veras, ac perfectas apud antiquos infideles exstitisse adfirmabat: quae quidem ita homines illos Numini gratos reddiderunt, ut, quamvis a regno coelorum ob fidei defectum fuerint exclusi; aeternam tamen damnationem vitarunt. Haec prava dogmata, ut funditus convelleret Augustinus I docuit, opera adeo in antiquis commendata non fuisse gesta ex motivo virtutis, sed ex fastu, vanaque ostentatione. II quod si quae ex motivo virtutis facta sunt, ea homines illos Deo gratos non reddiderunt, quia nec ex caritatis motivo patrata, nec ex fide, nec ex intentione in ultimum finem supernaturalem directa. III nec etiam huiusmodi operum eam fuisse virtutem, ut homines illos ab aeterna damnatione redderet immunes. Hoc unum igitur consilium fuit ibidem August., ut ostenderet, opera a Juliano adeo celebrata in eiusdem sensu accepta nec bona fuisse, nec fructuosa, nihil omnino sollicitus, num bona aliqua fuerint bonitatis moralis, & naturalis. Quapropter locum in objectione laudatum sic claudit Augustinus: *Sed breviter accipe, ne forte, cum in rebus ipsis tantum erres, quantum errari plurimum potest, videar tecum certare de verbis . . . . . Scito, nos illud bonum hominum dicere, illam voluntatem bonam, illud opus bonum sine Dei Gratia, quae datur per unum mediatorem Dei, & hominum, nemini posse conferri, per quod solum homo potest*

ad

ad aeternum Dei donum, regnumque perduci . . . . dicantur secundum te huiusmodi voluntates arbores bonae, sufficit, quod apud Deum steriles sint, ac per hoc non bonae. Tum rediens ad Julianum sic interrogantem: *Si gentilis nudum operuerit, numquid quia non est ex fide, peccatum est?* Sic respondet: *Prorsus in quantum non est ex fide, peccatum est; non quia per se ipsum factum peccatum est, sed de tali opere in Deo gloriari* (vid licet credere opus huiusmodi ad aeternam salutem conducere) *solus impius, negat esse peccatum.* Ut omnia igitur breviter complectamur, & responsum demus, quo ea omnia ad liquidum possint perduci, quae ex s. Doctoris *lib.* 10 ad Bonifacium *cap.* 5 *lib.* 1 Retractationum *cap.* 15 *tract.* 86 in Joannem; *lib.* 1 de nuptiis, & concupisc. *cap.* 3, atque libris contra Julianum deduci solent, ut haec, inquam, loca facile explicentur, haec prae oculis semper habenda sunt: Juxta mentem Augustini virtus non usurpatur in sensu philosophico, sed Theologico, & Christiano, pro habitu scilicet, qui est ex Gratiae beneficio hominem simpliciter bonum denominante, atque salutem aeternam promovente. Hoc autem sensu negat esse veras virtutes, quae nimirum simpliciter tales sint, virtutes infidelium; eas vult esse peccata, vel negative, modo superius explicato num. 135, vel quoad actum; quia ut plurimum fiunt ex pravo fine (quod quidem cum non distingueret Julianus, optime ostendit August. officia a finibus esse secernenda, ac illa ex istis passim prava reddi) vel juxta aliquos quoad statum, quia semper exercentur in statu peccati. Haec una mens fuit August.; non vero negare aliqua in infidelibus bona opera, cum eius id non ferret contra Julianum, & Pelagium controversiae institutum. Si enim vellet omnia infidelium opera esse vere peccata, quia semper facta ex pravo fine, illud non tradidisset in lib. de Spirit. & lit. cap. 27: *Si discutiantur, quo fine fiant, vix inveniuntur quae justitiae debitam laudem, defensionemve mereantur.* Ubi id notaveris, rara dumtaxat esse per Augustinum bona opera hominum infidelium, non vero nulla.

137 Opponitur contra secundam propositionem. I Proverb. 15 legimus: *Victimae impiorum abominabiles Domino*; Joannis 9: *Deus peccatores non audit*; quibus liquido designatur, quam Deus oderit bona etiam opera peccatorum; Deus autem non odit nisi peccatum. Respondetur jure merito victimas illas hominum impiorum Deo exo-

las

sas esse, ac invisas, quia ipsi oblatas prava intentione, puta ex hypocrisi, vanaque gloria. Hinc Isaiae 29 eorum pravos animos sic Deus revelat, inquiens: *Populus iste labiis suis glorificat me; cor autem eius longe est a me.* Testimonium autem Joannis prolatum non fuit a Christo, sed a caeco nato nondum ad fidei lucem provecto, ut observat Augustinus *lib.* 2 contra epistolam Parmeniani.

138 Opponitur II contra eamdem. Peccator non agit ex caritate, sed ex cupiditate: atqui operans ex cupiditate, peccat: ergo. Ulterius: tenemur omnia in Deum ex motivo caritatis dirigere; atqui peccator ex motivo caritatis non operatur, ergo &c. Respondetur ad prim. Distinguo mai. agit ut plurimum ex cupiditate. Concedo maiorem. Semper. Nego maiorem, & concedo minorem intellecta de vitiosa cupiditate, Nego conseq. Homo peccator potest nec ex caritate, nec ex cupiditate operari, si ob finem honestum proprium virtutis moralis operetur, ac proinde virtualiter propter Deum, non quidem, ut cognitum fide supernaturali, ut objectum aeternae beatitudinis, ut summum bonum super omnia dilectum, seu ex caritatis motivo; sed ut omnis honesti fons est, & origo. Ad secundum nego motivo caritatis nos adstringi ad omnia in Deum dirigendo. Si enim res ita esset, actus omnes virtutum essent caritatis actus, non aliarum virtutum; & praeceptum caritatis semper urgeret ad Deum *diligendum* super omnia: quod tamen praeceptum, *cum sit* positivum, non obligat pro semper, sed pro *tempore* determinato. Tenemur, fateor, omnia in Deum tamquam ultimum finem explicite, vel virtualiter dirigere, ut ostenditur in tract. de Actibus hum., ubi de indifferentia actuum humanorum, sed ex alio motivo, quam caritatis: hac enim adstringimur ad non peccandum, & ad Deum diligendum super omnia tamquam summum bonum supernaturale, actibus supernaturalibus saepe in vita iterandis.

Reliqua, quae solent opponi ex Augustino, Ambrosio, Hieronymo, Prospero, ac pluribus Romanis Pontificibus, ut Zozimo, Caelestino, aliisque, tum etiam ex concilio Arausicano II id unum probant, nullum sine Gratia sanctificante fieri posse bonum opus morale ordinis supernaturalis meritorium vitae aeternae, necnon ut plurimum vitiosam cupiditatem in peccatoribus dominari, non tamen semper.

APPEN-

Quaeres, num bonum aliquod ordinis naturalis exerceri possit sine Gratia actuali.

139 Respondetur affirmative contra Vasquez, Contensonium, Gonet, aliosque, quos in limine huius controversiae adpellavimus. Probatur, quia Tridentinum Gratiam supernaturalem requiri declarat ad actus supernaturales eliciendos, sicut oportet; nec alibi Gratiae necessitatem constituit, nisi ubi loquitur de actibus aeternam salutem promoventibus, vel saltem de illis, ad quos impares agnoscit naturae vires; atqui merum opus morale non est ordinis supernaturalis, nec aeternam salutem promovet, nec quodvis tale est, quod vires etiam attenuatas per peccatum superet: ergo &c. Maior certa est, minoris 1 & 2 pars partim constant ex dictis, partim ex dicendis in dissert. I part. II scholasticae constabunt. III igitur, quae superest probanda, inde evincitur, quod, ut optime docet s. Thom. hic quaest. 109 art. 2 in corp.; & nos etiam ex ipso docemus passim in hoc tractatu: *Natura humana per peccatum non est totaliter corrupta . . . . potest quidem homo per virtutem suae naturae aliquod bonum particulariter agere*: ergo aliquod opus bonum morale per meram virtutem naturae fieri potest ab homine lapso: ergo non omne opus bonum morale tale est, quod vires naturales excedat, ac proinde Gratiae adjutorium exigat. Ulterius: confixa est a s. Pio V propositio inter Baianas 27: *Liberum arbitrium sine adjutorio Dei nonnisi ad peccandum valet*: ergo sine adjutorio Dei homo interdum agens semper non peccat; aliunde suppono ex tract. de actibus humanis, nullos dari actus humanos indifferentes: ergo actus aliqui morales ab homine eliciuntur boni, & honesti in ordine morali; si enim mali essent, semper homo peccaret agens sine Gratiae consortio. Demum ex Trident. *sess.* 6 *can.* 5 liberum arbitrium exstinctum non est relate ad bonum: ergo non est nisi attenuatum relate ad ipsum: ergo vires aliquae in ipso adhuc supersunt ad bonum: atqui si indigeat Gratia ad quodvis bonum morale ordinis naturalis, jam nullae dici debent relate ad bonum vires naturales superstites: ergo. Unde quemadmodum aeger, esto omnia non possit praestare, quae sanus praestabit; aliqua tamen potest; ita homo lapsus, esto omnia opera bona ordinis naturalis praestare nequeat,

quae

quae in statu innocentiae exercere potuisset; aliqua tamen poterit exercere: quod satis est ad intentum.

Quaeres ulterius, an ad aliqua opera ardua, ac difficiliora ordinis naturalis praestanda, requiratur nunc auxilium Numinis peculiare.

140 Resp. affirmative; quia si omnia possit homo lapsus, quae poterat sanus, jam nullum est discrimen naturae sanae, & sauciatae: adtenuatae non erunt hominis lapsi vires: vulnus nullum ab originis labe inflictum nobis esset in ordine ad opera bona ordinis naturalis exercenda; atqui haec omnia sunt falsa, ut facile quisquis intelliget partim ex dictis in superioribus, partim ex dicendis in parte II, dissert. I, potissimum ubi agimus de auxilii peculiaris necessitate ad Deum diligendum naturaliter super omnia, necnon in aliquibus quaestiunculis adnexis: ergo &c. Sententiam hanc laudant, ac probant graviores scholae magistri, multisque argumentis confirmat inter ceteros cardinalis de Aguirre, vir nunquam sine laudis praefatione nuncupandus. Igitur opera quaedam heroica, ardua, ac difficiliora a nativa hominis virtute languida, & effoeta ob peccatum originis nequeunt exerceri sine peculiari Numinis auxilio, utique vero facilia, & obvia: hoc autem auxilium dici ne debeat ordinis naturalis, vel supernaturalis, quis hariolabitur? Vide, quae dicimus in dissert. I part. II; nunc, ut huic I parti dogmaticae manum extremam apponamus, Ecclesiae vindicias adgrediemur contra Jansenismi patronos.

DISSERTATIO V

Continens Catholicae doctrinae collationem cum erroribus Jansenianis.

Quae fuerint Jansenii dogmata: qui casus obtigerint celebri ipsius libro, cui titulus *Augustinus Cornelii Jansenii*, fuse jam, & abunde significavimus in prolegom. II. Nunc censuras in librum huiusmodi, ac potissimum in tres huc spectantes propositiones ex eodem excerptas ab Ecclesia latas vindicare adgredimur adversus Jansenii Patro-

tronos, quorum amarae questus contra Ecclesiasticas sanctiones is solus ignorat, qui nuspiam eorum monumenta literis consignata legerit.

CONTROVERSIA I

In qua exponitur Ecclesiae fides, quoad possibilitatem observantiae divinorum mandatorum relate ad hominem justum.

PROPOSITIO.

Doctrina haec semper solemnis fuit, ac vulgata in Ecclesia, justis scilicet adesse semper Gratiam sufficientem, urgente praecepto, qua possint ipsum implere.

Hinc merito malis notis mulctata est prima Jansenii propositio: *Aliqua Dei praecepta hominibus justis, volentibus, & conantibus secundum praesentes, quas habent, vires sunt impossibilia: deest quoque Gratia, qua possibilia fiant.*

241 Evincitur 1. Ecclesia ea semper fidelibus credenda proposuit, quae in sacris literis a Deo fuerunt expressa in omnium piam, sanctamque institutionem; atqui passim docemur a sacris scriptoribus, *fidelem esse Deum, qui non patietur, nos tentari supra id, quod possumus, sed faciet etiam cum tentatione proventum*, ut habemus 1 Cor. 10 v. 13, ubi de justis sermonem fieri probat versiculus 12: *Qui se existimat stare, videat, ne cadat; jugum Christi suave est, & onus eius leve*: ut Matth. 11: *Mandata eius gravia non esse*; ut Joan. 5: *Visum non esse justum derelictum*; ut psal. 36 v. 24: *Oculos Domini esse super timentes eum*; ut Eccl. 2, &c. Ergo, ut haec omnia testimonia sarcta, tectaque sint, dicendum est, nulla esse justis praecepta impossibilia, adesse illis Gratiam, qua juxta praesentes ipsorum vires, idest, habita ratione ad gradus concupiscentiae actualis, divina mandata possint implere. Si enim secus res esset, tentarentur supra id, quod possunt homines justi; jugum Christi relate ad ipsos durum esset, quia nullam in ipsis actualem capacitatem ad ipsum ferendum supponeret; protector eorum non esset Deus,

 quia

quia ipsis Deum timentibus oculis suis, idest Gratia sua eisdem non adesset. Scio plura quaeri diverticula a Jansenianis, ut vim huiusmodi auctoritatum declinent; praecipue illius, quam primo loco adduximus, quasi ipsius sensus sit: Deus praestabit, ut tentationem vincatis; sed hoc effugium facile occluditur ex contextu: legitur enim: *Faciet cum tentatione proventum, ut possitis sustinere*, quod inepte in sensu Jansenii sic deberet efferri: reddet vos victores tentationum, ut possitis illis resistere, quasi actus conflueret ad constituendam potentiam; quare Cyprianus hunc locum meliori sensu sic effert: *Faciet cum tentatione facultatem evadendi.*

142 Evincitur 2. Doctrinam illam constanter tenuit Ecclesia, quam Patres, Concilia, Rom. Pontifices palam semper, aperteque propugnarunt. Porro sententiam, quam defendimus, inter sacratiora Ecclesiae monumenta reperiet quicumque in Patrum, Conciliorum, ac pontificiarum sanctionum lectione interdum versetur. Occurrent enim, quae sententiam nostram disertis terminis indigitent apud Tertullianum *lib.* 2 contra Marcionem *cap.* 5; Hieronymum in *cap.* 5 Matth.; Chrysostomum *hom.* 8 de Poenit.; s. Leonem magnum *serm.* 16 de passione Domini, & potissimum apud Augustinum, quem quidem uti judicem in hac re non recusant Janseniani; ita in ipsius mente evolvenda industriam nostram duntaxat collocabimus. Lib. 2 de peccat. meritis, & remiss. cap. 17 inquit: *Ut innotescat, quod latebat, & suave fiat, quod non delectabat, Gratiae Dei est; qua ut non adjuventur, in ipsis itidem caussa est, non in Deo*: eodem lib. cap 6 ita scribit: *Dubitare non possum, nec Deum aliquid impossibile homini praecepisse, nec Deo ad adjuvandum, quo fiat, quod jubet, impossibile aliquid esse*: lib. de nat. & Grat. cap. 26 sic loquitur: *Cum Deus . . justificat impium . . . . & eum ad perfectam vitam perduxerit, non deserit, si non deseratur, ut pie semper, justeque vivatur.* Hoc repetit *serm* 88 de tempore, & *tract.* 38 in Joannem. Jam vero sic arguitur ex Augustino: Deus hominem non deserit, nisi prius deseratur; caussa, cur homo non adjuvetur, in solum hominem refundi debet, non in Deum; atqui, semel negata in homine justo Gratia sufficienti, qua divina mandata eidem possibilia reddantur, haec omnia fallunt: ergo &c. Quapropter idem s. Doctor lib. de corrept., & Grat. cap. 7, inquit: *Si non se li-*

liberabunt, qui poterunt dicere, se non audivisse Evangelium . . . . . quanto minus se liberabunt, qui dicturi sunt, perseverantiam non accepimus? Potest enim dici ei, quod audieras, ac tenueras, perseverares, si velles. Supponit itaque hominem fidelem, & a fortiori justum Gratia sufficienti instructum, qua bene fuisset acturus, si prava voluntate auxiliis ulterioribus obicem non posuisset; falso enim dicetur, aliquem posse facere, si vellet quod ei est impossibile. Ubi illud notatum velim ad omnia adversariorum cavillamenta declinanda, textum a nobis mox allatum ex *lib.* de nat., & Grat. *cap.* 26 intelligi non posse de Gratiae habitualis subtractione: nam primo agit ibidem Augustinus contra Pelagium de Gratia actuali, qua ad pie vivendum adjuvamur, non de Gratia habituali: hanc enim Pelagius non censebat auferri, antequam homo a lege aeterna per peccatum recederet. II ex sola lectione contextus adversariorum fraus revelatur: *Non deserit,* ita loquitur s. Doctor, *si non deseratur, ut pie semper, justeque vivatur. Sicut enim oculus corporis plenissime sanus nisi candore lucis adjutus non potest cernere; sic homo, etiam perfecte justificatus, nisi aeterna luce justititiae divinitus adjuvetur, recte non potest vivere.* Annon hic de Gratia actuali aperte loquitur Augustinus? Hoc sensu hujusmodi testimonium fidus Augustini discipulus s. Prosper intelligit respons. 7 ad objectiones Vincentianas, a quo recedere crimen est.

Quod attinet ad Concilia, & Rom. Pontifices, eorum verba referre contenti sumus, quin ratiocinia singulis appendicis loco adnectamus. Concilium Arausicanum II *can. ult.* definit, baptizatos omnes, Christo auxiliante, & cooperante, quae ad salutem pertinent, posse, si fideliter laborare voluerint, adimplere. Tridentinum cap. 11 sess. 6 de justificat.: *Nemo*, inquit, *temeraria illa voce uti debet, Dei praecepta homini justificato ad observandum esse impossibilia. Nam Deus impossibilia non jubet; sed jubendo monet & facere quod possis, & petere, quod non possis, & adjuvat, ut possis*: ubi vides, Gratiam sufficientem remotam semper adesse justis, quando non habent Gratiam sufficientem proximam, qua possint facere. Eadem sess. cap. 18 sic definit: *Si quis dixerit, Dei praecepta homini etiam justificato, & sub Gratia constituto esse ad observandum impossibilia, anathema sit.* Iterum cap. 11 laud. ejusdem sess. loquitur: *Cujus jugum suave est, cujus mandata gravia non*

 sunt.

sunt. Qui enim sunt filii Dei, Christum diligunt. Qui autem diligunt eum . . . . servant sermones eius; *quod utique cum divino auxilio praestare possunt.* Tum addit: *Deus sua Gratia semel justificatos non deserit, nisi prius ab eis deseratur*; quae sunt verba Augustini jam a nobis superius adlata. Si autem homo justificatus, dum primo urget praeceptum servandum, destitutus esset Dei auxilio, quo posset illud implere, nonne Deus hominem desereret, antequam ab homine desereretur? Quod si hic opponant Jansenii sectatores, solum hic a Patribus Trident. damnari errorem Lutheri censentis justos semper peccare, & in hoc sensu relate ad ipsos servatu esse impossibilia Dei praecepta, eoque duntaxat sensu possibilitatem mandatorum a Tridentino doceri, facilis responsio est, & Lutherum a Concilio damnari, & quotquot sentiunt mandata justis esse impossibilia, ut liquido constat ex contextu: *Deus impossibilia non jubet*; *sed jubendo monet facere, quod possis, & petere, quod non possis, & adjuvat, ut possis.* Tum etiam ex Andrea Vega insigni concilii Trid. Theologo, *lib.* 11 de justificat. *cap.* 11, ubi doctrinam Tridentini sensu a nobis explicato exponit: huic autem credere nolle est hominis praeiudicatis opinionibus laborantis.

Pontifices autem anathema dixisse propositioni Jansenianae, constat ex *num.* 29, 30, & 31 prolegom. II, in quibus laudatam propositionem sensu a Jansenio intento damnatam diximus. Sensus autem erat, gradus concupiscentiae interdum in justo superare gradus Gratiae; adeoque illos voluntatem necessitare ad peccandum, ac proinde juxta praesentes vires actu deesse justo capacitatem ad implenda praecepta. Quando itaque Ecclesia definit *juxta praesentes vires adesse justis Gratiam, qua possibilia fiant mandata*, adseritur Gratia, quae vincere possit gradus actualis concupiscentiae. Mitto, ab Alexandro VIII damnatam fuisse epistolam Arnaldi, in qua errorem hunc Jansenii instaurare, ac confirmare conatur. Reliqua huc spectantia vide in historia Jansenismi a nobis exposita in prolegomeno II.

143 Evincitur 3 ratione Theologica. I ex ipso Jansenio homines justi conantur implere mandata; conatus autem isti, & pii affectus sunt actus indeliberati, media Gratia sufficiente eliciti, quibus voluntas, si obicem propria malitia non poneret, posset de facto implere mandata: nam huiusmodi auxilio intellectus, & voluntatis activitas ad or-

dinem supernaturalem elevatur, & capacitatem adquirit ad eliciendos actus perfectos salutare quod proprium est Gratiae sufficientis, ut ostendemus in parte II in quaest. de natura Gratiae sufficientis: ergo, dum negat Jansenius Gratiam sufficientem justis, eam necessario in ipsis debet admittere. Ulterius: anima justi per Gratiam sanctificantem *causative* constituitur in ordine supernaturali; quaevis autem substantia spiritualis activitatem sibi proportionatam omnino exigit: ergo eo ipso, quod in ordine supernaturali constituta est, exigit, ut propria activitas naturalis ad ordinem etiam supernaturalem elevetur, quo propria potentia actibus supernaturalibus eliciendis proportionetur; atqui munus istud proprium est Gratiae sufficientis, ut satis constabit ex dicendis in parte II: ergo jus habet ad Gratiam sufficientem: ergo ne Deum ut injustum traducamus, qui Sanctos fraudare velit jure suo, ipsis Gratiam sufficientem non denegare dicendum est. Demum praeter hoc jus tenentur justi parere mandatis: ergo debent posse ipsa servare; *nemo enim peccat in eo, quod cavere non potest*, juxta communem Patrum sententiam: ergo debet ipsis conferri Gratia sufficiens, qua hujusmodi mandata possint servare. Momento isti lucem foenerabimur in dissert. III partis II, ubi infideles obduratos, &c. non omni auxilio intrinseco destitutos ostendemus.

Responsiones ad objecta.

144 Opponitur 1. Passim legimus in sacris literis: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus, qui misit me, traxerit eum .... nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datum de caelo*; ita Joannis 6: *Sine me nihil potestis facere*; ita Joannis 15: *Quicumque spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei*; ita Rom 8. Jam vero sic arguit in Gratiam Jansenii Arnaldus in dissert. de Gratia efficaci part. I, tum etiam in Apologia novi Testamenti Montensis. Juxta Patrum, & Conciliorum doctrinam testimonia laudata exprimunt Gratiam efficacem: ergo supponunt, sine Gratia efficaci nihil posse a justo praestari, juxta sensum Scripturarum: ergo cum Gratia efficax saepe desit justo (frequenter enim peccando justitiam amittit sequitur) justis aliquando deesse Gratiam, qua possint mandata servare: ergo &c. Ad hujusmodi argumentum duplex habeto responsum; I quidem,

dem, conc. antec. disting. conseq. nihil posse a justo praestari *possibilitate*, quae supponatur conjuncta cum actu completo. Concedo consequentiam *Possibilitate*, quae non supponatur conjuncta cum actu completo, & perfecto. Nego conseq. Textus laudatus de Gratia efficaci, seu de Gratia operis vel intelligunt, vel saltem intelligere videntur Augustinus *lib.* 1 contra duas epist. Pelagianas *cap.* 3 *lib.* de praedestin. Sanctorum *cap.* 8, & alibi passim; Origenes *lib.* 1 contra Cellum; s. Leo magnus *serm.* 4; Arausicanum II *can.* 7, & 8; D. Prosper *lib.* contra collatorem *cap.* 3; aliique passim. Et sane qui in Gratiae natura, atque activitate intelligenda non aliquem solum scholasticum doctorem magistrum habere velit; sed in Patrum explicationibus evolvendis bonas horas velit collocare, profecto ex eorum doctrina intelliget, interdum ipsos adsumere *potentiam* non pro simplici possibilitate, sed pro potentia conjuncta cum actu perfecto, pro *posse completo* per actum. Sint instar omnium Gregorius magnus ita scribens in 7 psal. poenitentialem: *Jam non velle quidem bonum possumus, nisi illius Gratia adjuvemur . . . . Qui in nobis operatur velle, & perficere pro bona voluntate*; Augustinus lib. de Gratia Christi cap. 19: *Ut arbor sit bona, & faciat fructus bonos, eadem Gratia necessarium est, ut adjuvetur, sine qua boni aliquid facere non potest*; D. Thomas, sic aiens 1 2 quaest. 109 art. 6 ad 1: *Liberum arbitrium ad Deum converti non potest, nisi Deo ipsum ad se convertente*. Qui omnes cum loquantur de Gratia efficaci, ac velint, sine ipsa non posse ab homine elici opera salutaria, solam intelligunt *possibilitatem* completam per actum.

145 Hoc autem ut intelligas, juvat diversas possibilitatis species cum universa schola D. Thomae distinguere: hinc enim facile fuerit universum systema Thomistarum in natura Gratiae explicanda a falsis interpretamentis vindicare. Homo etsi ob labem originis in libero arbitrio non nihil fuerit sauciatus; tamen propensionem ad bonum, & malum servavit: ita tamen, ut se solo possit prave agere; bene autem, si agatur de bono salutem aeternam promovente, nonnisi per Gratiam. Vi autem huius libertatis & corripi potest, & mandata implere, &c. En tibi primum potentiae gradum. II Si homo in divinorum mandatorum observantia instruatur, unde ignorantiam, quoad id deponat, alterum potentiae gradum adquirit.

III

III per fidem alter eidem gradus possibilitatis accedit. IV per Gratiam excitantem, seu sufficientem, cuius naturam infra explicatam habes. Ultimus gradus in ratione potentiae accedit humanae voluntati, quatenus ipsa elevatur, eiusque potentia proportionatur actibus supernaturalibus eliciendis. V ut haec potentia ad actum applicetur, requiritur Gratia efficax, quae & potentiam complet per actum, isti illam adplicando, & naturam infirmam sanat, quae ob id vocatur etiam medicinalis. VI denique est & alius gradus potentiae omnium perfectissimus, quo salutem aeternam promeremur; nimirum qui nobis obvenit a Gratia sanctificante, & habitu caritatis. Jam vero de quinto possibilitatis genere intelligendi sunt scripturae textus, tum etiam Patrum locutiones, quando innuere videntur, sine efficaci Gratia non inesse hominibus potentiam ad bonum praestandum; non vero de quarto gradu possibilitatis, quam nuspiam saltem a justis excludunt. Dixi saltem a justis; nam pro infidelibus, obduratis &c. lis adhuc est in scholis Catholicis.

Si autem minus adrideat hoc responsum, quod tamen solis Thomisticae scholae adversariis videri potest minus aequum; responderi potest, liberum esse textus laudatos de Gratia efficaci, ac de Gratia praeveniente interpretari: quo pacto sensus erit, nihil boni supernaturalis posse ab homine praestari sine auxilio Gratiae praevenientis, quae & efficax, vel sufficiens esse potest; non vero deesse omnem Gratiam justo, ut possit mandata implere: qui sensus a scriptura, & Patribus tam est alienus, quam quod maxime.

146 Opponitur II. omni Gratia fuit Petrus destitutus, quando cedens tentationi Christum negavit; atqui pro eo tempore Petrus justus erat: ergo justis interdum deest Gratia, qua possint implere mandata. Maior certa est juxta Patrum doctrinam. *Casus Petri*, inquit Chrysostomus hom. 72 in Joannem, *non frigiditate, sed supremi auxilii derelictu contigit*; & hom. 83 in Matth.: *Petrus etsi bene animatus fuerat; divino tamen subtracto auxilio, cecidit.* Concinit Augustinus ita scribens serm. 124 de tempore, nunc 79 in appendice posito: *Quid homo sine Dei Gratia possit, timor beati Petri ostendit. Per solum enim liberum arbitrium, non addito etiam Dei adjutorio, promiserat se pro Domino moriturum. Sed quid est homo sine Gratia Dei, nisi quod fuit Petrus, cum negaret Christum? Ideo beatum Petrum*

 Dominus

Dominus paullulum deseruit, ut in illo totum hominum genus posset agnoscere, nihil se sine Gratia praevalere. Et sermo 296 al. 106 de divers.: *S. Petrus .... Dominum passurum ..... Non potuit sequi passurus ..... plus enim ausus erat, quam eius capacitas sustinebat, plus promiserat: quam poterat.* Mitto alios idem palam, aperteque sentientes. Minor autem argumenti facile probatur, ex iis, quae docent Hilarius *cap.* 30 in Matth. Basilius *hom.* de humil. *num.* 4. Hieronymus in *cap* 14 Matth. ubi caritatem D. Petri summis laudibus extollunt, qua Christum passurum sequi voluit; qua mortem Magistri sui negationi praeferendam à se esse dixit; ubi autem caritas est, iustitia pariter reperitur. Iustus itaque Petrus erat, quando Gratia omni destitutus Magistrum negavit, promissa servare non valens. Quare optime aiebat Augustinus serm. 284: *Ad horam trepidavit infirmitas; ut praesumtio vinceretur, non ut pietas deleretur.* Si itaque Petro iusto defuit Gratia, qua posset Christum non negare; id interdum iustis aliis evenire, qui dicat ei crimini non est vertendum.

Respondetur. Distinguo mai. Omni Gratia efficaci fuit Petrus destitutus, quando &c. Concedo mai. omni Gratia sufficienti. Subdistinguo sufficienti proxima. Transeat mai. remota. Nego mai. Minorem autem plures sunt, qui negent; quare a nobis etiam negari poterit, quod si de hoc nolis contentionis funem ducere, transmissa min. neganda est consequentiam. Sensum distinctionis breviter expono Fatemur D. Petro subtractum esse auxilium efficax in poenam nimiae, quam intus conceperat, *in propriis* viribus fidentiae: at eidem Gratiam omnem *fuisse* subtractam constanter negamus; esto enim, demus eidem Gratiam proxime sufficientem, seu quae proximam conferret potentiam ad Christum non negandum non fuisse concessam; tamen D. Petro concessam dicimus Gratiam remote sufficientem pios v. g. motus ad orationem excitantes, quibus obicem non ponens, tentationem potuisset superare. Nam cum moneamur ab Augustino lib. de natura & Grat. cap. 69: *Deum esse iustum, & impossibilia non iubere, ideoque non posse difficilia imperare*; fateri pariter debemus, potuisse D. Petrum orationis subsidium non demeteri, quod medium cum neglexerit, uberius, ac robustius Gratiae donum non obtinuit. Huius interpretamenti vades mihi sunt Patres ipsi, quos sibi patrocinari adversarii arbitrantur: ipsi enim de illa potentia loquuntur,

tur, de qua nimium praesumserat D. Petrus; hic autem de sola potentia praesumsit prout conjungenda cum actu: dixit enim: *Etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo*, non vero *possum te non negare*: ergo Patres negant D. Petri potentiam prout conjungendam cum actu: ergo solam volunt subtractam D. Petro Gratiam robustam, Gratiam operis, uno verbo Gratiam efficacem: ergo Gratiam possibilitatis, seu sufficientem, eamque saltem remotam concessam Petro voluerunt; secus Chrysostomus hom. 83 de eodem non scripsisset: *Cum dicendum esset operam nobis feras . . . . . nimium sibi arrogans inquit* &c. Et Augustinus, vel potius auctor illius serm. 124 de tempore, quem falso tribuunt adversarii Augustino, unde objectio ducta est, non adhibuisset illa verba: *Paullulum deseruit*, sed *omnino deseruit*; quod cum non dixerit, satis innuit, Gratiam aliquam fuisse adhuc in Petro superstitem, quamvis Gratia efficaci eidem Dominus praesto non fuerit. Hinc optime Augustinus lib. de unit. Ecclesiae cap. 9 dixit: *Judas Christum si voluisset* (idest si obicem Gratiae efficaci voluntarie non posuisset) *non utique tradidisset*; & *Petrus si voluisset ter Dominum non negasset*. Nunc gradum facio ad minorem argumenti, quam vel negari, vel transmitti posse dixi. Negari, inquam, potest, Petrum tunc fuisse justum, cum Chrysostomo hom. 83 in Matth. & in cap. 27 Marci, & Augustini serm. 284, & 285; tum etiam lib. de correpț. & Gratia cap. 9, & lib. 14 de civitate Dei cap. 13; qui omnes Petri negationem ex insolenti in viribus propriis praefidentia, & occulto quodam aliorum Apostolorum contemtu deducunt, quem ob id *casus magnitudinem*, *cordis ruinas*, & crimen adpellant. Unde illi Patres, qui tunc Petrum amore erga Christum aestuantem dicunt, si unum excipias Hieronymum, omnes, inquam, amorem illum inordinatum esse volunt.

147 Reliqua, quae possent opponi, solutu facillima sunt ex responsione ad I difficultatem. Si quae enim Concilia, si qui Pontifices dicant, sine Gratia nihil a nobis boni salutaris praestari posse, vel loquuntur de Gratia efficaci, & tunc intelligunt potentiae nomine possibilitatem ut completam per actum; vel loquuntur de Gratiae praevenientis necessitate contra Pelagianos, & Semipelagianos; unde nihil contra nos extundi potest. Idem vobis habete responsum testimoniis August. quae ex epist. 186 alias 106 ad Paulinum, & *lib.* de Gratia Christi *cap.* 11, aliisque libris,

libris, deduxit Arnaldus ad caussam Jansenianam ab Ecclesiae definitionibus vindicandam. Quando s. Augustinus *lib.* de dono persever. *cap.* 22 innuere videtur, justo non praedestinato subtrahi vires ad obediendum, ac proinde Gratiam sufficientem, ut possit implere mandata; eo quod propositio id exprimens mutari per ipsum debeat dumtaxat e secunda in tertiam personam, ne auditores, in quorum praesentia huiusmodi sententia proferretur, offendi possent, longe alio sensu loquitur, ac falso sibi persuadent adversarii. Primo enim vult esse propositionem *abominabilem* coram auditoribus dicere: *Si . . . . . estis reiiciendi* (idest si non estis praedestinati, si negative reprobati) *subtrahentur obediendi vires, ut obedire cessetis.* Propositio autem abominabilis est, non tantum quae in secunda, quam quae in tertia persona profertur. II laudatae propositioni aliam vult esse substituendam, non tantum quae in tertia persona efferatur; sed quae nullam de virium subtractione mentionem faciat. En quomodo emendat propositionem: *Si qui obediunt* (idest si qui actu justi sunt) *in gloriam praedestinati non sunt*; *temporales sunt, nec usque in finem in eadem obedientia permanebunt.* Ubi vides justis non praedestinatis denegari quidem donum perseverantiae finalis; non vero Gratiam sufficientem, qua possint obedire, & obicem non ponere dono laudato. Tandem ut omnia cavillamenta adversariorum exsufflentur, illud certo tenendum est, ad salvandam possibilitatem observantiae mandatorum non sufficere, ut in se mandata sint possibilia; ut detur aliqua Gratia, quae in se *sit suffi*ciens ad huiusmodi possibilitatem constituendam; *sed requi*ritur, quod haec Gratia sit relative sufficiens comparate ad gradus concupiscentiae praesentis, & consequenter mandata sint relative possibilia secundum praesentes vires. Nam propositio contraria Janseniana in eo sensu proscripta est ab Ecclesia, ut satis probant verba propositionis confixae: *Secundum praesentes, quas habent vires.*

CON-

CONTROVERSIA II

Continens Ecclesiae doctrinam de Gratia inefficaci, seu sufficiente, & oppositum errorem Jansenianum.

Expositurus, quid hac in re constanter docuerit Ecclesia, id notatum volo, nempe hic a nobis praescindi, num Gratia sufficiens, ut effectum primarium obtineat, consortium exigat Gratiae efficacis, necne; num sit eiusdem naturae cum efficaci: haec enim omnia in parte II differt. 2 sect. 2 explicabimus. Id igitur tantum hic probandum adsumimus: nempe praeter Gratiam efficacem aliam esse admittendam, cui humana voluntas actu resistit, nedum resistere possit, quae inefficax est, ac proinde pure sufficiens. Huius autem Gratiae notiones habes in prolegomeno I, ubi de Gratiae divisionibus actum est.

PROPOSITIO.

Cum Ecclesiae semper judicium fuerit, in hoc statu naturae lapsae praeter Gratiam efficacem, quae suum semper obtinet effectum, aliam pariter actualem esse admittendam, cui humana voluntas resistit, quae sit inefficax, ac proinde sit pure sufficiens, merito dici debet, proscripta altera Jansenii propositio: *Interiori Gratiae in hoc statu naturae lapsae nunquam resistitur.*

148 Evincitur primo, quia semper credidit Ecclesia verba illa scripturae: *Vocavi, & renuistis; extendi manum meam, & non fuit qui aspiceret*; ut habemus proverb. 1: *Quid est, quod debui ultra facere vineae meae, & non feci? An quod exspectavi, ut faceret uvas, & fecit labruscas?* Isaiae 5: *Tota die expandi manum meam ad populum incredulum, & contradicentem. Volui te mundare, & non es sanatus*; Ezechiel. 24: *Dura cervice, & incircumcisis cordibus vos semper Spiritui sancto restitistis*; Actor. 7: *Propter quod inexcusabilis es, o homo . . . . . an divitias bonitatis eius . . . . contemnis, ignorans, quoniam benignitas*

Dei

Dei ad poenitentiam te adducit? Secundum autem duritiam tuam, & impoenitens cor thesaurizas tibi iram. Rom. 2v. 1, 4, 5 Ecclesia, inquam, semper credidit, laudata scripturae testimonia in vero, ac genuino sensu accipienda esse, ideoque ea semper fidelibus proposuit, ne divinas vocationes negligerent; ne interioribus monitis, atque excitationibus sese difficiles praeberent; ne cor durum, & impoenitens inducerent, Spiritui sancto resistendo; atqui haec omnia ruunt, si Gratiae interiori nuspiam resistatur, ut patet, nullumque detur auxilium internum actuale inefficax: ergo &c.

149 Evincitur 2. Sensus Ecclesiae melius constare nequit, quam ex sanctorum Patrum monumentis, qui semper Ecclesiae doctrinae vades, ac testes fuerunt; atqui si Patres consulas, sententiam nostram expressis verbis apud ipsos conceptam leges. Scribit enim Irenaeus lib. 4 adversus haereses cap. 71: *Hi, qui non operantur bonum, judicium justum recipient Dei; quoniam non sunt operati bonum, cum possent operari illud*: & cap. 76: *Si non credideris ei . . . erit caussa imperfectionis in te, qui non obedisti, sed non in illo, qui vocavit . . . non igitur ars Dei deficit . . . . sed ille, qui non consequitur eam, sibimet imperfectionis est caussa; nec enim lumen deficit . . . . qui igitur obstiterunt paterno lumini . . . per suam obstiterunt culpam liberi arbitrii.* Mitto Hieronymum in *psal.* 140; Ambrosium in *psal.* 118, aliosque, unumque unam plurium vice proferam Augustinum, cuius auctoritas ipsi etiam adversariis summi ponderis semper fuit. *Qui vocatus non venit, ita* scribit s. Doctor lib. 83 quaestionum quaest. 68: *Sicut non habuit meritum praemii, ut vocaretur; sic inchoat meritum supplicii, cum vocatus venire neglexerit*; lib. ad Simplicianum quaest. 2: *Noluit Esau, & non cucurrit; sed etsi voluisset, & cucurrisset, Dei adjutorio pervenisset, qui etiam velle, & currere vocando praestaret, nisi, vocatione contempta, reprobus fieret. Aliter enim Deus praestat, ut velimus, aliter praestat, quod voluerimus. Ut velimus, & suum esse voluit, & nostrum; suum vocando, nostrum sequendo. Quod autem voluerimus, solus praestat, idest posse bene agere*: lib. de spirit. & liter. cap 33 docet, infideles, qui credere noluerunt, cum potuissent credere per Gratiam interius adjuvantem, extrinsecus auribus insonante Evangelii praedicatione, docet, inquam, *eos experturos in suppliciis potestatem eius, cuius in donis misericordiam contempserunt*: lib. de nat., & Grat. cap. 66 inquit: *Non tibi deputatur ad cul-*

culpam, quod invitus ignoras . . . . sed quod volentem sanare contemnis. Viden' ab Augustino passim innui Gratiam internam praebentem possibilitatem, adiutorium internum dans posse bene agere, vocationem internam, cui frequenter obsistit prava hominum voluntas? Hinc optime magistri sui mentem adsecutus s. Thomas hic quaest. 106, art. 2 ad 2: *Gratia novi testamenti etsi adjuvet hominem ad non peccandum; non tamen ita confirmat in bono, ut homo peccare non possit . . . . . sed ideo, si quis post acceptam Gratiam novi testamenti peccaverit, maiori poena dignus est, tamquam maioribus beneficiis ingratus, & auxilio sibi dato non utens . . . . quia habet auxilium sufficiens ad non peccandum*: & in 4 sentent. dist. 14 quaest. 1 art. 3 ad 2: *Dicendum, quod quaedam est vocatio interior, quae quandoque non pertingit ad finem suum ex vocati defectu.*

His omnibus accedit communis experientia, qua intime percipimus, pluribus illustrationibus mentem nostram interius illuminari; cor piis motionibus tangi: quibus tamen prava nostra voluntate, & in terrenas concupiscentias proclivi resistimus, deteriora sequi volentes. Quod quidem, quamquam non suppeterent alia, diserte probat, propositionem 2 Jansenii jure, ac merito diris fuisse devotam a sede Apostolica, atque ab Ecclesia universa, & quam immerito *lib.* 3 de Gratia Christi non inutilem solum appellet idem Jansenius Gratiam sufficientem; sed & *cap.* 3 monstrum quoddam singulare Gratiae, secutus hac in re Calvinum *lib.* 2 institutionum *cap.* 13 idem proferentem, & pseudosynodum Dordracenam.

Responsiones ad objecta.

150 Opponitur 1. Non aliam innuunt scripturae Gratiam actualem, quam efficacem: ergo haec sola debet a viro Theologo propugnari. Prob. anteced. Joannis 6 habemus: *Omnis, qui audivit a Patre, & didicit, venit ad me*: Rom. 9: *Voluntati eius quis resistit?* Isaiae 55: *Verbum meum, quod egredietur de ore meo, non revertetur ad me vacuum; sed faciet quaecumque volui, & prosperabitur in his, ad quae misi illud.* Nulla itaque Gratia in scripturis memoratur, quae suo frustretur effectu Respondetur, perperam ab adversariis in suas partes trahi laudata scripturae testimonia. Ea enim omnia significant, admittendam esse Gratiam efficacem, & sufficientem non negant,

atque

atque inefficacem; quam quidem diserte demonstrant Scripturae loca inter probandum a nobis adducta; quae quidem non solum innuere Gratiam externam, duo sunt, quae palam evincant. I enim ibidem arguuntur impii, quod Spiritui sancto resistant; quod Deum vocantem spernant, idque secundum cordis duritiam: porro Spiritus sancti operatio est interna inspiratio, & cordis excitatio. II iis utitur testimoniis Augustini, ut Gratiam internam praeter externam contra Pelagianos demonstret. His ad cumulum addes Trident. eosdem textus de Gratia inefficaci intelligere. Ab his enim edoctum est, quod palam adseruit sess. 6 cap. 13: *Deum perficere opus bonum, quod fecit, nisi Gratiae defuerimus.*

151 Opponitur 2. Auctoritas D. Augustini, qui Gratiam sufficientem constanter videtur negare. I enim s. Doctor capp. 11, & 12 lib. de correpr., & Grat. hoc unum constituit discrimen inter statum innocentiae, & statum naturae lapsae, quod tunc *collatum fuerit adjutorium, sine quo non*, seu auxilium sufficiens; nunc vero conferatur *adjutorium, quo*, seu Gratia efficax. II ibidem innuit August. *adjutorio, sine quo* potuisse hominem resistere; idem autem non adserit de auxilio, quod in hoc statu naturae vitiatae confertur: ergo nullam in hoc statu supponit Gratiam, cui possit humanum arbitrium resistere. III docet lib. de correpr., & Grat. cap. 17 num. 32: *Sine Deo in nobis operante, ut velimus, nihil nos ad bona pietatis opera valere*: ergo nullam agnoscit Gratiam sufficientem, qua possimus bene operari; sed Gratiam operis, seu efficacem duntaxat admittit: & lib. de praedest. Sanctorum cap. 8 num. 13 vult, *neminem audire, qui simul non veniat*: ergo omnis Gratia per ipsum est efficax, pure sufficiens nulla. IV eodem lib. de praedest. Sanctorum cap. 8 scribit: *Ii, qui non credunt, foris tantum audiunt, non intus*: ergo sola per ipsum datur nunc Gratia inefficax externa, non interna.

Resp. haec omnia nihil adversae parti suffragari. Non I; nam in ipso cap. 12 lib. ab adversariis adducti haec scribit s. Doctor: *Nunc autem non tantum tale adjutorium datur, sed tale, ut ei perseverantia ipsa donetur*: ergo admittit in hoc statu & *adjutorium, sine quo non* in statu innocentiae Adae concessum, & prater ipsum Gratiam efficacem; atqui primum adjutorium, fatentibus adversariis, est Gratia sufficiens: ergo. Mens igitur Augustini est eo

loci

loci id demonstrare, Adae, & Angelis malis concessum fuisse donum, quo possent perseverare; non vero donum perseverantiae in justitia primitus accepta; nobis vero & concedi donum, quo possumus perseverare, & praedestinatis donum perseverantiae in justitia illa, quam per sacramenta comparavimus. Ceterum num tunc eadem fuerit Gratiae efficacis necessitas, quae nunc habetur, alterius loci est disputare. Vide, quae in *dissert.* 2 *partis* 2 habentur: ubi de Gratia status innocentiae controversia instituitur, & hunc ipsum Augustini locum secundis curis examinamus. Ad II do lubens, & volens, potuisse Adam Gratiae sufficienti, seu *adjutorio, sine quo* resistere: at cum ex dictis illud idem adjutorium in eodem cap. pro statu naturae lapsae admittat, consequens est, ut eidem adjutorio nunc etiam possit humana voluntas resistere. Solum itaque vult, Gratiae efficaci nunc a nobis *in sensu composito* non posse resisti; quamvis *in sensu diviso* resisti possit. Vide susam huius distinctionis explicationem in *parte* 2 *dissert.* 2 *sect.* 1. Ad III dico, primum testimonium intelligendum esse de Gratia efficaci, ut liquet ex contextu; hinc illud duntaxat innui, nos sine Gratia efficaci nihil valere, nihil posse possibilitate conjuncta cum actu; non vero nihil simpliciter posse. Vide, quae diximus in hac *dissert.*, *controvers.* 1; tum etiam, quae habentur in *parte* 2 *dissert.* 2 *sect.* 2 de natura Gratiae sufficientis. Alterum vero testimonium explicandum est hoc modo: *Nemo audit* efficaciter, *qui simul non veniat*: quod quidem verum est; sed hoc non excludit Gratiam sufficientem, quam admitti ab Augustino probant ipsius testimonia superius a nobis allata. Ad IV difficultatis caput dico ibidem agere s. Doctorem contra Pelagium solam admittentem Gratiam cognitionis, eiusque scopum esse Gratiae interioris voluntatem excitantis, ac moventis necessitatem demonstrare. Hoc ut evincat, probat contra Pelagium, Gratiam ab ipso admissam illustrationis, & cognitionis facile reduci posse ad legem externam legis, & doctrinae: qui enim intus a Spiritu sancto ad credendum in voluntate non excitatur, intus vere non audit, sed tantum extrinsece, idest ita se habet, perinde ac si duntaxat foris audiret: at hoc quomodo destruat Gratiam sufficientem, non satis intelligo.

Alia solent opponi potissimum ex ratione petita; sed quae in *part.* 2 *dissert.* 2 *sect.* 2 mittimus resolvenda.

CON-

Continens sententiam Ecclesiae de errore Semipelagianorum circa Gratiae praevenientis necessitatem, & oppositum Jansenistarum figmentum.

Relegendum hic est dogma Jansenii quoad hoc caput in prolegom. II, ubi historiam Jansenismi contractam eam quidem, sed integram dedimus.

PROPOSITIO.

In id semper consenserunt Catholici, ut crederent, a Semipelagianis negatam fuisse Gratiae interioris praevenientis necessitatem ad initium fidei, nec uspiam ipsos, ut haereticos damnarunt, quod crederent eidem Gratiae posse ab humano arbitrio resisti.

Quare cum opposita sententia Jansenii plura secum traheret incommoda, Catholicis visum est diris devovere 4 ipsius propositionem sic conceptam: *Semipelagiani admittebant Gratiae praevenientis interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei. Et in hoc erant haeretici, quod vellent eam Gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere, vel obtemperare.*

152 Evincitur I pars iis argumentis, quae in *dissert.* 2 de Semipelagianismo jam adduximus. Si enim Patres, & praecipue Augustinus totus fuit in demonstranda Gratiae interioris praevenientis necessitate ad initium fidei contra Semipelagianos; quamobrem duos libros vulgavit de praedest. Sanctorum, & de dono persever.: profecto a Semipelagianis hujusmodi Gratiae necessitas negabatur. Quare nemo, nisi frontis planae perfrictae, atque inverecundae, audebit adfirmare, a Patribus hostem aliquem fuisse oppugnatum, quem tantum sibi fingebant, non qui vere quoad hoc caput Gratiam vellet excludere. Senserunt itaque Catholici, Semipelagianos quoad hoc errasse, atque ob id in concilio Arausicano II canones plurimos ad hujusmodi haeresim penitus conterendam ediderunt. Hinc merito Augustinus Semipelagianos in hoc capite distringens,

gens,

gens, eos suggillat tamquam alienos ab avita Patrum fide, Cypriani scilicet, Ambrosii, &c.: quae omnia Augustino, aliisque Augustinum secutis vitio verti debent, si initium fidei tamquam Gratiae donum a Semipelagianis propugnatum dicatur.

153 Evincitur II pars. Ecclesia semper credidit, hominem esse liberum etiam sub Gratiae motione, quod Theologi demonstrant in *tract.* de act. hum.; ubi de libertate actuum humanorum agitur: & nos pressius ad rem praesentem in II parte huius tract. expendimus; ubi pro nostra virili adnitimur, ut definitionem Trident. circa humanae voluntatis libertatem, & possibilitatem dissentiendi sub Gratiae motione conciliemus in *dissert.* 2, *sect.* 2 de natura Gratiae efficacis: ergo nuspiam credidit Ecclesia, hominem aliquem esse haereticum, eo, quod crederet, Gratiae posse hominem resistere. Ulterius: ex *controversia II* satis liquet, hoc semper Catholicorum judicium fuisse, quod detur aliqua Gratia, cui nedum voluntas possit resistere; sed & re ipsa resistat: ergo in eo non erant haeretici Semipelagiani, quod crederent, Gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere. Demum ex iis, quae diximus in prologom. II, ubi dogmata Semipelagianorum recitavimus, liquido constat, ideo ab ipsis negatam fuisse Gratiae interioris praevenientis necessitatem ad singulos actus, maxime ad initium fidei, quod a Gratia fatalis induceretur necessitas, quod inutiles evaderent correptiones, exhortationes &c.: ergo adeo non admittebant Gratiam, cui posset resisti, ut imo Gratiam praeviam ad initium fidei negaverint, quia falso existimabant eidem Gratiae non posse resisti. Quibus omnibus illud ad cumulum addi potest, quod scite, & apposite notat Natalis ab Alexandro *dissert.* 4 in historiam Ecclesiasticam seculi V, quod nempe ita duae partes propositionis Jansenianae connexae sunt, ut semel ac prima falsa est, secunda pariter falsa esse debeat: quare cum prima falsa sit ex *controversia unica dissert.* 2 huius, primae partis dogmaticae, secunda pariter falsa erit. Si enim non admiserunt Semipelagiani Gratiam interiorem praevenientem ad initium fidei: ergo non errabant, quod crederent, admittendam esse Gratiam, cui posset humana voluntas resistere; quia tunc Gratiam aliquam admisissent ad initium fidei. Et rursum cum Gratia ista, quae posset

 effectu

effectu suo frustrari, conformis sit Ecclesiae definitionibus ex *controversia* 2 *hujus dissert.* illud clara consecutione deducitur, merito ut *falsam*, *& haereticam* propositionem hanc Jansenianam fuisse ab Ecclesia damnatam.

III pars propositionis sponte sua fluit ex demonstrationibus adductis. Locus hic esset expendendi argumenta, quae solent adduci in causae suae patrocinium a Jansenii fautoribus: sed haec praeoccupata jam sunt in *dissert.* contra Semipelagianos.

MONITUM.

Cum autem tertiam propositionem in *tract.* de actibus humanis, Deo juvante, refellendam reservemus; quintam vero in *tract.* de voluntate Dei falsam ostenderimus: piget hic crambem jam coctam recoquere. Quare satius esse crediderim dissertationem hanc claudere nonnullis corollariis rei a nobis nunc institutae optime accommodatis.

COROLLARIUM I.

154 Ex his deducitur, merito damnatas esse propositiones quinque Jansenianas.

Prob. propositiones quinque, quarum I, II, & IV *hic* a nobis virga censoria districtae sunt. III, quam in *tract.* de actibus humanis oppugnatam licet supponere; & V, cujus falsitatem demonstravimus in *tract.* de voluntate Dei, contraria sunt constanti Ecclesiae doctrinae; atqui propositiones sacris Ecclesiae dogmatibus contrariae malis notis inuri debent: merito itaque propositiones istae confixae sunt ab Ecclesia.

COROLLARIUM II.

155 Hinc pariter deducunt communiter Theologi, cur memoratae propositiones sint etiam damnatae in sensu Jansenii: quod his ferme rationibus probant. Sensus I propositionis intentus a Jansenio hic est, quod in justis, urgente interdum tentatione, delectatio terrestris adeo praevalet, ut nullatenus possit vinci, quia gradus concupiscentiae caelestis est inferior, impar proinde ad vincen-

dos

dos gradus superiores delectationis terrenae, ut constat aperte ex ipsius verbis *lib.* 4 de Gratia Christi *cap.* 9; atqui hic sensus est haereticus, cum vere probet impossibilitatem praeceptorum hic & nunc relate ad justos, quam damnat Ecclesia post Augustinum sic aientem in expositione cap. 5, num. 46 epist. ad Galatas: *In hac vita etiamsi existant desideria carnis de mortalitate corporis; tamen mentem ad consensionem peccati non subjugant*: ergo, &c. Videantur, quae diximus in hac *dissert.*, *controver.* 1.

Sensus II propositionis hic est, quem intendit Jansenius, quod, cum *voluntas sine delectatione velle, aut moveri nullo pacto possit*, ut ipse scribit lib. 4 de Grat. Christi, cap. 7, *nulla pariter est Gratia operandi praeter istam suavitatem Dei: quae nisi tanta fuerit, ut ei delectationes rerum creatarum cesserint, vel peccabitur, vel, alternante delectationum fluctu, in medio remanebitur*; sunt eius verba cap. 10 laud. lib., vel si contingat, delectationem victricem, quae Augustino est efficax adjutorium, alteram non superare, eo quod ista (idest terrena) sit ardentior, *tunc in solis inefficacibus desideriis haerebit animus*; ita palam, aperteque docet *cap.* 9 *lib.* 8 de Grat. Christi: hinc autem infert idem Jansenius cap. 4 ejusdem lib.: *Nullam Christi Gratiam effectu privari, ad quem efficiendum voluntati datur ulla voluntatis pervicacia frustrari.* Vel enim vincit concupiscentiam terrenam; & tunc, quia victrix, praestat effectum absolutum: vel vincitur; & tunc operatur velleitates, desideria inchoata, quae certe non frustrantur, non impediuntur a voluntate: nulli igitur Gratiae interiori resistitur. Aliunde nullam aliam Gratiam admitti vult Jansenius, quae possit hic, & nunc relative ad praesentes gradus concupiscentiae esse sufficiens ad eos vincendos, & quibus voluntarie ponatur obex, atque resistatur. Nam resistentia concupiscentiae terrenae superioris gradibus concupiscentiae caelestis inferioris, quam ipse admittit, non est resistentia libera, & deliberata, sed mechanica orta ex gradibus concupiscentiae superioris; ut fatetur Gummarus Huygens Jansenianus thesi 19: aliunde vera resistentia esset obicem ponere illi effectui, quem posset habere in illis circumstantiis, in quibus datur: at in illis non potest praestare nisi effectus indeliberatos ob gradus terrenae concupiscentiae superioris: ergo nulla datur Gratia mere sufficiens, idest quae possit hic & nunc praestare effectum; & tamen eum non praestet ex obice

 libere

libere opposito a voluntate; ita mentem suam exponit Jansenius *lib.* 3 *cap.* 2, & clarius etiam *cap.* 1. Atqui, aiunt praefati Theologi, constat, dari Gratiam inefficacem, quae hic, & nunc potest praestare effectum suum (quod nos etiam ostendimus *controversia II hujus dissert.*) quum *minima Gratia possit resistere cuilibet concupiscentiae*, ut docet s. Thomas a nobis referendus in *parte II*: ubi pluribus momentis evincimus, Gratiam efficacem constitui non posse in gradibus delectationis caelestis relative superioribus ad gradus concupiscentiae terrenae; quem quidem effectum non obtinet: non quia non possit, sed quia voluntas libere non vult: ergo, deducunt, juxta sensum Jansenii merito malis notis multata est II ipsius propositio.

Hic autem religio mihi esset non adnotare discrimen systematis Thomistarum, & Jansenistarum. Thomistae volunt, Gratiam sufficientem sitam esse in piis desideriis inchoatis, quae etiam admittunt Janseniani: at illa quovis supposito gradu concupiscentiae possunt conjungi cum effectu perfecto, media Gratia efficaci, juxta Jansenium neutiquam. Juxta Thomistas Gratia sufficiens, esto, sit efficax relate ad pia illa desideria; est tamen inefficax ob resistentiam voluntatis: unde fit, ut non obtineat effectum praecipuum, quem posset praestare, si voluntas libere obicem non poneret. Juxta Jansenianos ex adverso Gratia parva excitans pia illa desideria non est ullatenus inefficax ex libera hominis voluntate, sed ex sola cupiditate terrena victrice. Quare homo cum Gratia sufficienti Thomistarum libere potest bonum opus operari, quavis supposita concupiscentia terrena; quod nequit cum Gratia parva Janseniana.

Expositio sensus III propositionis juxta mentem Jansenii pertinet ad *tract.* de actibus hum.: quare illud tantum hic addam, quod cum Jansenius velit, hominem lapsum non trahi, nisi a gradibus concupiscentiae vel caelestis, vel terrenae relative superioribus, & quidem necessario ex *cap* 7 *lib.* 4 de Gratia Christi: & ubi una praevaleat, non possit non trahi, ex *lib.* 8 *cap.* 9: consequenter docet, sufficere, ut voluntas velit, & non cogatur ad hoc, ut sit libera: eo plane modo, quo beati diligunt Deum ex *lib.* 8, cap. 15; atqui sensus iste longe alienus est a sensu Ecclesiae: ergo, &c.

Sen-

Sensus IV propositionis a Jansenio intentus evidens est legenti ipsius verba *lib.* 3 de Grat. Christi *cap.* 1. Porro cum ipsa sit consectarium secundae, quo sensu ista damnata fuit, hoc pariter fuit proscripta quarta.

Sensus V propositionis juxta Jansenium obvius est, & apertus. *Lib.* 3 de Gratia Christi *cap.* 2 docet, esse errorem Semipelagianorum sententiam de morte Christi pro omnibus, quia collatio, vel exhibitio Gratiae sufficientis pro omnibus semper ut haereticum commentum habita est ab Augustino, Prospero, &c.: cum sola illa sit Gratia sufficiens, qua nedum *possumus*, *sed reipsa volumus*, *& facimus*, & Gratia parva non possit aliunde facere; quia gradus concupiscentiae terrenae praevalent, ut docet *lib.* 4 *cap.* 1; atqui constat ex *num.* 95 usque ad 117 sententiam hanc de morte Christi pro omnibus nuspiam fuisse habitam ab Ecclesia ut contrariam fidei regulis, constat pariter ex *controv.* 2 huius *dissert.* admittendam esse Gratiam sufficientem, quae suo privetur effectu: constat ex eadem *dissert. controv.* 1 justis, dum peccant, adesse Gratiam, qua possint implere mandata, ac proinde non peccare: ergo fundamentum huius propositionis, quod capitale est Jansenio; & ipsa propositio in sensu Jansenii iure, ac merito sunt ab Ecclesia damnata. Siquis autem huius rei uberiorem notionem desiderat, adire poterit clarissimum Hyacinthum Sery de de Theologica facultate optime meritum *tract.* 3 *disput.* 4 *praelect.* 2, & *seqq.*: ubi pluribus argumentis ex Jansenii libro depromtis id abunde evincit. Quod vero spectat ad discrimen inter doctrinam Jansenianam, & Thomisticam, praeter ea, quae tradidi, consulat cardinalem Gotti *tract.* de divina voluntate *quaest.* 2 §. 3.


Corollarium III.

156 Hinc demum colligitur, systema delectationis victricis trahentis necessario voluntatem, quo superior erit gradus concupiscentiae (quod quidem basis est universae doctrinae Jansenianae) non posse a viro Catholice sentiente adoptari.

Prob., quia, ut mihi licet supponere ex *tract.* de actibus humanis, voluntas nunc infirma trahi debet juxta Jansenium *lib.* 4 de Gratia Christi *cap.* 9 a delectatione caelesti, si velit bonum operari, impellitur a terrestri, si

si pares: fluctuat, si neutra praevaleat: ergo ad solas leges mechanismi deducit humanae voluntatis actus: ergo necessario consentit voluntas delectationi caelesti praevalenti, vel concupiscentiae terrenae victrici; atqui id contrarium est dogmatibus Ecclesiae libertatem passim arbitrii declarantibus, minime Gratiae vim ad quamvis praesentem concupiscentiam vincendam extollentibus, &c.: ergo rejici debet systema, unde haec consectaria derivantur.

Explicit pars prima dogmatica.





PARS SECUNDA

SCHOLASTICA.

Si cum solis Novatoribus agenda nobis res esset, dum Gratiae divinae necessitatem, atque indolem demonstramus, manus jam ab hac tabula subducta nobis esset; quod plena, & absoluta jam fuisset tanti argumenti tractatio: at quia hisce terminis concludi non est passum humanum ingenium; ac varias in scholas pro suo quique arbitrio sententias induxerunt ad Gratiae activitatem explicandam; hinc factum est, ut implexa, atque tenebris obvoluta prorsus evaserit Theologica de Gratia disputatio. Quocirca partem alteram priori addere nobis visum est: in qua pro nostra virium mediocritate rem primo dogmatice expositam, nunc scholastice ageremus. Puto autem, argumentum universum sic commode posse distribui. I quaestiones praecipuas excitabimus, quae in scholis sunt magis vulgatae circa Gratiae necessitatem: II naturam Gratiae juxta opinionem, quae nobis videtur probabilior, explicabimus: III juxta graviorum Theologorum placita ejusdem extensionem defendemus: IV denique de Gratia sanctificante, de justificatione, ac merito breviter disseremus.

DISSERTATIO I

De Gratiae necessitate.

Quisquis ad haec nostra legenda accedit, illud primum monendus est, ut quae in parte I contra Pelagianos, ac Semipelagianos de Gratiae necessitate jam diximus, consulat. Expensis autem iis, de quibus ibi disputavimus, facile intelliget, pauca esse, de quibus hic debeat controversia excitari. Ea autem breviter expediemus.

SECTIO I.

Num Gratia requiratur ad cognitionem veri.

QUAESTIO UNICA.

Num ad omnes veritates naturales cognoscendas Gratia actualis requiratur.

157 Necessariam esse Gratiam supernaturalem ad veritates supernaturales ob motivum supernaturale, ac fide salutari adiungendas dogma fidei est a nobis propugnatum *num.* 48, & *seqq.* Nunc de omnium veritatum cognitione quaestionem hic instituunt scholae magistri. Cum enim veritates aliae sint naturales, quae intra ordinem naturae continentur, & quarum notitia humano captui est accommodata: aliae supernaturales, quae huiusmodi captum superant; aliunde possint ex motivo mere naturali, ac simplici apprehensione, vel assensu naturali adtingi: uti de illis litem movent, num possint cognosci sine Gratia; ita pariter in quaestionem vocant secundas. Ulterius: cum veritates naturales sumi possint collective, & distributive, nempe vel pro omnium complexu, vel pro quibusdam tantum, vel etiam singulis seorsim spectatis, quaeritur pariter, num Gratia requiratur ad veritates naturales utroque isto modo cognoscendas. Cum autem istae veritates complexim, vel divisim spectatae aliae practicae sint, aliae mere speculativae, de utrisque pariter dubitant Theologi. Veritates enim speculativae illae sunt, quae nihil conferunt ad exercitium operis moralis, ut *planetae exsistunt*: aliae sunt, quae ita menti cognoscendae proponuntur, ut ad praxim revocentur; cuiusmodi sunt: *Alteri ne facias, quod tibi factum nolles: alteri fac, quod tibi factum velles.* Quapropter cum alia sit ratio pro speculativis, alia pro practicis, Theologi nonnulli ad primas veritates cognoscendas Gratiae necessitatem negant; admittunt vero pro secundis.

158 Nos hic, ut mentem nostram adperiamus, illud tamquam certum supponimus, potentiam duplicem in homine distingui physicam, & moralem. Physica habetur per commensurationem potentiae ad objectum, ab-

abstrahendo

strahendo ab impedimentis &c.: Il designat potentiam ab omnibus impedimentis expeditam. Supponimus pariter, veritates practicas duplicis esse generis: aliae enim pertinent ad movendum hic & nunc hominis affectum; aliae non ordinantur ad affectum hominis excitandum hic & nunc; sed duntaxat generatim spectantur, & modo, ita dicam, speculativo: de prioribus hic non agimus, sed tantum de posterioribus. Supponimus denique, quaestionem hic non institui de hominibus tardioris minervae; sed tantum de iis, qui ad scientias addiscendas ingenium a natura comparatum sortiti sunt: nec etiam a nobis litem institui de iis veritatibus, quae licet in se sint intellectui humano proportionatae; tales tamen non sunt ratione medii: huiusmodi sunt cogitationes cordis, & alia id genus.

PROPOSITIO I.

Potest homo attingere veritates supernaturales assensu naturali, ac sine Gratia ex motivo duntaxat naturali, ac proinde judicio non aeque firmo, ac certo, quo creduntur eaedem veritates ex motivo infallibili divinae veracitatis, ac pio credulitatis affectu. Ad hoc enim requiritur Gratia, ut ostendimus contra Novatores.

159 Evincitur propositio, quia scimus ex actis Apostolorum, Simonem magum credidisse Apostolorum praedicationi ob miracula ab ipsis patrata. Videmus pariter ab haereticis plures fidei articulos constanter defendi contra Ethnicos, Judaeos, aliosque huius furfuris homines; atqui haec omnia praestant sine Gratiae beneficio, sed vel naturali in paterna religione defendenda constantia, vel quia adhibent fidem maiorum dictis; aliunde huiusmodi assensus naturae vires non excedit: ergo &c.

Pro-

PROPOSITIO II.

Plures veritates naturales sive speculativas, sive practicas sine Gratia cognosci possunt, modo non desit cognitionis medium.

260 Evincitur propositio, quia licet fateamur ab originali peccato ignorantiam inductam esse; tamen in illius profunditate non ita versatur humana mens, ut ad quodvis verum naturale cognoscendum Gratia indigeat. Uti enim ab eodem peccato infirmitates, ac corruptiones obvenerunt, unde sensus corporei admodum sauciati sunt; sic tamen sine auxilio supernaturali adhuc auditu sonum, visu lucem, ac sensibilia objecta percipimus: ita licet intellectus in aliqua ignorantia torpescat; attamen plures veritates naturales eidem attemperatas sine Gratia cognoscere poterit: eo vel maxime quod summa est intellectus, ac voluntatis consensio. Quo igitur pacto potest voluntas etiam per peccatum sauciata ex fine honesto, & rationali interdum sine Gratia operari; quia ratio penitus extincta non est in homine, ut passim diximus contra Baium; ita intellectus plura poterit objecta cognoscere; quia facultas intellectiva in homine extincta non est, nec lumen naturale: ergo, &c. Haec autem, quae diximus, de utraque potentia tum physica, tum morali intelligi debent. De prima quidem, ut liquet ex se: habetur enim adhuc potentia ex dictis objecto cognoscendo proportionata: de secunda vero quia vel nulla interdum occurrere possunt impedimenta; vel si aliqua occurrant, ea possunt saepissime vinci, dixi in thesi de veritatibus tum speculativis, tum practicis id a nobis defendi: utrumque enim docent sacrae literae. Rom. enim 1 legimus: *Quod notum est Dei, manifestum est in illis* (intellige philosophis per lumen rationis a Deo concessum in creatione) . . . *invisibilia enim ipsius a creatura mundi per ea, quae facta sunt, intellecta conspiciuntur.* Ergo philosophi Gentiles aliquam veritatem speculativam, cuiusmodi est Dei notitia, e rebus creatis, non a Gratia illuminante didicerunt. In eadem epist., eodemque cap. Gentiles dicuntur inexcusabiles; *quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt*: & cap. 2: *Gentes, quae legem non habent, naturaliter, quae legis sunt, faciunt . . . . testimonium reddente*

illis

illis conscientia ipsorum. Atqui cognitio Dei glorificandi, & legis naturalis (intellige quoad prima principia, ut ostendi solet in *tract.* de peccat.) est practica; aliunde, quia viribus naturae hausta non est ex Gratia: ergo sine Gratia potest aliqua veritas practica cognosci. Dixi in thesi *si non desit cognitionis medium*: si enim aliquid sub sensu non cadat, nec medium praeferat, unde possit cognosci, intellectus eidem cognoscendo impar est, ut Saturni annulus antiquis populis ignotus erat, quod deessent ea aetate telescopia aevo nostro adinventa.

PROPOSITIO III.

Veritates naturales, quae tales sunt ratione medii, distributive sumtae possunt singulae sine Gratia cognosci; idest nulla potest ex ipsis assignari, quae sine Gratia nequeat cognosci.

261 Evincitur propositio, quia nulla ex his veritatibus superat captum humanae mentis: nulla iis implexa est difficultatibus (modo non desit cognitionis medium) quae ab homine optimo ingenio a natura praedito saltem post studia diuturna tolli nequeat: ergo nulla assignari potest veritas naturalis, quae talis etiam sit ratione medii; quae Gratiae adjutorium exigat, ut possit cognosci.

PROPOSITIO IV.

Nequit homo veritates omnes naturales collective sumtas sine Gratia cognoscere.

262 Evincitur, quia I ob Adae peccatum ignorantia nobis obvenit: quo circa mens nostra veritates non agnoscit nisi praemissis gravissimis studiis, atque arduis laboribus exantlatis. Qui igitur fieri possit, ut difficultates omnes vincantur solis naturae viribus, quae omnium veritatum cognitionem impediunt? II infinita pene est omnium veritatum collectio; aliunde vita nostra brevis est: plura vitae civilis officia, naturales necessitates, pravi cupiditatum affectus magnam ejusdem partem sibi vindicant; unde & animus a studiis colendis distrahitur. III organa nostra de-

debilia sunt, corpus infirmum; quorum tamen subsidio indiget mens nostra. Mitto, humanum ingenium in hoc corpore inclusum tardum esse ad scientias comparandas; uti monemur in verbis sap. 9: *Corpus, quod corrumpitur, aggravat animam; & terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem.* Mitto pariter, constantem inductionem ex primae notae philosophis desumtam, qui cum plures veritates adtigerint, in multo pluribus turpiter errarunt. Sic Aristoteles mundum ab aeterno conditum credidit; Pythagoras metempsycosim, seu animarum transmigrationem dicitur propugnasse: sic alii alios gravissimos errores vulgarunt, ut refert Augustinus *lib.* 19 de civit. Dei *cap.* 1. Unde illud certa consecutione deducimus, impares nos esse ad omnes veritates simul sumtas adtingendas, si desit speciale Numinis adjutorium.

163 Plura autem sunt, quae difficultatem facere videantur: sed quia graviora alio nos vocant, nonnulla adnotare contenti simus, quibus, quae solent opponi, facilius ad liquidum deducantur. I quoties scripturae indicant, nos in multa ignorantia versari; cogitationes nostras ad malum esse intentas, &c., intelligendae sunt in hoc sensu, quod saepe in errores ob ignorantiam impingat humana mens; quod frequenter ob pravos affectus judicia falsa efformentur. II Apostolus 2 Cor. 3, v. 5, & synodus Arausicana II *can.* 9 docent, duntaxat vel omnem sufficientiam nostram, cogitationem omnem conferentem ad pietatem Christianam, atque aeternam salutem promoventem a Deo esse; non autem omnes cognitiones rerum etiam naturalium: vel significant duntaxat omnes cogitationes nostras, cognitiones omnes errore vacuas esse a Deo velut auctore Gratiae, velut auctore naturae humanam mentem promovente: ut auctore Gratiae, ubi agitur de actibus ad aeternam salutem ordinatis: ut auctore naturae, si sermo sit de actibus naturali intellectus activitati accommodatis. III etsi veritates omnes collective sumtae naturales sint quoad substantiam; naturales tamen non sunt quoad modum *cognoscibilitatis*, adtenta hominis infirmitate, necnon ipsius ingenii tarditate, ignorantia, &c.

Quaeres, an huiusmodi impotentia physica sit, & moralis.

164 Respondent nonnulli Theologi, eam esse simpliciter moralem, & *secundum quid* physicam. I satis evinci credunt ex iis, quae diximus num. anteriori. II autem inde probant, quod ex una parte inter huiusmodi verita-
tum

tum collectionem, & intellectum habetur proportio, uti inter visum, & quodlibet objectum visibile; aliunde ignorantia, corruptio, & infirmitas organis nostris nativa, & alia nonnulla impedimenta per physicam potentiam superari neutiquam possunt: ergo reliquum est, ut haec impotentia dicatur saltem secundum quid physica. Ita ratiocinantur huius sententiae adsertores.

Quaeres ulterius, an huiusmodi Gratia, qua cognitio veritatum omnium naturalium posset ab humana mente comparari, an, inquam, esset supernaturalis.

165 Respondent varii scholae magistri, eam fore duntaxat supernaturalem quoad modum, non quoad substantiam. I evincunt, quia esset supra debitum, & exigentiam hominis lapsi: II autem inde probant, quia Gratia supernaturalis quoad substantiam requiritur solum ad ea, quae substantialiter sunt supernaturalia; atqui cognitio omnium veritatum naturalium non est supernaturalis quoad substantiam, ut liquet ex se: nec enim excedit vires naturae creatae, vel saltem ipsius proportionem: ergo &c. Nos hic sententiam nostram non dicimus in re exigui momenti, quam serio non vacat expendere.

SECTIO II.

Num Gratia requiratur, ut voluntas bonum aliquod velle possit.

Ne ea, quae diximus in parte I hic denuo otiose expendamus, recolere juvat, quae adducta sunt contra Baium in quaestione, num sine Gratia fieri possit bonum aliquod opus morale; tum ea, quae fuse contra Pelagianos exposuimus: nunc quae supersunt scholastice disputanda, breviter expediemus.

QUAE-

QUAESTIO L.

Utrum homo lapsus diligere possit Deum super omnia tamquam auctorem naturae sine Gratiae supernaturalis beneficio.

Quaestio haec appendicis loco est ad quaestionem dogmaticam institutam in *parte I*, *num.* 55, & *seqq.* quam videris. Porro in re praesenti communiorem D. Thomae doctrinam amplectemur contra nonnullos plus nimio naturae lapsae vires extollentes.

PROPOSITIO.

In hoc statu naturae lapsae nequit homo sine Gratia diligere Deum super omnia tamquam auctorem naturae, amore ita formato, ita ipsi adhaerente, ut firmiter constituatur ipsum etiam vitae propriae praeferre.

166 Evincitur 1. ex iis scripturae locis, ac sanctorum Patrum testimoniis, quae adduximus *num.* 55, & *seqq.* plura sunt, quae nedum perfectam caritatem, sed naturalem Dei dilectionem super omnia fieri posse negent sine speciali Numinis adjutorio: ergo, &c. Prob. *antec.* Scripturae ibidem adductae; tum etiam *num.* 61, & *seqq.* probant, totam legem naturalem impleri non posse sine Gratia: ergo, cum plenitudo legis in dilectione consistat, si constat ex sacris literis legem universam naturalem sine Gratia non posse impleri, ex iis pariter deducitur, dilectionem Dei super omnia, etiam ut auctoris naturalis, haberi non posse sine Gratia. Qui enim diligit Deum super omnia, omnia pariter implet legis naturalis praecepta: haec, ut impleantur, Gratiam exigunt: ergo & Dei dilectio. Ulterius: eaedem scripturae, iidem Patres Dei dilectionem speciali Dei beneficio adscribunt: ergo, ne falsis interpretationibus phrases scripturarum emolliamus, naturalem pariter Dei dilectionem super omnia Gratiae adscribere debemus.

Sed mittamus, si minus placent, haec argumenta: quae quidem non omnes adprobant (sed prorsus immerito, quia evincunt saltem insufficientiam ad amorem effecti-

fecti-

sectivum) cum possint, aiunt ipsi, de sola supernaturali caritate & scripturae, & Patres intelligi, pressius ad rem nostram traditionem consulamus. Canon 23 concil. Arausicani II ita decretorie pronunciat : *Hoc credere debemus, quod per peccatum primi hominis inclinatum, & attenuatum fuerit liberum arbitrium, ut nullus postea diligere Deum, sicut oportuit . . . . . possit, nisi eum Gratiae divinae misericordia praevenerit.* Ex hoc can. licebit sic in rem nostram argumentari. Patres Arausicani docent, ita infirmatum esse per labem originis humanum arbitrium, ut nequeat diligere Deum sine Gratia; ante peccatum originis incapax erat homo ad diligendum Deum ut auctorem supernaturalem amore supernaturali : stat itaque, illam impotentiam ex Adae peccato derivatam referendam esse ad amorem Dei naturalem sine Gratia: ergo, &c.

Confirmatur 1 ex Augustino, quem certe Patres Arausicani in suis definitionibus condendis magistrum, & ducem semper habuerunt. Epist. 217 ad Vitalem cap. 4 ita scribit: *Liberum arbitrium ad diligendum Deum primi peccati granditate perdidimus.* Nullum hic distinguit amorem supernaturalem a naturali. Et ulterius: Adam sine Gratia non poterat diligere Deum amore supernaturali; poterat amore naturali: ergo hanc facultatem perdidit Adam, ac cum ipso eam omnes amisimus: ergo huiusmodi insufficientia nunc debet per Gratiam suppleri. Idem s. Doctor lib. de patientia cap. 25, num. 22 inquit : *Amor creatoris* (idest ut auctoris naturae) *nisi detur nobis, non est unde esse possit in nobis ; ac per hoc voluntas bona, qua diligatur Deus, in homine non potest esse, nisi in quo Deus operatur & velle.* Vestigiis Augustini adhaeret discipulus eius s. Prosper *lib.* contra collatorem *cap.* 30 ; ubi docet, naturam humanam nunc sine Gratia similem esse glaciali rigori, & cineri mortuo : censet proinde nullam perfectam Dei dilectionem etiam naturalem posse prodire sine Gratia; secus nec glacies esset, nec cinis.

Confirmatur a doctrina D. Thomae hic quaest. 109 art. 3 ; ubi ait : *Homo in statu naturae integrae dilectionem sui ipsius referebat ad amorem Dei sicut ad finem, & similiter dilectionem omnium aliarum rerum: & ita Deum diligebat plusquam se ipsum, & super omnia. Sed in statu naturae corruptae homo ab hoc deficit secundum appetitum voluntatis rationalis, quae propter corruptionem sequitur bonum privatum, nisi sanetur per Gratiam Dei. Et ideo . . . . . hoc*

dono in statu naturae integrae non indigebat homo . . . . ad diligendum Deum super omnia . . . . . sed in statu naturae corruptae indiget auxilio Gratiae naturam sanantis.

Confirmatur 3, quia Pelagiani admittebant, dilectionem Dei super omnia esse a viribus naturae: hanc Patres Gratiae adscribebant; atqui Pelagiani omnem dilectionem Dei, tum ut auctoris naturae, tum ut fontis aeternae beatitudinis nativis viribus tribuebant: ergo, cum Patres dilectionem illam a Pelagianis virtuti naturali adscriptam Gratiae deberi contenderint, utramque dilectionem esse effectum Gratiae docuerunt. *Si enim*, inquit August. de Grat., & libero arbitrio cap. 18: *Non ex Deo, sed ex hominibus dilectio Dei est . . . . vicerunt Pelagiani; si autem ex Deo, vicimus Pelagianos.*

167 Evincitur 2: quia si homo sine Gratia possit diligere Deum, ut auctorem naturae super omnia, debebit pariter a Deo, ut auctore naturae diligi, cum Deus diligentes se diligat. Jam vero supponatur homo ille nondum fidei mysteriis eruditus, vitam fundens pro Deo, quem naturaliter diligit super omnia: quaero, damnabiturne, an alicui beatitudini naturali addicetur? Non I, quia dictu absurdum videtur, aeternis suppliciis hominem destinari, qui Deum diligat; qui pro ipso vitam fundat. Nec etiam II; quia nullam usque adhuc sedem naturalis beatitudinis a Paradiso distinctam nobis insinuarunt sacrae literae; aliunde in aeternam gloriam admitti nequit: eo enim non patet ingressus nisi per Christum: ergo dicendum esset, in praemium huiusmodi amoris naturalis infundi Gratiam, & caritatem, quibus eam habere possit dilectionem, quae salutem operatur: ergo dilectio naturalis erit dispositio ad Gratiam. Atqui hoc est purum Pelagianorum commentum: ergo, ut ipsum declinemus, dici debet, dilectionem Dei super omnia opus esse Gratiae. Quod quidem firmatur ex hoc, quod huiusmodi dilectio, utpote legis naturalis plenitudo, ac primi mandati observantia, est opus praestantissimum hominis sani; atqui homo lapsus elicere nequit ex se opus praestantissimum: ergo, &c.

Respon-

168 Opponitur 1 ex Apostolo Rom. 1. Inexcusabiles sunt Gentiles, quod Deum ab ipsis naturaliter cognitum, non ut Deum glorificaverint: ergo censebat dilectionem Dei super omnia, quae est naturalis Dei glorificatio, viribus naturae haberi posse. Respondetur. Concedo antec. Nego consequent. cum supposito propositionis incidentis. Nam, ut optime in eumdem locum scribit s. Thomas, ideo fuerunt inexcusabiles, quia Deo cognito sub ratione primae caussae gratias non egerunt, eidem cognito ut supremo Domino cultum debitum non exhibuerunt, imo ab eodem plura adtributa subtraxerunt, quae omnia sine naturali dilectione Dei super omnia praestare poterant. Quod si de huiusmodi dilectione dictum Apostoli intelligi quis velit, fruatur, per nos licet, arbitrio suo, at tunc sensus erit, quod Gentiles huiusmodi obicem ponentes propria malitia Gratiae illi, quae dilectionem laudatam promovisset, fuerunt inexcusabiles. Responsio haec intelligetur ex dicendis infra in *dissert.* 2 de natura Gratiae.

Urgebis. Gentiles potuerunt sine Gratia Deum ut auctorem naturae cognoscere ex dictis hic in quaestione 1: ergo & diligere ut talem super omnia. Respondet s. Thomas hic quaest. 109 art. 2 ad 3 negando conseq. Ait enim ibidem: *Magis est natura humana corrupta quantum ad appetitum boni, quam quantum ad cognitionem veri; unde mirum non est, si voluntas velle efficaciter nequeat, quidquid efficaciter intellectus ei proponit.* His addes, quod ut intellectus cognoscat Deum ut auctorem naturae dignum dilectionis super omnia, sola ignorantiae impedimenta auferre debet, eaque aufert studiis adhibitis; at vero, ut voluntas Deum illum super omnia diligat, commodis propriis, vitae propriae anteponat, facultates extraneas, nimirum appetitum vincere debet. Testem insuper adpello communem hominum experientiam, qua facilius credunt mysteria fidei, quam pravas cupiditates rationi subiciant.

169 Opponitur 2. D. Thomas 2 2 quaest. 171 art. 2 ad 3 docet, dilectionem Dei super omnia esse supernaturalem quoad modum, idest prout est meritoria vitae aeternae: ergo quoad substantiam viribus creatis elici potest. Idem s. Doctor 1 2 quaest. 60 art. 5 ad 5 agnoscit

in Daemone eamdem naturalem dilectionem; Daemon autem Gratia omni destitutus est: & in 4 sententiarum dist. 33 quaest. 2 art. 2 ad 5 idem docet de puerorum animabus lymbo addictis.

Respondetur ad 1 nobis imponi ab adversariis: ita enim scribit ibidem s. Thomas: *Alio modo est aliquid supra naturam humanam, quantum ad modum actus; non autem quantum ad substantiam ipsius, sicut diligere Deum, & cognoscere eum in speculo creaturarum: & ad hoc datur donum Gratiae.* Sensus igitur hic est, quod actus dilectionis Dei non excedit vires naturae quoad substantiam spectatae, idest prout praescindit a natura sana, vel corrupta: excedit tamen vires naturae corruptae, quod sufficit, ut sit quoad modum supra naturam vitiatam. Hinc, negato supposito antecedentis, quod nimirum sit supernaturalis huiusmodi dilectio praecise per hoc, quod sit meritoria vitae aeternae ex s. Thoma, distinguendum est consequens: viribus creatis sanis elici potest. Concedo conseq. Per peccatum vitiatis. *Nego* consequentiam. Ad 2 non docet ibidem s. Thomas, Daemones diligere Deum super omnia amore naturali, sed praecise ipsum diligere necessario, non libere; quatenus, cum se ipsos, ac propriam exsistentiam ament, amant pariter necessario Deum, a quo proprium esse conservatur. Ad 3 idem adhibeto responsum.

170 Opponitur 3. Potest infidelis vitam fundere *pro* patria, ac proinde patriam amare supra se ipsum; *eam* enim vitae propriae potest anteponere: cuius *rei exemplum* Romani passim dederunt: ergo propriis viribus poterit etiam Deum diligere super omnia. Ulterius: Deus ut auctor naturae super omnia diligendus est objectum naturale: per id enim secernitur a Deo, ut diligendo tamquam auctore Gratiae: huiusmodi enim objectum est supernaturale: ergo naturae viribus dilectio naturalis dicenda est proportionata. Respondetur ad 1 potest infidelis &c. Propter se ipsum, suamque gloriam mori pro patria. Concedo antecedens. Ob finem honestum, e. c. ut saluti patriae consulat. Subdistinguo. Et id praestabit sine Gratia. Nego antecedens. Cum Gratia. Concedo antecedens, & nego conseq. Cum enim actio huiusmodi sit opus morale, ac arduum, ac quantum dici potest difficile, expensa naturae humanae post labem originis infirmitate, concipi nequit elicita sine Gratiae adjutorio. Ad 2 dist. antec. Est objectum naturale, idest non est objectum visionis

sionis nostrae intuitivae, atque astuum ad huiusmodi visionem conducentium, ac proinde non est objectum ordinis supernaturalis. Concedo antecedens. Est objectum naturale, atque ut diligendum super omnia naturae corruptae vires non superat. Nego antecedens, & consequent. Fatemur ordinis esse naturalis dilectionem Dei, ut auctoris naturae super omnia, sed in eo ordine, adtenta infirmitate naturae, excedit istius vires, & in hoc sensu dici potest supernaturalis. At si dicatur supernaturale illud, quod in quovis statu naturae vires excedit, nempe tum sanae, tum vitiatae; tunc sola dilectio Dei ut auctoris Gratiae, & gloriae dicenda erit supernaturalis: sed haec talis erit, quia in ordine omnino supra naturam posito; hoc tamen non probat, ad primam dilectionem, esse ordinis naturalis, non requiri Gratiam.

Quaeres, num Gratia illa requisita ad dilectionem Dei naturalem super omnia debeat esse donum aliquod speciale ordinis naturalis, an vero ordinis supernaturalis.

In hisce quaesitis expediendis alienus semper fui, ut bonas horas conlocarem, cum nihil in re Theologica utilitatis obveniat ex ipsorum resolutione. Nobis hoc unum certum est, Gratiam requiri: vel haec sit ordinis naturalis, vel supernaturalis, nostra nihil refert. Dicam tamen aliqua non ex mea, sed aliena sententia.

171 Respondet Cardinalis Gotti, a quo pariter, aliisque nonnullis responsiones deduxi ad duo quaesita quaestione anteriori adnexa, ubi nonnulla diximus de Gratia requisita ad cognitionem omnium veritatum naturalium; respondet, inquam, quod per se, & ratione objecti requiritur duntaxat auxilium speciale ordinis naturalis. At in hypothesi, quod homo ad ordinem supernaturalem sit elevatus, & in peccato exsistat, tunc per accidens requiritur auxilium ordinis supernaturalis. Primam partem sic probat. Actus huiusmodi est entitative naturalis: nam creatura per huiusmodi actum non elevatur ad aliquem gradum operationis supernaturalis. Objectum ello supra vires naturae corruptae; est tamen ordinis naturalis: ergo non exigit auxilium ordinis supernaturalis. Tum quia inde melius propugnatur Ecclesiae sententia lata contra Baium, qui distinctionem amoris naturalis Dei, & supernaturalis vanum commentum reputabat. Alteram vero partem evincit hoc modo: supposita hominis elevatione ad statum supernaturalem, si ipse sit a Deo tamquam auctore Gra-

tiae aversus per peccatum; nequit ad ipsum converti per dilectionem naturalem tamquam ad auctorem naturae; secus posset homo diligere Deum ut auctorem naturae, & ipsum odisse tamquam Gratiae, & gloriae auctorem: ergo, ut habeatur dilectio Dei ut auctoris naturae, requiritur Gratia disponens ad justificationem, & tollens aversionem per peccatum illatam; atqui haec Gratia debet esse ordinis supernaturalis; ergo &c.

Quaeres ulterius, an ad amorem imperfectum, & inchoatum Dei, ut auctoris naturalis requiratur auxilium speciale.

172 Respondetur negative. Homo enim in hoc statu naturae lapsae obfirmatus non est in odio Dei, nec proinde ad ideas divinae bonitatis in ordine naturae rejiciendas fatali determinatione adstrictus, quoties ipsas menti observari contingit: ergo hanc perceptionem sequi potest quaedam complacentia, inchoata quaedam affectio Dei per hujusmodi ideam repraesentati. Ulterius: ut satis ostendimus contra Baium, potest homo lapsus bonum aliquod opus morale elicere sine Gratia, nulla gravi tentatione pulsante: ergo poterit opus illud praestare, quia Deo ut auctori naturae acceptum, quin tamen propositum habeat praecipuum anteferendi Deum rebus omnibus creatis.

QUAESTIO II

In qua variis quaesitis expediuntur, quae in scholis tradi solent sententiae magis vulgatae circa Gratiae necessitatem.

Quaeres 1, an homo in statu naturae integrae potuisset omnia, & singula legis naturalis praecepta servare quantum ad substantiam sine Gratia speciali.

Ut quaesiti sensus, & ad ipsum responsio intelligantur, jus fasque erit ea recolere, quae in *parte 1 num.* 60, & seq. diximus. Jam vero.

173 Respondetur affirmative. Responsio est D. Thomae hic quaest. 109 art. 4, ubi inquit: *Dicendum, quod implere mandata legis contingit dupliciter. Uno modo quantum ad substantiam operum, prout scilicet homo operatur justa, & fortia, & alia virtutis opera: & hoc modo homo in statu*

naturae

naturae integrae potuit omnia mandata legis implere . . . . ; sed in statu naturae corruptae non potest homo implere mandata divina (intellige omnia) *sine Gratia sanante. Alio modo possunt impleri mandata legis, non solum quantum ad substantiam operis, sed etiam quantum ad modum agendi, ut scilicet ex caritate fiant: & sic neque in statu naturae integrae, neque in statu naturae corruptae potest homo implere absque Gratia legis mandata.* I pars probatur; quia in statu naturae innocentis ratio subjecta erat Deo auctori naturae; rationi vero appetitus; ergo cum praecepta naturalia viribus nativis adhuc integris essent accommodata; aliunde nullum esset impedimentum huiusmodi virium exercitium retardans: homo sanus sine Gratia ea poterat implere. II pars inde constat, quod ex Apostolo Rom. 7 nunc ob Adae peccatum *habemus aliam legem in membris nostris repugnantem legi mentis nostrae, nos captivantem sub lege peccati, quae est in membris nostris*; unde cum eodem Apostolo clamare debemus: *Quis nos liberabit a corpore mortis huius? Gratia Dei per Jesum Christum.* Habemus itaque appetitum, & a ratione, & a Deo deordinatum, ac rebellem: unde infirmi sumus, ac impares ad universam legem implendam, nisi Deus per Gratiam adjuvet infirmitatem nostram. Hinc optime ajebat Augustinus lib. 2 de peccat. meritis, & remiss. cap. 5 num. 5: *Justitiae praeceptum omni ex parte implere non possumus, nisi adjuvemur a Deo.*

174 Inferendum ex his, potuisse Adam in statu innocentiae Deum diligere super omnia ut auctorem naturae amore naturali sine Gratia, ut ostendimus quaest. superiori, quam videris.

Quaeres 2, an ad vincendas leves tentationes quantum ad substantiam operis moralis in ordine naturali requiratur Gratia.

175 Respondetur negative. Responsio autem ex iis probatur, quae fuse contra Baium in parte prima disputavimus. Si enim potest homo etiam peccator, etiam infidelis aliquando ob motivum honestum ordinis naturalis operari, profecto ex eodem motivo poterit etiam aliquando leves tentationes superare, puta debitum solvere, ne injustitiae peccatum admittat; stipem pauperi praebere, ne sit immisericors. His accedit censura lata in hanc Baii propositionem 20 a summis Pontificibus Pio V, Gregorio XIII, & Urbano VIII: *Fures sunt, & latrones . . . .*

qui doceat . . . . . tentationi ulli sine Gratiae adjutorio resistere hominem posse.

Quaeres 3, an ad vitanda omnia peccata lethalia per longam temporis moram requiratur Gratia sanctificans.

176 Respondetur affirmative cum D. Thoma hic art. 8, cujus ratio haec est, quod si homo destitutus sit Gratia sanctificante, homo est in statu peccati lethalis; in hoc autem statu ratio subjecta Deo non est. Hinc plures consurgunt motus inordinati in appetitu, qui actus pariter inordinatos in ratione jam a Deo aversa excitabunt: unde peccata nova lethalia admittentur; eo vel maxime, quod homo Gratia destitutus Deo non adhaeret, sed bono mutabili. Facilius itaque ultimum finem in creatura constituet, quam in Deo, ubi moraliter agendum ipsi erit. Requiritur itaque Gratia *ad debitum ordinem animam reparans*, ut ait s. Thomas. Haec autem est Gratia sanctificans.

Quaeres 4, num praeter Gratiam habitualem requiratur ulterius in homine lapso Gratia actualis, ut diu vitet peccata lethalia.

177 Respondetur affirmative cum D. Thoma hic quaest. 109 art. 9. Responsio autem ipsius haec est, quod licet per Gratiam habitualem sanetur homo, quoad mentem; remanet tamen adhuc obscuritas quaedam, qua nos latent viae illae, per quas in justitia, timore, ac caritate procedere debemus: viget adhuc in carne corruptio, qua motus inordinati excitantur. Requiritur itaque Gratia, qua clamemus ad Patrem, ne nos inducat in tentationem: ut nobis adperiat vias illas, per quas ambulemus: ne serviamus legi peccati; atqui Gratia ista est Gratia operis, seu actualis: ergo &c.

Quaeres 5, an homo justus praeter Gratiam habitualem indigeat Gratia actuali, ut bonum supernaturale operetur.

178 Respondetur affirmative. Responsio probatur ex can. 19 concilii Arausicani II: *Natura humana etiamsi in illa integritate, in qua condita est, permaneret, nullo modo se ipsam, Creatore suo non adjuvante, servaret*; intellige per actuum salutarium frequentiam. Accedit Augustinus lib. de nat. & Gratia cap. 26 ita scribens: *Homo justificatus, nisi aeterna luce justitiae divinitus adjuvetur, recte non potest vivere.* Ratio autem haec est, quod homo non agit, nisi motione divinae virtutis applicetur ad actionem: ut suppono ex iis, quae olim edocebam in praelectionibus

nibus philosophicis: ergo id etiam valet, ubi agitur de actibus supernaturalibus, ut fuse ostendemus in *differt.* 2, ubi de natura Gratiae efficacis disseremus: ergo requiritur Gratia praemovens efficaciter, quae est Gratia actualis.

Quaeres 6, *num homo in statu innocentiae sine dono speciali perseverantiae finalis potuisset usque in finem perseverare.*

179 Respondetur 1. Si nomine potentiae intelligatur hic possibilitas conjuncta cum actu, sentimus cum D. Thoma hic quaest. 109 art. 10 ad 3, non potuisse hominem in eo statu perseverare usque in finem sine dono laudato. Ut enim optime ait s. Augustinus in Enchiridio cap. 106: *Etsi peccatum in solo libero arbitrio erat constitutum; non tamen justitiae retinendae sufficiebat liberum arbitrium: nisi participatione immutabilis boni divinum adjutorium praeferretur*: & cap. 107: *Sic factus est homo rectus, ut manere in ea rectitudine posset non sine adjutorio divino*. Ratio autem haec est, quod homo in eo statu ut *perseveraret* (non dico, ut posset perseverare, sed ut perseveraret, quae est *possibilitas conjuncta cum actu*) debuisset in bono firmari, ac certam reddere propriam electionem: ergo exigebat auxilium firmans illum in bono, & certam reddens specialem illam electionem, qua fuisset ad gloriam praeordinatus: atqui Gratia illa erat donum perseverantiae finalis, quo carentes mali Angeli Gratiam sanctificantem, aliaque dona propria voluntate amiserunt: ergo &c.

180 Respondetur 2. Si loquamur de mera possibilitate non conjuncta cum actu; poterat homo cum donis justitiae originali adnexis finaliter perseverare. Sententia haec desumitur etiam a D. Thoma sic aiente loco mox citato: *Homo in primo statu accepit donum, per quod perseverare posset; non autem accepit, ut perseveraret*. Quod quidem docet etiam expresse ejusdem magister D. Augustinus lib. de natura, & Gratia cap. 43. Et sane, ut probat ibidem s. Thomas, nulla erat in Adamo carnis adversus spiritum rebellio: poterat itaque cum Gratia habituali, & donis eidem infusis facilius perseverare, *quam nunc possumus*. In hoc enim statu *reparatio Gratiae Christi consummata non est*. Sunt verba D. Thomae hic, *quantum ad carnem*. Unde ad constituendam hujusmodi possibilitatem auxilia requiruntur infirmitatem naturae adjuvantia.

DISSERTATIO II

De natura Gratiae, eiusque efficacia.

Nunc tandem fidem illam exsolvimus, quam saepe dedimus in parte prima: hic enim celebriorem huiusce tractatus controversiam instituemus de Gratiae natura, & efficacia, num scilicet ea sit Gratiae indoles, natura, & activitas, qualis a Molina explicatur: an potius qualis adseritur a D. Thoma, quem in hac re magistrum, uti & in ceteris, habere gloriamur. Ut autem & temporis oeconomiae, & gravitati materiae, & argumenti amplitudini consulamus, quaestionem duplicem instituemus. *In prima* de Gratiae efficacis; in secunda de sufficientis natura *disseremus.*

QUAESTIO I.

De Gratia efficaci.

ARTICULUS I.

Num Gratia sit efficax ex se, & nativa virtute.

181 Dum Gratiae efficacis naturam, atque activitatem examinandam suscipimus, illam Gratiam intelligimus, quae ad actus salutares praestandos requiritur: illud praecipue expendentes, num vis illa, qua efficax redditur, sit illi intrinseca, an vero extrinseca, ut innuimus *num.* 4, dum notiones Gratiae sufficientis, & efficacis pro vario Theologorum sensu explicaremus. Ex iis autem, quae ibi diximus, satis liquet in sententia Molinae, Gratiam illam esse efficacem: quae talis redditur ab humanae voluntatis consensu; ceterum nihilo, ex se, differre a Gratia sufficienti. quae non aliam ob caussam inefficax est, nisi quia eidem voluntas non adsentitur. Quia tamen doctrina haec, quam primum in scholas invexit

vexit Ludovicus Molina in *lib.* de concordia liberi arbitrii cum Gratiae donis *disp.* 38 *quaest.* 14 *art.* 13 ipsis etiam Molinismi adsertoribus durior visa est, nec facile a censura immunis: idcirco congruismum adoptarunt: & quidem merito, quia in sententia Molinae hominis bene operantis discretio a male operante a Deo non esset, sed ab homine. Haec autem Gratiae congruitas in eo sita est, quod Deus Gratiam largitur homini in iis circumstantiis, in quibus ope scientiae mediae praevisus est a Deo ipso consensurus; quin tamen ex se vim habeat consensus infallibiliter trahendi. Hisce recte constitutis, aiunt Moliniſtae recentiores post Suarezium, stat hominum discretionem quoad merita a Deo esse, sartumque subsistere sub Gratiae motione liberum hominis arbitrium.

182 Thomistae ex adverso docent, Gratiam efficacem ex nativa virtute a sufficienti distingui, ideoque semper, certo, ac infallibiliter effectum suum obtinere. Quae quidem sententia & aliena est ab errore Lutheri sentientis, Gratiam in voluntate operari sine ipsa, & a sententia Congruistarum opinantium, Gratiam effectum obtinere dependenter a voluntate: ubi per Thomistas Gratia effectum sortitur cum voluntate, & non dependenter ab ipsa. Ut autem haec Gratiae efficacia probe intelligatur, illud observare non inutile fuerit aliquid esse posse efficax I, quia potest effectum praestare, licet semper non praestet: sic pretium a Christo in cruce solutum ex se efficax est ad omnium hominum salutem, etsi non omnes salutem adsequantur. II eo, quod, nedum vim habeat ad effectum praestandum; sed etiam ipsum infallibiliter semper obtineat. Hac postrema acceptione Gratiam efficacem adpellat schola Thomistarum: primo autem sensu a Molinistis, qui tunc solum efficaciam infallibilem Gratiae tribuunt, quando a congruitate circumstantiarum derivatur. In Thomistarum sententiam nobis ire libet: quare nullum argumentorum genus omittetur, quo eidem juris accessionem vindicemus intra modos brevis, ac concisae disputationis, quae ut plana fiat, ac expedita, sit

LEMMA

LEMMA

Gratia operis, de qua diu certatum est inter D. Augustinum, & Pelagianos, fuit Gratia per se, & ab intrinseco efficax.

183 Prob., quia ut Augustinus Pelagianos hac in parte convincat, adducit exemplum Gratiae, qua Apost. Paulus conversus est; atqui ex Augustino Gratia huiusmodi per se, & ab intrinseco efficax erat, ut suadent ipsius verba de Grat. & libero arbitrio *cap.* 5: *Ut autem de caelo vocaret, & tam magna, & efficacissima vocatione converteret, Gratia Dei fuit sola; quia merita eius magna erant, sed mala.* Quapropter Lessius versatilis Gratiae propugnator Gratiam illam efficacem in sensu Thomistarum admisit, uti & illam, qua mulier peccatrix ad bonam frugem conversa memoratur in Evangelio: ergo. Huc spectat 2, quod S. Augustinus eam Gratiam contra Pelagianos propugnavit, quae nusquam a consensu separatur: quae effectu suo nusquam caret: quae homini tribuit invictissimam, sed liberrimam voluntatem, cui implicat, hominem de facto dissentire, cum possit: quae a *nullo* duro corde reiicitur, quia datur, ut durities cordis auferatur: quae ex nolentibus volentes facit: quae indeclinabiliter, & insuperabiliter movet voluntatem, ut nulla infirmitate deficiat; atqui Gratia huiusmodi est ab intrinseco efficax: nescio enim, utrum clarius exprimi possit a quovis utut exacto Thomisticae scholae professore: ergo &c. Maiorem probant verba Augustini lib. de Gratia Christi cap. 14: *Si solum posse nostrum hac Gratia juvaretur, ita diceret Dominus, omnis qui audivit a Patre meo .... potest venire ad me: non autem ita dixit; sed, omnis, qui audivit a Patre, & didicit, venit ad me. Venire posse in nostra posuit potestate Pelagius, vel etiam, ut modo dicere coepit, in Gratia, quamlibet eam sentiat, qua, ut dicit, ipsa possibilitas adjuvatur: venire autem jam in voluntate, & opere est; non est autem consequens, ut qui potest venire, etiam veniat, nisi voluerit, atque fecerit. Sed omnis, qui didicit a Patre, non solum potest venire; sed venit, ubi jam*

&

& possibilitatis profectus, & voluntatis affectus, & actionis effectus est. Lib. de correpr. & Grat. cap. 8: *An audebis dicere, etiam rogante Christo, ut non deficeret fides Petri, defecturam fuisse, si Petrus eam deficere voluisset, hoc est, si eam usque in finem perseverare noluisset: quasi aliud Petrus ullo modo vellet, quam pro illo rogasset Christus, ut vellet? Nam quis ignorat, tunc fuisse perituram fidem Petri, si ea, quae fidelis erat, voluntas ipsa deficeret; & permansuram, si eadem voluntas maneret? Sed quia praeparatur voluntas a Domino; ideo pro illo Christi non posset esse inanis oratio, quando rogavit: ergo ne deficeret fides ejus, quid aliud rogavit, nisi ut haberet in fide liberrimam, fortissimam, invictissimam, perseverantissimam voluntatem? Ecce quemadmodum secundum Gratiam Dei, non contra eam libertas defenditur voluntatis, voluntas quippe humana, non libertate consequitur Gratiam; sed Gratia potius libertatem, &, ut perseveret, delectabilem perpetuitatem, & insuperabilem fortitudinem.* Lib. 4 ad Bonifacium cap. 4: *Oramus ergo non solum pro nolentibus, verum etiam pro repugnantibus . . . quid ergo petimus, nisi ut fiant ex nolentibus volentes: a quo? nisi ab illo, de quo scriptum est: praeparatur voluntas a Domino.* Epist. 117 ad Vitalem: *Intus in ipsis hominum cordibus operatur Deus, non ut homines, quod fieri non potest, nolentes credant; sed ut volentes ex nolentibus fiant.* Lib. de praedest. Sanctorum cap. 8: *Haec itaque Gratia, quae occulte humanis cordibus divina largitate tribuitur, a nullo duro corde respuitur; ideo quippe tribuitur, ut cordis duritia primitus auferatur.* Lib. denique jam laud. de corrept., & Grat. cap. 12: *Subventum est infirmitati voluntatis humanae, ut divina Gratia indeclinabiliter, & insuperabiliter ageretur: & ideo quamvis infirma; non tamen deficeret . . . . ut, ipso donante, invictissime quod bonum est, vellent, & hoc deserere invictissime nollent.* Stat itaque, ab Augustino eam Gratiam contra Pelagium adsertam fuisse, quae dotes illas habeat activitatem suam nativam exprimentes, ut superius innuebamus. Hoc autem totum ex eo firmatur, quod in libris ab Augustino editis in Gratiae defensionem totus passim est, ut ostendat, arbitrium sub Gratiae motione sartum esse, ac indemne: locum adhuc correptioni relinqui a Gratia, quam propugnat: nullam necessitatem ab eadem induci, ut passim ipsi criminabantur Pelagiani. Et pressius cap. 47 de Grat. Christi totus est, ut ostendat, modum conciliandi libertatem cum Gratiae efficacia difficilem esse,

nec

nec capiti pervium; atqui omnis, praejudiciis carens, isthaec de Gratia versatili, & indifferenti non intelliget, cum ista nusquam Pelagianis videri potuerit humanae libertati infesta. Gratia igitur, quam negabant Pelagiani, quam contra ipsos acriter propugnavit Augustinus, fuit efficax ab intrinseco, & nativa virtute effectiva.

PROPOSITIO.

Gratia operis, quam vulgo efficacem vocant, qua opera supernaturalia ab hominibus eliciuntur, talis est per se, & ab intrinseco. Unde ipsius efficacia repetenda non est ab humani arbitrii consensu, vel a temporis, loci, aliarumque circumstantiarum congruitate.

§. I.

Selectiora scripturarum testimonia proferuntur pro intrinseca efficacis Gratiae virtute.

184 Evincitur 1. Efficax ab intrinseco dicenda est Gratia illa, quae facit, ut in praeceptis Dei ambulemus: quae aperit cor nostrum: quae illud trahit ad se, quae inclinat voluntatem, quocumque voluerit, cor innovat, & ab eo duritiem aufert, ita in nobis operans velle, & perficere, ut huiusmodi operatio a nobis non pendeat, sed a Deo miserente: haec, inquam, Gratia efficax est ab intrinseco, non a consensu voluntatis, nec a circumstantiarum congruitate. Si enim a circumstantiis, & consensu penderet, jam Deus, quocumque vellet, cor hominis non traheret; sed solum quando homo consentiret, quando istae, non illae circumstantiae congruerent, operari Deum in nobis bonam voluntatem, non esset miserentis Dei opus; sed voluntatis: non faceret Deus, ut homo vellet; sed e contra faceret homo, ut Deus vellet: non iste hominem; sed homo Deum traheret; atqui Gratia operis, quam frequenter praedicant scripturae, facit, ut faciamus, &c.: ergo &c. Minor prob. huiusmodi scripturae testimonia recitando Cantic. 1: *Trahe me post te: curremus in odorem &c.* Psal. 118: *Inclina cor meum, Deus, in testimonia tua.* Joannis 6: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui me misit, traxerit eum.*

Exe-

Ezechiel. 36: *Dabo vobis cor novum, ... auferam cor lapideum de carne vestra; & dabo vobis cor carneum, & faciam, ut in praeceptis meis ambuletis.* Philipp. 2: *Deus est, qui operatur in nobis velle, & perficere pro bona voluntate sua.* Rom. 4: *Non est volentis hominis, neque currentis, sed miserentis Dei.* Proverb. 21: *Deus immutat cor principum, &, quocumque voluerit, inclinabit illud.* Esther 4: *Domine rex deorum . . . . transfer cor illius in odium hostis nostri*; ibid. cap. 15: *Convertit Deus spiritum regis in mansuetudinem.*

185 Evincitur 2 ex celebri illo Apostoli testimonio 1 Cor. 4: *Ne, supra quam scriptum est, unus adversus alterum infletur prae alio. Quis enim te discernit? quid autem habes, quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* In hunc textum sic liceat nunc ratiocinari. Gratia efficax per adversarios non distinguitur a Gratia sufficienti ex natura sua; atqui Gratia sufficiens non est Gratia discernens hominem justum ab impio, cum communis sit utrique: ergo Gratia efficax esse debet ex natura sua a sufficienti distincta; talis non est, nisi Gratia efficax ab intrinseco: ergo &c. Non me latet, adversarios ad vim argumenti declinandam sic Apostoli textum explicare, nempe sub Gratia versatili non hominem seipsum discernere; quia quod congrue habeat Gratiam, quando praevidetur consensurus, est a Deo, quod pariter consentiat, est a Gratia adjuvante: verum qualiscumque ea sit consideratio, nihil nos movet. Nam Gratia versatilis non potest in hac hypothesi justum ab impio discernere, nisi quia dirigitur a scientia media, qua praevidetur unus consensurus, alter dissensurus; atqui scientia media adeo non discernit, ut imo supponat discretionem, cum ipsa sit scientia mere speculativa, & ideo per scientiam mediam justus praevideatur consensurus, quia consentiet Gratiae; non ideo consentiet Gratiae, quia praevidetur consensurus: ergo quod homo discernatur ab impio, quando in tali circumstantia Gratiam obtinet, habet a proprio consensu praeviso, non a Gratia: ergo &c. Ergo quod Deus det Gratiam justo in ea circumstantia, in qua praevidetur consensurus, non praestat, ut discretio justi ab impio, sit a Deo; cum illa Gratia non discernat a Deo, sed ab homine: ab isto enim redditur efficax, & ut talis praevidetur. Repugnat autem, a Deo hominem discerni per id, quod discernitur

ab

ab homine. His addes, quod illa Gratia etiam ut in tali congrua circumstantia collata, quoad entitatem non differt a Gratia impio communicata. Nemo autem dixerit, medium hujusmodi commune posse esse sufficiens discretivum justi ab impio: hoc enim esset contra Augustinum ita scribentem cap. 5 lib. de praedest. Sanctorum: *Numquid per dona omnibus communia discernuntur homines ab hominibus? . . . . . posset quippe dicere homo . . . adversus alterum discernit me fides mea . . . . . talibus occurrens cogitationibus bonus Doctor: quid autem habet, inquit, quod non accepisti? A quo, nisi ab illo, qui te discernit ab alio, cui non donavit, quod donavit tibi? . . . . . . nihil autem huic sensui tam contrarium est, quam de suis meritis quemquam gloriari, tamquam ipse ea sibi fecerit, non Gratia Dei, sed Gratia, quae bonos discernit a malis, non quae communis est bonis, & malis.* Hinc gradum facio ad alteram suffugii partem, nimirum justi consensum esse a Gratia adjuvante, sic arguens. Ex Augustino *cap.* 3 *lib.* de praedest. Sanctorum error est credere, fidem Dei Gratia non praeveniri, qua detur: ergo per ipsum datur Gratia praeveniens, qua nobis datur fides, atqui Gratia praeveniens, qua nobis datur fides, est juxta Augustinum Gratia discernens fidelem ab infideli; cum ex eodem *lib.* 1 ad Simplicianum *quaest.* 2 constet, ab ipso admissam fuisse Gratiam praevenientem ob illud Apostoli testimonium: *Quis te discernit?* ergo per Augustinum Gratia discernens fidelem ab infideli non est concomitans, sed praeveniens: ergo quaevis Gratia discernens justum ab impio praevia est, non concomitans. His omnibus ad cumulum addes, quod, si stet adversariorum sententia, jam homo habet a se, quod se determinet ad consensum: ergo habet aliquid, quo glorietur contra sensum Apostoli. Constat hoc, quia ideo homini confertur Gratia, quia praevidetur consensurus: ideo Gratia illa congrua est, quia consensus suus illam congruam reddidit: ergo bonus usus Gratiae, qui est ab homine, & ob id praevisus, cum non sit a Gratia, erit hominis meritum, quo sibi plaudat, & glorietur.

Accedunt in sententiae nostrae confirmationem omnia illa scripturarum testimonia, in quibus divinae voluntatis potentia praedicatur: ita ut ipsi, potentia consequente, atque, ut aiunt, in sensu composito, humana nequeat voluntatem-

luntati resistere; tum ex iis, quae palam significant conversionem nostram in Deum a Deo esse praevie voluntatem determinante, & movente. Primi generis sunt testimonia illa Isai. 14: *Dominus decrevit; & quis poterit infirmare?* Esther 13: *Domine rex omnipotens, in ditione tua cuncta sunt posita; & non est, qui possit tuae resistere voluntati, si decreveris salvare Israël.* Rom. 9: *Voluntati eius quis resistit?* Jam vero sic arguitur: Deo Gratia efficaci vocanti nequit arbitrium resistere potentia consequenti conjuncta cum actu; atqui, admissa Gratia per se indifferenti, potest illi arbitrium resistere, & de facto eidem saepe resistit juxta Molinianos: ergo &c. Ubi illud velim advertas, huiusmodi infallibilitatem divinae vocationis a sola Numinis omnipotentia deduci, non ab attemperatione Gratiae libero voluntatis consensui, vel dissensui. Si enim res ita esset, non posset Deus semper, & ubique effectum obtinere, quem vult; sed deberet explorare, quandonam, & cuinam auxilio creatura sit consensura, falsumque evaderet, quod passim scripturae clamant: *In Dei manu esse corda hominum, ut aquarum divisiones, quocumque ipse vult, illa flectere.* Alterius vero generis sunt verba illa Joannis 6: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum*; tum alia Apostoli: *Qui spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei*; atqui si Gratia sit ab extrinseco efficax, jam praevie Deus trahitur a consensu creaturae; ab illo agitur: ergo. Et sane si quis affectu vacuus sacros codices evolvat, ibique legat, *a Deo cor hominis dirigi*; ut Thessalonic. 3: *Captari in bonum*; ut Hebraeor. 13: *Immutari in aliud*; ut 1 Reg. 10: *Cor homini dari a Deo, ut eius faciat voluntatem.* Iste profecto facile contemnet Gratiae efficaciam non ab humano arbitrio; sed a Numinis omnipotentia virtutem hanc Gratiae tribuente derivari. Alia mitto: eorum enim aliqua adduximus, ubi de praedestinatione gratuita ad gloriam actum est.

§. II.

§. II.

Proferuntur argumenta ex traditione petita; & potissimum ex s. Augustino.

Quia in hac re potissimum Augustini auctoritate praesidium ducimus; cum nemo acrius, ac diutius contra divinae Gratiae adversarios Ecclesiae doctrinam circa Gratiam propugnaverit; idcirco aliquas tantum proferam Patrum sententias nobis suffragantes, reliquos Patres honoris caussa duntaxat appellando. Jam vero.

186 Evincitur 1 ex Tertulliano lib. de anima cap. 2, ubi sic legas: *Genimina viperarum faciens fructus dignos poenitentiae; si malitiae venenum abjiciant: haec autem erit vis divinae Gratiae, quae potior utique est natura, habens in nobis subjacentem sibi liberi arbitrii potestatem.* Sequitur Basilius, ita inquiens constitutionum cap 1: *Dominus est, & aliter, quam ille promisit, res cadere non potest. Omnium enim potens est, & arbitratu suo cuncta commutat.* Viden' rationem infallibilitatis eventus in solam refundi Numinis omnipotentiam? Quod ergo homo divinae Gratiae consentiat, ab eadem omnipotentia provenire dicendum est. Hac de re Gratiam dicit *potentiae insuperabilis*, serm. de libero arbitrio, & lib. de Spiritu sancto cap. 8: *Auxilium operans in nobis per imperium suae potentiae.* Similia legas apud Chrysost. hom. 3 in haec D. Pauli verba: *Confortamini in Domino*: epistolae ad Ephes. cap. 6: *Potentia, qua nos trahit ad se per Gratiam, eadem est, quae resuscitavit filium suum a mortuis.* Occurrunt passim in libris Hieronymi contra Pelagium argumenta invicta, ut probet Gratiam, qua peremptum in liberum arbitrium per errorem iste credebat: haec autem alia non erat, quam intrinsecus efficax. Adi etiam Ambrosium lib. de dignit. hominis cap. 2; Anselmum in 22; Matth., & Bernard. de Gratia, & libero arbitrio peremptorium nobis exhibentem testimonium: *Deus universa potentissime movet, ordinat; unde nihil evenit, quod, non prout vult, potenti praeordinet providentia; Deus enim voluntatem applicat operi*, en tibi motionem physicam a libero arbitrio non pendulam: *& opus explicat voluntati*, en motionem moralem. Ne autem motio illa physica praevia, ex Dei omnipotentia efficax, libertati humanae noxia credatur, sic e ve-

e vestigio subiungit: *Quid igitur ais liberum arbitrium? Sic breviter respondeo: salvatur; tolle liberum arbitrium, non erit, quod salvetur: tolle Gratiam, non erit, unde salvetur: & iterum, quid tu ergo operaris, aut quid mercedis speras, aut praemii, si totum facit Deus? Respondeo: quod a sola Gratia coeptum est, pariter ab utroque perficitur, ut mixtim, non singillatim . . . . non partim Gratia, partim liberum arbitrium; sed totum singula individuo opere peragant, totum quidem hoc, & totum illa; sed ut totum in illo: sic totum ex illa.* Ergo quod liberum arbitrium cum Gratia operetur, habet *ex Gratia*, idest *ex applicatione voluntatis operi*; ut superius dixerat.

Nunc autem, ne longior plus aequo sim, recensebo duntaxat Patres, qui traditionis in hac re testes luculentissimi sunt. Huiusmodi sunt Inocentius I in *epistola* ad Patres Africanos; Zozimus in *epist.* ad totius orbis Episcopos; Caelestinus I in *epist.* ad Episcopos Galliarum; Hormisdas in *epist.* ad Possessorem; Cyprianus *lib.* 3 ad Quirinum *cap.* 4, & in *serm.* de orat. Dominica; Gregorius Nazianz. *orat.* in Pentecosten: quorum auctoritatem Pelagio obiecit Augustinus, ut novitatis notam sibi impactam repelleret. Qui vero Augustinum secuti sunt, Ecclesiae Patres victricis Gratiae adprobatores, & propugnatores fuerunt, ut constat legenti Cyrillum Alexandr. *lib.* 1 de adoratione in spiritu; Fulgentium *lib.* de incarnat. & Grat. *cap.* 20; Prosperum *carm.* de ingratis *cap.* 14, & 16; tum demum auctorem libri de vocatione gentium *lib.* 2 *cap.* 26.

187 Evincitur 2 ex Augustino, cui merito peculiarem locum damus: vires enim Gratiae ipso nemo melius explicavit. I loco ponimus quaestionem illam ab Augustino excitatam *cap.* 8 *lib.* de corrept. & Grat., cur Deus aliis perseverantiam largiatur, aliis neutiquam: quam quidem solvit ad *inscrutabilia Dei judicia* confugiens, & eos refellens, qui illud humano tribuunt arbitrio, verbis illis: *Quid molitus es contra verba dicentis: rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua?* Atqui si Gratia, qua confertur a Deo perseverantia, ab extrinseco duntaxat efficax sit, facillima erat responsio; ideo istum perseverare, quia Gratiae congruae consentit, cui alligatum est donum perseverantiae; ille neutiquam: unde superfluus erit ad inscrutabilia Dei judicia recursus: ergo &c.

Audies passim e schola Moliniana Doctores varia conquirentes diverticula, ut vim argumenti declinent: ast eorum interpretamenta vana esse intelliges, quod semper eo decidunt, nempe Deum huic perseverantiam concedere, quia praevisus est consensurus; non illi, quia praevisus est dissensurus: ergo ratio repetenda non est a divinorum judiciorum *inscrutabilitate*, sed a libero hominis consensu, vel dissensu. Quae responsio, ut ignota fuit Augustino; ita nec a viro Theologo facile videtur adoptanda, eo vel maxime, quod Patribus Augustino posterioribus probata non est: quod enim Augustinus docet cap. 14 lib. de dono perseverantiae: *Audiunt haec* (intellige miracula Christi, atque praedicationem) *& faciunt, quibus datum est; non autem faciunt, sive audiant, sive non audiant, quibus datum non est*. Doctrinam hanc, inquam, qua Gratia efficax omnino distinguitur ab aequalibus auxiliis sufficientibus ex aequo collatis, ratione nativae virtutis trahentis opus, adoptavit divus Prosper d. lib. 8 ad excerpta Genuensium: ibi enim ita inquit: *Non solum Tyrii, & Sidonii; sed etiam Corozaim, & Betsaida potuissent converti, si hoc in eis Dominus voluisset operari*. Et libro de vocatione gentium (si tamen ejus auctor est Prosper, de quo lis est inter criticae scientiae peritos) cap. 25: *Profunditas illius quaestionis, quam secundum admirationem Apostoli impenetrabilem confitemur per liberi arbitrii velle, & nolle non solvitur: quantumlibet enim impiorum malignitas accusetur resistens Gratiae Dei; nunquam probabuntur, eam, quibus est collata, meruisse, aut illam virtutem Gratiae, quae sibi quos voluit subdidit, convertere eos, qui inconvertibiles permansere, non potuisse.*

Sed alia sunt longe illustriora Augustini in laudem Gratiae ex sese effectricis testimonia. Libro de corrept. & Grat. cap. 12 ita scribit: *Tantum Spiritu sancto accenditur voluntas eorum, ut ideo possint, quia sic volunt: ideo sic velint, quia Deus operatur, ut velint. Nam si in tanta infirmitate vitae hujus ipsis relinqueretur voluntas sua, ut in adjutorio Dei, sine quo perseverare non possent, manerent, si vellent, nec Deus in eis operaretur, ut vellent: inter tot tentationes infirmitate sua voluntas ipsa succumberet; & ideo perseverare non possent, quia deficientes infirmitate nec vellent, aut non ita vellent, infirmitate voluntatis, ut possent.*

Sub-

Subventum est ergo infirmitati voluntatis humanae, ut divina Gratia indeclinabiliter, & insuperabiliter ageretur . . . . . ut, ipso donante, invictissime, quod bonum est, vellent, & hoc deserere invictissime nollent. Eodem libro cap. 14: *Cum autem homines in viam justitiae per correptionem veniant, quis operatur in cordibus eorum salutem? Nisi Deus, cui volenti salvum facere nullum hominum resistit arbitrium. Si enim velle, & nolle in volentis, aut nolentis est potestate, ut divinam voluntatem non impediat, nec superet potestatem . . . . . quandoquidem de ipsis voluntatibus, quod vult, cum vult, facit.* Tum adductis exemplis Israëlitarum, qui a Deo adducti sunt, ut reges Saul, & David eligerent, subdit: *Quomodo adduxit? . . . . . . intus egit, corda tenuit, corda movit, eosque voluntatibus eorum, quas ipse in ipsis operatus est, traxit. Si ergo cum voluerit reges in terra Deus constituere, magis habet in potestate voluntates hominum, quam ipsi suas, quis alius facit, ut salubris sit correptio, & fiat in correpti corde correctio, ut caelesti constituatur in regno?* In Enchiridio ad Laurentium cap. 98: *Deus malas hominum voluntates, quas voluerit, quando voluerit, ubi voluerit, in bonum potest convertere*; lib. de Gratia, & libero arbitrio cap. 20: *Gratia Dei . . . voluntas humana non tollitur; sed ex mala mutatur in bonam, ... nec solum bonas voluntates facit ex malis . . . . . verum etiam illas, quae conservant seculi creaturam, ita habet in propria potestate, ut eas, quando voluerit, quo voluerit, faciat inclinari*; & cap. 21: *Agit Omnipotens in cordibus hominum etiam motum voluntatis eorum, ut per eos agat, quod per eos agere voluerit*; tum cap. 3 de gestis Pelagii: *Tantum praestat voluntatibus Gratia, ut non dubitet Apostolus dicere, quotquot Spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei; aguntur autem, ut agant, non ut nihil agant.* Demum lib. de Gratia Christi totus est, ut a Pelagio extorqueat confessionem Gratiae, qua nedum fides suadeatur; sed etiam persuadeatur is, cui fides suadeatur; quam Gratiam probat ex iis Christi verbis: *Nemo venit ad me, nisi Pater traxerit eum. Nemo potest venire ad me, nisi fuerit datum a Patre meo*; & epistola ad Vitalem de Gratia per se infallibiliter efficaci a se quaestionem institui luculenter significat iis verbis: *Recognoscis me, ut puto, in his, quae nos scire dixi, non omnia, quae ad fidem Catholicam pertinent, commemorare voluisse; sed ea tantum, quae ad istam, quae inter nos agitur de Dei Gratia, quaestionem,*

utrum ideo nobis detur Gratia, quia volumus; an per illam Deus etiam hoc efficiat, ut velimus.

Ex his autem omnibus facile erit haec argumenta conficere. Ex Augustino per Gratiam hominum voluntas ideo vult, quia Deus operatur, ut velit: indeclinabiliter a Deo, atque insuperabiliter agitur, ut nulla unquam infirmitate deficiat: idque non ob aliquam circumstantiarum congruitatem, non ob scientiae exploratricis directionem; sed nativa virtute a supremo dominio Dei in creaturas, atque ab omnipotenti ipsius voluntate derivatam. Ex eodem s. Doctore Deus per Gratiam operatur ipsum motum voluntatis, quo agit, quod vult per arbitrium agi: idque semper, & ubique voluerit: ac proinde in omnibus omnino circumstantiis, sine ulla arbitrii laesione, quia magis sunt in ipsius potestate hominum voluntates, quam in ipsis suae; atqui haec omnia talioni in systemate Moliniano, ut quivis Gratiae versatilis indolem expendens deducere potest ex sese: ergo per Augustinum non est ab arbitrio pendula, sed intrinsece efficax, ut etiam ipsi Molinistae fatentur.

Sunt, qui plures hic e schola Moliniana insignes Theologos commemorant, hanc fuisse divi Augustini de Gratia victrice doctrinam ingenue adserentes, Molinam videlicet in concordia *disput.* 1 *quaest.* 23 *art.* 4, & 5, *membro* 6 §. 1; Azorium *lib.* 1 instit. moral. *cap.* 21 *quaest.* 8, aliosque bene multos; sed mihi satius est laudare unum s. *Thomam*: qui, ut erat in Augustini lectione adeo *versatus*, ut ipse vocetur *Augustinus contractus*, eam sane tenuit in Gratia explicanda sententiam, quam ex s. Doctoris scriptis didicerat. Rem autem esse, ut obtendo, breviter demonstro. Sanctus Thomas, neglecta scientia media, totus est, ut actus etiam liberos creaturarum praedefinitos esse a Deo decretis absolutis, & efficacibus ab intrinseco ostendat: id ergo argumento est, nuspiam a s. Thoma admissam esse Gratiam versatilem, quae necessario a systemate scientiae mediae dependet. Ulterius: s. Doctor passim docet, Gratiae efficaciam petendam non esse ex humana libertate, sed potius istam ab illa, ut etiam Gratiam infallibiliter inferre proprium effectum ex divinae voluntatis intentione, & efficacia: hoc autem idem est, ac Gratiam ex intrinsecis suis efficacem propugnare. Verba s. Doctoris haec sunt quaest. 6 de malo

arti-

articulo unico: *Deus movet voluntatem immutabiliter propter efficaciam divinae voluntatis moventis, quae deficere non potest; sed propter naturam voluntatis motae, quae indifferenter se habet ad diversa, non inducitur necessitas; sed manet libertas.* 1 parte quaest. 19 artic. 8: *Cum voluntas divina sit efficacissima, non solum sequitur, quod fiant, quae fieri vult, sed etiam quod eo modo fiant, quo Deus vult ea fieri: vult autem Deus, quaedam fieri contingenter, quaedam necessario*; & quaest. 105 artic. 4: *Deus est caussa movens naturales caussas, & voluntarias, & sicut caussis naturalibus movendo eas, non aufert, quin earum actus sint naturales: ita movendo voluntarias; sed potius hoc in eis facit, quia operatur in quolibet secundum proprietatem eius.* Eam insuper defendit Gratiam s. Thomas, quam Origenes negabat ut destructivam libertatis; haec autem esse non poterat Gratia versatilis: ergo Gratia ex se efficax. Clariora s. Thomae verba sunt, quam ut de ipsius mente quis possit ambigere: *Quidam non intelligentes*, ita loquitur lib. 3 contra Gentiles cap. 89, *qualiter motum voluntatis Deus in nobis caussare possit absque praeiudicio libertatis, conati sunt scripturas male exponere dicentes, Deum caussare in nobis velle, & perficere, quia dat nobis virtutem volendi: non autem quod faciat, nos velle hoc, vel illud, sicut Origenes exponit, &c., quibus quidem scripturis resistitur evidenter: dicitur enim* Isaiae 26: *Omnia opera nostra operatus est in nobis*. Et Proverb. 21: *Quocumque voluerim, inclinabo illud: unde non solum virtus volendi est a Deo, sed etiam operatio.* Tandem, ut alia mittam pene innumera, celebris est locus ille 1 2 quaest. 3 artic. 2: *Dicendum, quod Deus non sine nobis nos justificat, quia per motum liberi arbitrii, dum justificamur, Dei justitiae consentimus: ille tamen non est caussa Gratiae, sed effectus: unde tota operatio pertinet ad Gratiam*: ergo ex s. Thoma reiicienda est Gratia congrua, quia efficax est duntaxat per consensum creaturae.

§. III.

Proferuntur exempla, quae pro Gratia per se efficaci scriptura, & traditio commemorant.

188 Evincitur eadem sententia ab exemplis. Et quidem I fatentur Catholici omnes orbis conversionem ad Christi fidem Abrahae promissam Genes. 17, commendatam ab Apostolo Rom. 4 fuisse divinae omnipotentiae effectum, ut fuse ostendit Augustinus de praedestin. Sanctorum *cap.* 10, & auctor libri de vocatione gentium *lib.* 2 *cap.* 15; aliunde certum est, huiusmodi conversionem per Gratiam efficacem peractam fuisse, ut probat Augustinus *lib.* 1 operis imperfecti contra Julianum *cap.* 141: ergo illius Gratiae efficacia tota repetenda est a Dei omnipotentia, ut innuit Apostolus 1 Cor. 2, inquiens: *Ut fides nostra esset in virtute Dei, non in sapientia hominum*: ergo non ex consensu creaturae, ut diserte ostendit Augustinus *cap. laud. lib.* de praedest. Sanctorum; atqui idem videtur esse dicendum de conversione alicuius peccatoris, ac de conversione universi relate ad Deum; unde utraque dicitur effectus omnipotentiae tum a regio Psalte, sic de propria conversione pronunciante: *Dixi, nunc coepi: haec mutatio dexterae Excelsi*; tum ab Ecclesia in oratione Dominicae X post Pentecosten: *Deus, qui potentiam tuam parcendo maxime, & miserando manifestas*; tum ex iis scripturae locis, ubi Gratia conversionis dicitur *creans*; ut *psal.* 103, *psal.* 50, Galat. 6, & alibi passim; atque adeo perfecte creans, ut maior sit ipsius activitas, quam actionis universi creatricis, ut sentit Augustinus *tract.* 72 in Joannem, atque cum illo universa Patrum traditio: ergo Gratia conversionis cuiusvis peccatoris erit aeque per se efficax, ac Gratia conversionis universi.

189 Exemplum II nobis exhibent sacrae literae, dum comparant Gratiam medicinae sananti, ut Hierem. 17, Marc. 2, & alibi passim. Medicina autem non habet efficaciam ad sanandum ab aegroti consensu, sed a se. Hinc Patrum sententia est, potissimum Gregorii Nazianz. *carm.* 1; Chrysost. expositione in *psal.* 46; Hilarii in Matth. *cap.* 8; Ambrosii *lib.* 4 in Lucam, eodem modo praedicandam esse vim, qua intus per Gratiam sanamur,

ac

ac eam virtutem, qua infirmi a Christo curabantur; ergo &c.

190 Exemplum III pariter exstat in sacris literis, ut Joannis *epist.* 1 *cap.* 3; Ephes. 2, &c., ubi Gratia resuscitans dicitur, ac vivificans; quos certe sensus adoptavit Ecclesia in suis precibus, ut satis constat ex *pag.* 4 & 15 appendicis Liturgiarum conterranei nostri cardin. Bona: ex hoc autem inferunt Patres summam Gratiae efficaciam, ut Irenaeus, Cyrillus Hierosolymit., Macharius, Chrysosthomus, &c. ex Graecis; ex Latinis Ambrosius, Hilarius. Augustinus, &c.; quo autem modo resuscitans sit, & vivificans; quo pacto inde possit argui eiusdem virtus, si, ut vivificet, consensum exspectet creaturae; quae dum praevidetur consensura, jam praevidetur quasi vivens, sese movens ad consensum salutarem, sese denique discernens?

191 Exemplum IV, & quidem praecipuum illud est, quod passim Gratia ex scripturis collata est voluntate resistente, in circumstantiis incongruis, duritiem auferens, trahens consensum. Exempla etiam passim proferuntur Gratiae sufficientis, non conjunctae cum Gratia efficaci in voluntate optime disposita, in congruis circumstantiis nullum habente salutarem consensum: ergo id argumento est, Gratiam non a congruismo, non ab arbitrii consensu esse efficacem, sed ex se ipsa. Si enim esset efficax priori modo in malis circumstantiis dissensum, in bonis consensum traheret. I pars antecedentis constat ex conversione D. Pauli, quam referunt actus Apostolici, atque idem Apostolus singillatim ad Galatas 1. II pars liquet ex lapsu Angelorum, & Protoparentum. I exemplum adducit passim Augustinus, maxime *epist.* ad Vitalem, ut divinae Gratiae efficaciam extollat. II pariter idem Augustinus, aliique Patres adducunt, ut ostendant, Gratiae victrici tribuendum esse, si creatura rationalis non labitur in peccata. Verba Augustini haec sunt *hom.* 23 inter 50: *Ut non consentires* (intellige pravo desiderio) *ego feci . . . nullum est enim peccatum, quod fecit homo, quod non possit facere alter homo, si desit rector, a quo factus est homo.*

§. IV.

Proferuntur argumenta ex Ecclesiae decretis, ac precibus petita.

192 Ecclesiam decretis suis sententiae nostrae invictum robur adjecisse, facile colligitur ex iis, quae proferemus, documentis. Concilium Arausicanum II *can.* 4, 6, & aliis definit, Gratiam operis ad actus salutares requisitam humani arbitrii consensum non exspectare, ut effectum obtineat; sed ipsum consensum in nobis praeparare, & nobiscum operari; atqui id dici nequit, nisi de Gratia per se efficaci, cum Gratia versatilis non inclinet potius ad consensum, quam ad dissensum, & determinationem creaturae exspectet, ut operetur: ergo &c. Verba autem concilii haec sunt: *Si quis, ut a peccato purgemur, nostram voluntatem Deum exspectare contendit; non autem etiam ut purgari velimus per Spiritus sancti infusionem, & operationem in nobis fieri confitetur, resistit Spiritui sancto, per Salomonem dicenti: praeparatur voluntas a Domino: & Apostolo salubriter confitenti, Deum esse, qui operatur in nobis velle, & perficere*; can. 6; *Si quis Gratiae adjutorium humilitati, aut obedientiae humanae subjungit, nec, ut humiles, & obedientes simus, ipsius Gratiae donum esse consentit, resistit Apostolo dicenti: quid habes, quod non accepisti? Et Gratia Dei sum id, quod sum*; can. 4: *Quoties bona agimus, Deus in nobis, atque nobiscum, ut operemur, operatur*; can. 23: *Suam voluntatem homines faciunt, non Dei, quando id agunt, quod Deo displicet; quando autem ita faciunt, quod volunt, ut divinae serviant voluntati, quamvis voluntate agant, quod agunt; illius tamen voluntas est, a quo & praeparatur, & jubetur, quod volunt*. Eadem legas in epistola Alexandri Patriarchae Alexandrini ad Alexandrum Episcopum Constantinopolitanum; in epistola synodica Episcoporum in Sardinia exsulum ad Orientales, & aliis passim conciliis, quae videris apud insigniores Thomistas.

Sed & id nolim omittere, quod caussam nostram admodum juvat ex concilio Tridentino petitum can. 4 sess. 6, ubi inquit: *Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium a Deo motum, & excitatum nihil cooperari Deo excitanti, atque*

atque cooperanti, &c., neque posse dissentire, si velit, anathema sit. Expendamus jam concilii mentem candide, ac sine fuco. Agit hic concilium contra Lutherum, & Calvinum: primus enim *art.* 36 doctrinae suae, alter *lib.* 2 institut. *cap.* 3 §. 10 errabant, aientes, per motionem Gratiae efficacis perimi liberum arbitrium; haec autem motio per ipsos erat ipsa Gratia efficax ab intrinseco: a Gratia enim versatili laedi libertatem nuspiam dixissent haeretici; aliunde motionis nomine intelligebant motionem praeviam, & quidem efficacem; secus si liberum arbitrium sese moveret ad Gratiam, non diceretur a Gratia Dei necessitari per motionem: ergo, dum concilium inquit, arbitrium per Gratiam moveri, & moveri sine libertatis laesione, & admittit Gratiam praemoventem, & Gratiam ab intrinsecis efficacem, quam negabant Novatores: ergo &c. His addes plures Romanae Ecclesiae Pontifices summos, quos supra adpellavimus, tum novissime, & Innocent. XI: a quo feria 5, die 23 novembris, anno 1679 proscriptae sunt hae duae propositiones: *Deus donat nobis omnipotentiam suam, ut ea utamur, sicut aliquis donat alteri librum. Deus nobis subjicit omnipotentiam suam.*

193 Evincitur 2 ex orationibus Ecclesiae, quarum unam, vel alteram brevitatis amore recitabo. Ecclesia in suis orationibus postulat a Deo Gratiam per se efficacem, nativa virtute cor mutantem, quae det ipsam conversionem, non solam potentiam ad eamdem, quae Gratiae congruae, atque indifferenti convenit: ergo cum ex Augustino oratio frequenter ab Ecclesia adhibita sit Gratiae testimonium, erit invictum Gratiae per se efficacis argumentum oratio ab Ecclesia fusa ad ejusdem impetrationem. Antecedens probatur ex iis orationibus, in quibus Ecclesia orat feria 6 in Parasceve: *Ut Deus a Judaeis auferat velamen de cordibus eorum*; Dominica 4 post Pentecosten in secreta Missae: *ut ad se nostras etiam rebelles compellat ire voluntates*; modo ut det, quod jubet, ac proinde consensum; modo ut ex nolentibus faciat volentes; modo ut *jungat nos ipsi efficaciter solius suae Gratiae dono*; ut cum Patribus concilii Toletani IV Clemens VIII Pontifex maximus congregationes de auxiliis auspicatus esse fertur.

§. V.

§. V.

Argumentum producitur ex novitate doctrinae.

194 Quoties in Ecclesiam nova aliqua doctrina invecta est, illico falsitatis suspecta credita semper fuit, ex Tertulliano *lib.* de praescr. *cap.* 31, & Vincentio Lirinensi in commonitorio; atqui systema Molinae ex ipso Ludovico Molina in concordia, loco superius laudato; ex Bellarmino *lib.* 1 de Gratia, & libero arbitrio *cap.* 12, & alibi; aliisque gravissimis eiusdem systematis adsertoribus novum est, atque ante Molinam ignotum: falsitatem igitur suam, vel saltem falsitatis suspicionem sponte prodit.

§. V I.

Rationibus Thelogicis sententia nostra firmatur.

195 Evincitur 1. Si Gratia non sit per se efficax, sed dependens quoad efficaciam vel a consensu creaturae, vel a congruismo circumstantiarum, jam non poterit Deus aliquando sub nullo auxilio hominem aliquem convertere. Hypothesis enim non est impossibilis, quod quis praevideatur nulli auxilio consensurus; atqui id absurdum omnino est, quia contrarium expresse locutionibus scripturarum, & Patrum passim clamantium, neminem posse resistere divinae voluntati, cor hominis esse in ipsius manu, eo vertibile, quo ipse voluerit: tum etiam quia tunc Deus non esset omnipotens, nec spes nostra, qua cuiusvis peccatoris conversionem sperare possumus, fundamentum haberet in divina, qua nititur, omnipotentia: ergo &c. Maior prob. Nullum enim est auxilium, cui, si daretur, non possit praevideri dissensura voluntas creata, cum resistentia praevisa uni auxilio componi possit cum resistentia aliis auxiliis: ergo possibilis est casus juxta adversariorum systema, in quo nequeat Deus creaturam convertere. Ratio enim, cur uni potest resistere voluntas, eadem probat possibilitatem resistendi omnibus.

196 Evincitur 2 multiplici ratiocinio Theologico e sacris, & Ecclesiasticis fontibus hausto. I ex Augustino lib. de corrept. & Grat. cap. 14: *Ita velle, & nolle in nostra est potestate, ut divinam voluntatem non impediat, nec superet potestatem.* Sed per Gratiam versatilem, & indifferentem sub-

subjicitur divina voluntas arbitrii creati consensui: ergo. II ex s. Thoma 1 *p. q.* 2 *art.* 3, quod est in potentia ad actum, nequit reduci ad actum, nisi per aliquid, quod sit in actu, unde probat exsistentiam Dei: atqui per Gratiam excitantem, versatilem, & indifferentem ad consensum, vel dissensum constituitur homo duntaxat in potentia supernaturali ad consensum salutarem, non in consensu actuali: ergo per Gratiam actualem diversam debet constitui in ipso actuali consensu. III ex eodem s. Thoma, licet habeamus dominium nostrorum actuum; illud tamen non habemus sicut primum agens; atqui si negetur Gratia efficax per se, maius habet dominium voluntas creata in suos actus, quam Deus: ergo. IV Fatentur Catholici omnes, gratias, & laudes praecipue Deo esse tribuendas in actibus bonis a nobis elicitis; atqui si Deus Gratiam duntaxat indifferentem offerat, & ut determinatus a creatura concurrat ad actum bonum, eae non videntur potissimum ei deferendae; uti commendationem praecipuam non meretur, qui manum suam scriptori porrigat, ac sub eius directione optimos efformet characteres: tunc enim id laudi tribuetur scriptori, non manui alterius a scriptore determinatae: ergo &c. V efficacia divinae Gratiae per adversarios, tota quanta est, dependet a connexione praescientiae divinae cum consensu creaturae; atqui Gratiae efficacia pendere debet non ab huiusmodi connexione, sed ab ipsius nativa, & intrinseca virtute infallibiliter inferente effectum: ergo. Minor prob., quia ex scriptura, & Patribus superius laudatis Gratiae efficacia talis est, ut ipsi nequeat consequenter, & in sensu composito resisti a creatura; atqui talis efficacia non reducitur ad connexionem praescientiae cum consensu, ut patet: ergo. Tum quia si quis mihi non resistat, quia mea voluntas ipsius arbitrio attemperatur, nemo dicet, huiusmodi non resistentiam a meae voluntatis virtute, ac dominio derivari: ita in re nostra, &c. Tum demum, quia volitio efficax Dei est ipsius actio exsecutiva, sed efficacia divinae voluntatis est a se, non a praescientia: ergo. VI creatura per adversarios potest cuilibet auxilio assentiri, ac proinde sub quovis auxilio sese convertere: ergo poterit a fortiori Deus quavis Gratia efficaci hominem convertere; atqui si ita est, Gratia erit per se efficax, non indifferens, atque a consensu dependens: ergo. VII ex s. Fulgentio lib. de incarnat. & Grat. Christi cap. 17:

Non

Non est nostrum velle credere, Dei autem Gratiae adjuvare (quod est systema Molinae) *sed Gratiae praevenientis est adjuvare, ut nostrum sit velle credere*; atqui Gratia, qua volumus credere, trahens proinde huiusmodi volitionem, est Gratia in sensu a nobis explicata: ergo non est versatilis, & efficax duntaxat, quia volumus. VIII Gratia inferens hominum conversionem ubique apud Patres efficax, victrix, potens, aliisque id genus nominibus designatur; atqui nomina ista perperam eidem tribuuntur, si non sit per se efficax: quaevis enim persuasio, consilium quodvis humanum, cui unus consentiat, alter dissentiat, dici etiam poterit efficacissimum, potentissimum, &c.; tum quia maior tribui debet Gratiae efficacia, quam suggestioni Diabolicae; atqui haec indifferens est, & solum efficax a consensu: ergo illa a nativa virtute efficax erit. Demum, ut omnia breviter complectar, quae Deus promittit, ea per se praestat ex *vers.* 18, *& seqq.*, *cap.* 4 *epist.* ad Rom.; atqui Deus promisit se facturum, ut in praeceptis suis ambularemus, ac vitam sancte transigeremus: ergo bonas illas operationes per Gratiam ea in nobis praestantem exsequitur. IX Gratia ista bonas voluntates in nobis operans non est dependens ab ipso consensu, secus illum non faceret: ergo. Argumentationem hanc hausi ab Augustino lib. de praedest. Sanctorum cap. 10, qui eam sic claudit: *Ipse facit, ut illi faciant; non illi faciunt, ut ipse faciat, quod promisit; alioquin ut Dei promissa compleantur, non in Dei, sed hominum est potestate.* Tandem Deus in sacris literis passim insinuat, a se praestandum in nobis esse, quod praecipit; atqui nobis bonas voluntates saepe praecipit: ergo illas in nobis efficit per Gratiam: ergo &c.

Responsiones ad objecta.

197 Opponitur 1. Passim in sacris literis monemur, ne divinae Gratiae resistamus; atqui huiusmodi monitio inutilis est, si Gratia per se sit efficax, trahens infallibiliter consensum: ergo. Mai. prob. ex iis Apostoli verbis 2 ad Corinth. 6: *Exhortamur, ne in vacuum Gratiam Dei recipiatis*, quibus similia sunt, quae leguntur Apocal. 3: *Sto ad ostium, & pulso, si quis audierit vocem meam, & aperuerit januam, intrabo ad illum*; & alia passim in aliis locis. Ulterius: in iisdem scripturis humani arbitrii indifferentia sape praedicatur, qua Gratiam oblatam vel admit-

mittere, vel respuere pro libitu potest, ut Eccles. 15: *Deus ab initio constituit hominem, & reliquit eum in manu consilii sui: adjecit mandata, & praecepta sua; si volueris mandata servare, conservabunt te: apposui tibi ignem, & aquam, ad quod volueris, porrige manum tuam, &c.*; atqui haec omnia vera sunt in systemate Gratiae versatilis, & indifferentis; non vero ab intrinseco efficacis: ergo. Insuper vulgata sunt scripturae loca, in quibus Gratia effectu suo frustrata dicitur ob voluntatis humanae duritiem; ut Proverb. 1: *Quia vocavi, & renuistis: extendi manum meam, & non fuit, qui aspiceret.* Actor. 7: *Dura cervice, & incircumcisis cordibus, vos semper Spiritui sancto resistitis*; atqui Gratiae per se efficaci voluntas humana nuspiam resistit: ergo. Demum celebre est, ac vulgatum illud Matth. 11, ubi Corozaitis, & Bethsaitis Christus exprobrat, quod poenitentiam non egissent verbis illis: *Vae tibi Corozaim, vae tibi Bethsaida; quia si in Tyro, & Sidone factae fuissent virtutes, quae factae sunt in vobis, olim in cinere, & cilicio poenitentiam egissent.* Unde hoc argumentum conficitur: corripit hic Christus Bethsaitas, eo quod non praestiterint, quod praestitissent Sidonii sub iisdem Gratiae auxiliis; atqui si Gratia sit ab intrinseco efficax, inutilis fuisset huiusmodi correptio: potuissent enim respondere Bethsaitae, quod ideo Sidonii poenitentiam egissent, quia videntes miracula Christi Gratiam habuissent per se efficacem, qua ipsorum poenitentia infallibiliter contigisset; qua quidem Gratia ipsi (intellige Bethsaitae) caruerunt: ergo &c.

Respondetur conc. mai. neg. min. Ad I probationem argumenti dico, eam, aliasque adductas difficultates jam a Pelagianis, vel Semipelagianis objectas fuisse s. Augustino, vel eius discipulis Prospero, Hilario, aliisque, a quibus ad liquidum fuerunt perductae: horum autem responsiones adoptare nulla nobis invidia sit. I itaque difficultatem petitam ab iis scripturae locis, ubi prohibet Deus, ne ipsius Gratiae resistamus, promoverunt olim Pelagiani, ut constat ex Augustino *lib.* 2 contra duas epistolas Pelagianorum *cap.* 10, & *lib.* de Gratia, & libero arbitrio *cap.* 16. Respondebat autem hoc modo egregius Gratiae vindex cap. 8 lib. laud. contra epist. Pelagian., & cap. cit. lib. de Grat. & libero arbitrio, quod quemadmodum Apocal. 3 dicitur: *Ego sto ad ostium, & pulso; si quis aperuerit, &c.* Ita 1 Cor. 16 legimus: *Ostium*

Ostium mihi apertum est magnum (intellige in Domino) & ad Colosf. 4: *Orantes, ut Deus aperiat nobis ostium.* Et Isaiae 50: *Deus aperuit mihi aurem.* Comparationem hanc urget Augustinus lib. de praedestin. Sanctorum cap. 20, sicut dicitur 2 Cor. 6: *Hortamur vos, ne in vacuum, &c.* Ita de se ipso sic scribit Apostolus 1 Cor. 15: *Gratia Dei sum id, quod sum: & Gratia eius in me vacua non fuit; sed plus omnibus laboravi.* Fuit igitur ex Christi Gratia, quod in ipso vacua ipsa non fuerit, quod plus omnibus laboraverit. Ex Augustino itaque certum est, quod etsi moneamur a Deo, ne eius Gratiae resistamus; ipsa tamen non resistentia a Deo est, *qui facit, ut velimus:* sunt verba Augustini, *ut faciamus, ut in ipsius justificationibus ambulemus;* & quemadmodum ipse jubet, ut credamus: *nisi quis crediderit, &c.;* ut poenitentiam agamus: *poenitentiam agite, &c.;* ut bonis operibus inserviamus: *satagite, ut per bona opera, &c.;* & tamen omnia haec sunt Gratiae dona, cum nemo fidem habere possit, nisi Deo trahente: *Nemo venire potest ad me, nisi Pater meus traxerit eum. Postquam convertisti me, egi poenitentiam. Creati in Jesu Christo in operibus bonis, quae praeparavit Deus, ut in illis ambulemus:* ita quamvis moneamur, ne Gratiae Dei resistamus; ipsa tamen non resistentia est Gratiae per se efficacis effectus, quae juxta phrasim scripturarum, ut jam diximus, cor circumcidit, emollit, immutat, atque in affectum contrarium convertit.

Ad II difficultatis caput jam a Pelagianis adductum apud Augustinum lib de spirit. & litera cap. 30 respondet idem s. Pater cap. 16 lib. de Grat. & libero arbitrio: *Ipse, qui dixit, si volueris, servabis mandata,* in eodem *lib. Ecclesiastici aliquanto post dixit: quis dabit in ore meo custodiam? . . . . . ne forte cadam a Deo, & lingua mea perdat me. Jam certe mandata acceperat: cohibe linguam tuam a malo . . . . . Cum ergo verum sit, quod dicit: si volueris, servabis mandata: quare quaerit in ore suo custodiam? Si haec ei diceremus, responderet: ex ista mea oratione, qua hoc a Deo peto, intelligite, quomodo dixerit: si volueris, servabis. Certum est enim nos servare mandata, si volumus: sed quia praeparatur voluntas a Domino, ab illo petendum est, ut tantum velimus, quantum sufficit, ut volendo faciamus.* Responsionem hanc adoptavit, suamque fecit s. Thomas *lib.* 3 contra gentes, *cap.* 9. Itaque libenter damus, voluntatem humanam liberam esse; sed huiusmodi

modi libertatis bonum, ac salutarem usum a Gratia per se efficaci derivari contendimus, quae humanae libertatis complementum est, ac perfectio: quo enim voluntas creata Deo est *subjectior*, eo est liberior, ut ait passim Augustinus.

Ad III difficultatem facilis est responsio, ibidem innui Gratiam, sufficientem, seu possibilitatis, cui humanum resistit arbitrium, & quam Thomistae omnino distinctam volunt a Gratia operis, seu efficaci: de hac autem infra dicemus.

Ad IV, quae principem locum obtinet inter argumenta adversariorum, I responsio indirecta opponitur de Gratia congrua: potuissent enim Corozaitae respondere Domino increpanti, si nobis fuisset Gratia collata in iis circumstantiis, in quibus fuisset collata Sidoniis, ut isti Gratiae huiusmodi in talibus circumstantiis consensissent, ita & nos. II respondet s. Augustinus lib. de praedest. Sanctorum cap. 6, & cum ipso s. Prosper responsione 8 ad excerpta Genuensium, quod uti Corozaitae eam potuissent adhibere responsionem, ita Sidonii dicere potuissent: *Cur apud ipsos non fecerit Deus mirabilia, quae ipsis profuissent*; quae duo cum ab humana mente non possint adtingi, ob judicii Domini profunditatem, hoc unum scimus, Corozaitas aeque, ac Sidonios potuisse converti, ita respondet s. Prosper post D. Augustinum. III *in forma*. Conc. mai. neg. min., quia ut objurgatio dicenda sit justa, sufficit, ut ea Corozaitae impedimenta Gratiae posuerint, qua fuissent convertendi: quae quidem impedimenta Sidonii non habebant. Responsio haec innititur regula illa Augustini cap. 14 lib. de dono persever., quae vim huius argumenti penitus elidit: *Non erant ergo*, ait s. Doctor, *sic excaecati oculi . . . . Tyriorum, & Sidoniorum, quoniam credidissent, si qualia viderunt isti, signa vidissent; sed nec illis profuit, quod poterant credere, quia praedestinati non erant ab eo, cuius inscrutabilia sunt judicia, nec istis obfuisset*; quod non poterant credere, *si ita praedestinati essent, ut eos caecos vellet Deus illuminare.* Igitur auxilia sufficientia aeque fuerunt collata Corozaitis, & Sidoniis: at malus usus auxiliorum sufficientium in primis fuit ab ipsorum arbitrio; conversio autem in Sidoniis fuisset a Gratia per se efficaci, juxta illud Oseae 13: *Perditio tua ex te, Israël, tantummodo in me auxilium tuum.* Quare autem Deus dedisset Sidoniis Gratiam efficacem, non

Co-

Corozaitis; ex parte Dei nulla alia potest caussa assignari, praeter ipsius voluntatem; ex parte autem ipsorum maior in Corozaitis durities, & obstinatio. Ut enim docet s. Thomas 1 contra gentes *cap.* 159, potest quis propria duritia obicem ponere Gratiae immissioni: & si quem Deus, non obstante peccato, ad bonam frugem convertit, alio in peccato relicto, id a sola pendet Numinis voluntate, aliquos liberante ad ostensionem misericordiae suae, alios sustinente vasa ad interitum, ad ostensionem irae suae.

Urgent tamen adversae partis actores illud Isaiae 5: *Quid est, quod debui ultra facere vineae meae, & non feci? an quod exspectavi, ut faceret uvas, & fecit labruscas?* Atqui fallunt haec omnia in systemate Gratiae efficacis ab intrinseco, ut patet: ergo.

Resp. conc. mai. neg. min. Nec enim Deus tenetur Gratiam efficacem conferre: si igitur Judaeis contulit Deus auxilia sufficientia, eis largitus est, quod debebat, ut provisor generalis: quibus auxiliis male usi sunt Judaei ex proprio arbitrio.

198 Opponitur 2. D. Augustinus lib. 1 ad Simplicianum quaest. 2 totus est, ut ostendat, Gratiae efficaciam ab ipsius attemperatione derivari cum humani arbitrii dispositionibus, affectibus, &c. Scribit enim inter alia: *Eorum miseretur, quos ita vocat, quomodo scit iis congruere, ut vocantem non respuant.* Lib. de spirit., & lit. cap. 34 inquit: *Nemo habet in potestate, quid ei veniat in mentem; sed consentire, vel dissentire propriae est voluntatis.* Et lib. 12 de civit. Dei cap. 6: *Si duo aequaliter affecti animo, & corpore videant unius corporis pulcritudinem, qua visa unus ad illicite perfruendum moveatur, alter in voluntate pudica stabilis perseveret, quid putamus esse caussae, ut in illo fiat, in illo non fiat voluntas mala . . . . nisi unum voluisse, alterum noluisse a castitate deficere?* Ergo se pudicus ab impudico discernit per voluntarium consensum Gratiae. Ulterius: Graecorum Patrum sententia est, ex aequo a Deo conferri hominibus Gratias; atque inter istas illis peculiares, seu congruas conferri, qui eisdem consensuri sunt praevisi. Qui de hoc dubitet, legat, si per otium licet, Irenaeum *lib.* 4 *cap.* 48; Clementem Alexandrinum *lib.* 7 stromatum, aliosque. Unde Riccardus Simonius in epistolis suis merito sententiam congruistarum universae Ecclesiae Graecae doctrinam avitam adpellat. Sed nedum

Graeci

Graeci Patres Gratiae per se efficaci infensi sunt, verum etiam & Ambrosius lib. 2 de Abraham cap. 10, & Hieron. dialogo 3 contra Pelagianos, inquiens: *Nostrum esse offerre, quod possumus; Dei implere, quod non possumus;* imo, quod omnes mirentur, ipse D. Thomas: docet enim in 2 sententiarum, voluntatem humanam a principio exteriori ad hunc, vel illum actum non determinari; a Deo non imprimi voluntati aliquid, quo agat; atqui oppositum docetur in hypothesi Gratiae per se efficacis: ergo, &c.

Resp. ad I cum Serry operum *tom.* 5, *pag.* 544, in schola Thomistica vindicata, nullum praesidium duci posse ex libris Augustini ad Simplicianum, cum eos & junior scripserit, & ante subortam haeresim Pelagianam. Ad firmandam autem suam responsionem adducit testimonium card. Bellarmini *lib.* 2 de Grat., & libero arbitr. *cap.* 15 eamdem exceptionem adhibentis verbis Augustini nobis objectis. Ulterius: in eodem loco aperte declarat Augustinus, Gratiam esse congruam non ab humanae voluntatis temperamento, affectu, aliisque circumstantiis; sed ab ipsa Gratia, quae cor transfert a malo in bonum, voluntatem a rebelli docilem reddit, &c. *Quis autem*, ait s. Doctor, *animo amplectitur aliquid, quod eum non delectat? Aut quis habet in potestate, ut vel occurrat, quod eum delectare possit, vel delectet, cum occurrit? Cum ergo ea delectant, quibus proficiamus ad fidem, inspiratur, & praebetur Gratia Dei, non nutu nostro, aut industria, aut operum meritis comparatur; quia, ut sit nutus voluntatis, ille tribuit, ille largitur.* Verba ista adeo liquida sunt, & aperta ad mentem Augustini demonstrandam a *congruismo* prorsus alienam, ut cardin. Toletus (quem fuse exscribit in eadem pagina laudatus Serry) in *cap.* 5 Lucae ista adnotanda merito duxerit: *Quidam Augustino doctrinam de vocatione congrua conantur adscribere propter quaedam verba incerta literaliter intellecta.* Scite autem pro caussa Thomistica horum Cardinalium auctoritatem protulit idem auctor; quia utrique fuerunt societatis Jesu insignes Theologi. Ad II Augustini testimonium respondeo, *consentire, vel dissentire propriae esse voluntatis*, utique per Gratiam efficacem ab intrinseco, si consensus, vel dissensus sint salutares: Gratia enim huiusmodi non tollit libertatem suorum actuum a voluntate. Responsio haec nititur regula illa Augustini lib. de novo cantico cap. 4, & cap. 21 de Grat., & libero arbitrio: *Deo volenti salvum facere nullum humanum*

resistit arbitrium: ita quippe velle, & nolle in volentis, & nolentis est potestate, ut divinam voluntatem non impediat, nec superet potestatem. Quam quidem regulam passim repetit s. Thomas quaest. 3 de malo art. 2 ad 4. 1 contra gentes cap. 18, 1 part. quaest. 105, art. 4 ad 2, & ibidem quaest. 83, art. 1 ad 3, ubi inquit: *Non est de necessitate libertatis, quod voluntas sit prima caussa sui actus, sicut nec ad hoc, quod aliquid sit caussa alterius, requiritur, quod sit prima caussa ipsius: Deus igitur est prima caussa movens caussas naturales, & voluntarias.* Ad III agit ibi potissimum Augustinus de caussa peccati, ut liquet ex ipsius verbis ibidem, *hanc consensionem, quam male suadenti adhibuit, quae in eo res fecerit, quaerimus*: & hanc jure optimo dicit esse malam hominis voluntatem. Dum autem incidenter ait, *perseverantiam in bono* in altero fuisse ab ipsius voluntate, non excludit Gratiam praeviam efficacem: libro enim de praedestin. Sanctorum cap. 6 docet, alios credere, alios non; illos, quia volunt, istos quia nolunt; sed *in illis praeparari voluntatem a Domino*; & ibid. cap. 20: *Cum Deus vult fieri, quod nonnisi volentibus hominibus oportet fieri, inclinat eorum corda, & mirabili modo operatur in illis & velle.*

Ad Patres Graecos quod adtinet, dico I, ab eisdem praecipue mutuandam non esse doctrinam in Gratiae quaestionibus evolvendis: hi enim cum ante haereses Pelagianam, & Semipelagianam scripserint, minus accurate locuti sunt; ita respondebat Augustinus Juliano Chrysostomi auctoritatem opponenti, lib. 1 cap. 6 contra eumdem Julianum: *Vobis nondum litigantibus securius loquebatur.* Sic male nonnullos Patres Ante-nicaenos quis adduceret ad negandam Verbi divinitatem, cum, nondum exorto Arianismo, plures ex ipsis *specie tenus* de Verbi divinitate nonnulla minus caute pronunciaverint, ut constat legenti Dionysium Petavium in *tract.* de Incarnatione. II, ut notat Augustinus *lib.* de praedestin. Sanctorum *cap.* 14, perfunctorie materiem hanc adtigerunt veteres Patres; sed hoc non obstante a nativa Gratiae efficacia sese alienos non prodiderunt, ut liquet ex ipsorum testimoniis adductis in probationibus, & ex ipso Augustino, quem in hoc *tract.*, quoad hoc speciatim laudavimus; tum etiam ex iis, quae diximus in fidei Catholicae vindiciis contra Semipelagianos. Hinc, ut ad institutum accedamus, dum Graeci Patres Molinismo favere videntur,

in-

intelligendi sunt hoc sensu, quod Deus per Gratiam liberum arbitrium non laedat, contra ac sentirent Manichaei, quibuscum rem agebant, qui omnia fato necessitatem inducente contingere adfirmabant. Gratiam itaque Deus ex aequo omnibus confert; sed sufficientem, non efficacem: congruam etiam aliquibus largitur sensu superius explicato juxta doctrinam Augustini; praeviso consensu creaturae: idest Gratiam efficacem Deus confert, sciens, creaturam libere, esto, infallibiliter eidem consensuram, cum Deus, ut diximus in probationibus, velit actum salutarem a creatura infallibiliter, sed libere ponendum. Relegantur testimonia D. Thomae in hac re ibidem adducta. Ambrosius autem, & Hieronymus intelligi debent in hoc sensu, quod Deus Gratias plurimas orationibus nostris alligavit; hae autem orationes nonnisi Gratia efficaci praeveniente funduntur: ideo enim a Deo rogamus, ut donum nobis orationis concedat. Quod si secus intelligas Patres laudatos, vix poteris ab ipsis Semipelagianismi notam depellere.

Reliquum nunc est, ut praeceptoris Angelici mentem explicemus. Duo igitur fidenter adfirmo, adversarios fucum incautis facere, dum censent, Gratiae indifferenti ipsum favere. Docet itaque s. Doctor in 2 sententiarum *dist.* 39 *quaest.* 1 *art.* 1, humanam voluntatem ab exteriori principio non moveri; sed loquitur de principio creato. Nam *dist.* 37 docuerat, ipsam determinari ad hunc, vel illum actum *a Deo*; quod repetit quaest. 6 de malo, art. unico ad 17, ubi inquit: *Voluntas, dum de novo incipit eligere, transmutatur, in quantum erat eligens in potentia, & postea fit eligens in actu; & haec transmutatio est a movente, in quantum se voluntas movet, & movetur ab aliquo exteriori, scilicet Deo*. Similia habet 3 contra gentes *cap.* 17, 1 *parte quaest.* 19 *art.* 3 ad 5, & *quaest.* 23 *art.* 1. Patres aliquos physicae praemotioni specie tenus contrarios sic explicat, ab iis nempe negari praeviam motionem determinantem necessario per modum naturae, non quae applicat voluntatem, ut libere se determinet. Hinc quando vult, hominem sine novo influxu ad agendum supernaturaliter moveri, negat duntaxat habitum novum voluntati immissum; censens interim moveri per actionem praeviam transeuntem, ut constat ex *quaest.* 3 de potentia *art.* 7, & hic *quaest.* 109 *art.* 2. Quod si quis adhuc importune obiiceret, s. Thomam hic *quaest.* 9, *art.* 2

 ad

ad 3 docere, hominem moveri duntaxat a Deo ad bonum in communi; non autem in particulari, facilis responsio est, hic ab adversariis imponi: ibidem enim subdit s. Doctor: *Specialiter Deus movet aliquos ad aliquid determinate volendum, quod est bonum, sicut in his, quos movet per Gratiam.* Nunc jam ad praecipuam difficultatem evolvendam accedamus. Quare.

199 Opponitur 3. Gratiam illam nequeunt Theologi defendere, quae humanam libertatem ab imo suffodit; atqui talis est Gratia per se efficax: ergo. Minor probatur. Humana voluntas dici nequit libera, dum ita agit, ut non habeat non agendi potestatem; atqui voluntas sub Gratiae per se efficacis motione ita agit, ut careat non agendi potentia; cum Gratia efficax intimum cum voluntatis assensu ex sua natura nexum habeat: ergo aeque est impossibile non sequi voluntatis assensum, quam rem natura sua exui: igitur huic Gratiae resisti nequit: ab hac igitur libertas creata omnino premitur.

Resp. 1, non levis solatii nobis loco esse, quod iisdem omnino telis impetatur doctrina nostra, ac doctrina Augustini: argumentum enim mox adductum illud est idem, quo adversus Augustinum errorem proprium semper vindicarunt Pelagiani, & Semipelagiani: illi quidem apud eumdem Augustinum *lib.* 1 contra duas epistolas Pelagianorum *cap.* 2; isti apud D. Prosperum in literis ad Augustinum. Unde sic in causae nostrae patrocinium argumentamur. Doctrina Augustini circa Gratiam eam *in Pelagianis*, ac Semipelagianis invidiam concitavit, ut *ipse* palam fuerit traductus tamquam libertatis creatae destructor: ergo cum sola Gratia efficax ab intrinseco talis sit, de qua possit dubitari, an sub ipsius motione indemnis subsistat libertas creata, hanc solam ab Augustino constanter fuisse propugnatam, dicendum est. Dixi *constanter propugnatam*: nam nuspiam Augustinus suum Gratiae systema temperavit; sed semper ad divinam omnipotentiam confugit, ut ab ipsa arbitrium creatum perfici, non destrui demonstraret, ut liquet legenti *cap.* 95 Enchiridii.

Resp. 2, ex huiusmodi difficultate aperte constare, quam nostra sententia ab omnibus erroribus sit aliena; vel potius quinam ab haereticorum commentis sint magis remoti, Thomistae ne, an adversarii? Pelagianis familiare erat hoc argumentum: *Gratia, quam praedicat Augustinus, nequit cum arbitrii libertate componi*; atqui admitti

mitti debet libertas arbitrii: ergo reiicienda est illa Gratia. Ex adverso Lutherani, Calvinistae, & si qui eorum errores instaurarunt, ita arguunt: Gratia per se efficax tolit arbitrium; atqui admittenda est Gratia per se efficax: ergo negari debet arbitrium. Videant nunc aequi rerum aestimatores, utra ex duabus sententiis a principiis Novatorum magis aliena sit, ac remota: cum prima Gratiam Augustini admittat cum libertate; secunda priorem neget. Dum autem dicimus, libertatem cum Gratia per se efficaci optime conciliari, non ii sumus, qui id clare intelligi sentiamus. Abditum id fuit Augustino, & Thomae; nobis pariter ignotum est. In mysteriis exsistentiam demonstrat Theologus; de modo autem *exsistentiae* sollicitus non est. Sic credimus humanitatem Christi ad omnes sui actiones a Verbo applicatam; credimus Christi impeccabilitatem, qua non poterat non implere praeceptum: tandem donum confirmationis in Gratia collatum Deiparae, & Apostolis post Spiritus sancti illapsum; atqui tamen haec omnia cum Christi, aliorumque merito, ac proinde cum libertate cohaerent; quin tamen modus, quo huiusmodi conciliatio absolvitur, innotescat: ergo. Quare merito proscripta est a Xysto IV haec Rivii propositio: *Quidquid per necessariam consequentiam sequitur ex inimpedibili, inimpedibile est.*

Resp. 3 directe conc. mai. neg. mai. cum Augustino; qui lib. de spirit., & liter. cap. 30, inquit: *Liberum arbitrium per Gratiam magis statuimus: sicut non lex per fidem; ita liberum arbitrium per Gratiam non evacuatur . . . . qua Gratia sanat voluntatem; qua justitia libere diligitur. Lex enim dicit: non concupisces; fides dicit: sana animam meam quia peccavi tibi. Gratia dicit: ecce sanus factus es; noli peccare; sanitas dicit: Domine Deus sanasti me; liberum arbitrium dicit: voluntarie sacrificabo tibi . . . . Si autem sunt liberati, quid gloriantur? &c. An ita sunt liberi, ut nec illum velint habere Dominum, qui ei dixit: sine me nihil potestis facere: etsi vos filius liberaverit, vere liberi estis?* Eamdem min. negat D. Thomas, qui cum eamdem difficultatem sibi obiecisset hic, nempe 1 2 *quaest.* 10 *art.* 4 respondet, voluntatem divinam non tollere libertatem; quia & vult, opus ab homine infallibiliter fieri, & fieri libere: negant eamdem minorem auctores cathechismi concilii Tridentini, qui palam Gratiam de se efficacem defendunt, qui non omnes fuerunt (ut opinantur

 non-

nonnulli) e Dominicanorum familia: provincia enim huiusmodi a Pio IV, & Patribus concilii mandata etiam fuerat Medinae Minoritae, Seripando cardinali Augustiniano, Petro Galesino, &c., confirmantibus doctrinam in eo contentam, nedum Pio V, sed Gregorio XIII, aliisque Pontificibus: quae quidem doctrina propugnata fuit in concilio, a quo damnati sunt haeretici ab eadem inferentes arbitrii libertatis laesionem. Hinc ad probationem minoris, conc. mai. distin. min. Homo sub Gratiae efficacis motione ita agit, ut non habeat non agendi potestatem in sensu composito. Conc. min. In sensu diviso. Nego min., & conseq. Haec est celebris illa distinctio, quam quia male intelligunt adversarii, ut ineptam carpunt, & tamquam recens Thomistarum commentum sugillant. Sed in hoc oppido falluntur. Distinctio enim huiusmodi nova non est; sed ipso XII Christiani nominis seculo inter sacrae doctrinae magistros jam vulgata. Constat hoc legenti Hugonem Victorinum quaest. 218 *in* epist. ad Romanos, ubi sibi hanc proponit difficultatem solvendam: *Si Deus praescivit aliquid futurum, illud non potest non evenire, etsi hoc est, necessario eveniet quidquid Deus praescivit.* Cui sic e vestigio respondet: *Haec, & similia possunt per conjunctionem, & distinctionem exponi. Sensus conjunctionis hic est: si Deus praevidit, necesse est evenire; idest, non potest simul esse utrumque, ut Deus praevideat, & non eveniat, & sic est verum. Disjunctionis sensus hic est, hoc futurum non potest aliter evenire, quam eo modo, quo evenit, & quam sit praevisum; & hoc est falsum.* Eodem sensu eamdem distinctionem adhibuit Magister sententiarum *lib.* 1, *dist.* 38; ac post ipsum s. Thomas *quaest.* 6 de veritate, *art.* 8 ad 8; & *quaest.* 23, *art.* 5 ad 3; & alibi passim.

Huius autem distinctionis sensum ubi quis noverit, eam optime a Thomistis adhiberi facile intelliget. Quando duo secum invicem non pugnant, ut *videre*, & *ambulare*; tunc ista dicuntur esse, ac fieri posse in sensu composito. Quando autem duo secum pugnant, ut *quiescere*, & *moveri*; tunc ea fieri possunt a facultate libera in sensu diviso, non in sensu composito; idest, ea simul ponere nequit; sed dum unum praestat, aliud simpliciter potest ponere. Sic dum quiesco, etsi componere simul nequeam quietem cum motu; possum tamen simpliciter me loco movere: quare potentiam habeo ad motum in sensu diviso,

viso, non in sensu composito. In re nostra homo sub Gratiae per se efficacis motione ad actum amoris nequit in sensu composito non amare; quia nequit simul componere cum huiusmodi Gratia negationem amoris; at potest in sensu diviso: dum enim movetur per Gratiam ad *Dei* amorem, retinet simpliciter potentiam ad non amandum. Ideo autem, dum movetur ad amorem, non habet potentiam ad non amorem in sensu composito; quia cum Gratia sit per se efficax, infallibiliter trahit actum amoris: ubi autem quis actu amat, nequit simul componere negationem amoris.

Urgent tamen adversarii: homo Gratia per se efficaci praemotus ad amorem nequit in sensu composito abstinere ab amore: ergo non est liber. Prob. conseq. Ille determinatur ad amorem; non vero se determinat: ergo non est liber. Resp., conc. antec, neg. conseq., ad cuius probationem neg. antec., & explico modum huiusce determinationis. Attentos lectores duntaxat opto. Deus ex D. Thoma saepe laudato voluntatem habet efficacissimam: hinc quae vult fieri, ne dum eveniunt; sed eveniunt eo modo, quo ipse vult. Porro dum vult a creatura libera aliquid libere praestari, hoc ipsum creatura libera praestat, & praestat libere. Homo igitur Gratia per se efficaci ad actum caritatis praemotus ita determinatur, ut & actus amoris infallibiliter sequatur, & modus libertatis huiusmodi actum comitetur. Non enim simpliciter passive determinatur; sed ipsius voluntas ad suammet determinationem applicatur, aiente Augustino: *Qui sunt filii Dei, aguntur a spiritu Dei, non ut nihil agant, sed ut bene, meritorie agant, ac proinde libere.* Applicatur autem hoc modo, quia prius applicat intellectum ad judicium practicum indifferens, quo repraesentatur voluntati actus amoris, ut bonus, & simul ut aliquo modo a natura corrupta *respuibilis*, puta, quia oppositus concupiscentiae. Hac posita judicii indifferentia, voluntas, agente Gratia, libere eligit Dei amorem; retinens ad oppositum potentiam in sensu diviso; ac proinde veram libertatem: cum enim eo modo se habeat vis electiva in voluntate, uti vis judicandi in intellectu indifferens est, eiusque ductus practicus indifferens; vis pariter electiva in voluntate libera erit. Quare homo sub Gratiae efficacis motione ad amoris actum, amat, quia vult amare, sibi conscius a se Deum dilectum non iri, si nollet; quia actus unius potentiae

 non

non destruit potentiam oppositam: breviter ita agit, uti ageret, si sua sponte ad actum amoris Dei determinaretur. Uti enim tunc sub judicio practico indifferenti sese ad amorem Dei determinaret, retinens potentiam ad non amandum in sensu diviso, atque huiusce rei intimam conscientiam, sensum intimum haberet; ita cum Deus magis habeat *in propria potestate voluntates hominum, quam ipsi suas* juxta phrasim Augustini; potest ita hominem ad actum amoris applicare, ut ita sub Gratiae motione ad huiusmodi amorem se determinet, uti se determinaret, si sponte sua, suoque nutu ad Dei amorem se ipsum applicaret: & quemadmodum amor iste liber esset; ita & ille. Rem hanc maiori, qua licuit, claritate exposui, ut nihil in ea captu difficile occurreret. Unum moneo, omnes difficultates, quae ex laesa libertate deduci solent, eas contra adversarios regeri posse: aeque enim non potest homo Gratiae congruae dissentiri, uti nequit Gratiae per se efficaci: in utraque enim hypothesi retinet simultatem potentiae, non potentiam simultatis.

Si quae alia in hac re supersint ad liquidum deducenda, facili negotio possunt expediri, si negetur, omnem suppositionem antecedentem tollere libertatem: ea enim suppositio antecedens tollit libertatem, qua tollitur potestas ad oppositum: huiusmodi est, qua determinamur ad amorem boni in communi. Non possumus enim etiam in sensu diviso bonum non amare: suppositio autem antecedens, qua per Gratiam ad actus salutares determinamur, relinquit potentiam ad oppositum, ac proinde trahit infallibiliter actum, sed liberum. Doctrina haec mea non est, sed s. Anselmi lib. de concordia cap. 3, ubi inquit: *Quoniam, quod Deus vult, non potest non esse; si Deus vult, voluntatem humanam nulla cogi, vel prohiberi necessitate ad volendum, vel non volendum, & vult effectum sequi; tunc necesse est, voluntatem esse liberam, & esse, quod vult.* Ulterius: si quis diceret, potestatem illam in homine superstitem cum Gratiae motione esse chimaericam, quia impossibile est, eam ad actum reduci cum Gratiae motione, ex eo falsitatis convincitur, quod etiam chimaerica dicenda erit potentia in Deo ad alium mundum creandum; quia cum decreto de alio mundo non condendo nequit ad actum reduci.

Verum dictis non acquiescunt Molinistae: aiunt enim, a Tridentino suffugium omne Thomistis occludi can. 4, sess.

sess. 6; ubi docet, *liberum hominis arbitrium a Deo motum, & excitatum posse dissentire, si velit*: ergo nedum in sensu diviso, sed etiam in sensu composito admittenda est potentia ad oppositum sub Gratiae per se efficacis motione. Verum hoc esse telum jamdudum rubigine exesum, inde probant nonnulli Thomistae, quod ibi velint, loqui concilium de Gratia excitante, ac proinde, in sensu Thomistarum, sufficienti; quam quidem in *parte I dogmatica* contra Jansenium pluribus scripturarum documentis vindicavimus. Gratia autem efficax nedum excitat; sed facit, ut faciamus, juxta phrasim Augustini, indeclinabiliter agens hominem ad actus salutares, eiusque voluntati vires efficacissimas tribuens. Sed demus adversariis, loqui ibidem Concilium de Gratia efficaci; an inde inferri potest, ab eodem definiri, quod potentia ad dissensum intelligenda sit in sensu composito; non vero in sensu diviso? Minime gentium. Edocti fuerant Patres Tridentini a s. Augustino cap. 8, lib. de praedest. Sanctorum, Gratiam occulte humanis cordibus immissam *a nullo corde respui*: ideo quippe tribuitur, *ut cordis duritia primitus auferatur*; quod quidem hauserat Augustinus ex iis scripturarum locutionibus: *Nemo est, qui tuae possit resistere voluntati. Voluntati eius quis resistit?* Quis igitur sibi persuasum habeat, voluisse Patres Tridentinos, componi posse cum Gratia efficaci actualem dissensum? Id ergo duntaxat voluerunt, cum Gratia efficaci stare potentiam ad *dissensum* absolute, & simpliciter; ac proinde in sensu diviso: quatenus non necessario, sed libere homines eidem Gratiae consentiunt; quod unum negabant Novatores, quibus anathema dicit hoc canone synodus Tridentina. Unde conc. anteced., negatur consequentia.

Insistunt tamen: Gratia per se efficax non est in nostra potestate, ut conferatur, nec ut collata de facto abjiciatur: ergo semper ab ea humanum laeditur arbitrium. Prob. conseq. Ab huiusmodi Gratia laeditur arbitrium, si ab ipsa ita antecedenter determinatur voluntas ad unum, ut nequeat huiusmodi motionem expellere, nec ipsius effectum de facto impedire; atqui talis est humana voluntas sub Gratiae efficacis motione: ergo. Resp., hoc argumentum sibi etiam opponi a s. Thoma 1 part. quaest. 19, art. 8 in 3, ad quod sic respondet: *Ad 3 dicendum, quod posteriora habent necessitatem a priori-*

bus,

bus, *secundum modum priorum*: undè & ea, quaè fiunt a voluntate divina, talem necessitatem habent, qualem Deus vult illa habere, scilicet vel absolutam, vel conditionalem, idest, si Deus vult hoc esse, erit, sed quomodo? *Eo modo* (ut dixerat ibidem s. Thomas ad 2.), *quo Deus vult*: *erit proinde necessario*, *si Deus vult fieri necessario*; *libere*, *si Deus velit fieri contingenter*. Hinc in forma, conc. antec., negatur conseq., ad cuius probationem distinguo maiorem. Si ita voluntas ad unum determinatur, ut determinetur ad substantiam actus duntaxat, non ad modum. Conc. mai. secus neg. mai., & hoc modo distincta min. ut saepe diximus in hac quaestione, nego conseq. Licet enim Gratia applicans hominem ad actum salutarem sit *inacquiribilis*, *inabjicibilis* ab eodem: actus tamen ille salutaris est sub hominis dominio; quia potest illum simpliciter non ponere; quia elicitus sub judicio indifferenti; quia demum non omne sequens ex inimpedibili est inimpedibile, quod centies ad fastidium diximus in superioribus. Quorum omnium haec ratio est saepe a D. Thoma 1 *part. quaest.* 14, *art.* 13 ad 1, & alibi repetita, quod contingentia desumi debet a caussa proxima actus, non a prima caussa: quae licet necessario requiratur; praestat tamen, ut effectus infallibiliter ponendus a caussa proxima libera ponatur libere.

200 Opponitur ultimo: admissa Gratia efficaci *ab intrinseco*, poterit peccator sese excusare, dum peccat, aiendo: ideo peccavi; quia carui Gratia per se efficaci, *qua* peccatum vitassem. Ulterius: Deus erit personarum *acceptor*, uni Gratiam ex se efficacem conferendo, alteri non item. Insuper: si per Thomistas Gratia per se efficax requiritur ad actum salutarem, is, cui negatur haec Gratia, caret requisito ad huiusmodi actum: ergo qui caret huiusmodi Gratia, & aliunde praecepto obligatur, tenetur ad impossibile. Demum Deus erit auctor peccati: negat enim Gratiam, qua quis caveret peccatum.

Resp., haec omnia capita jampridem D. Augustino objecta fuisse a Pelagianis, & Semipelagianis, ut liquet ex libris s. Doctoris de Grat., & libero arbitrio, de corrept., & Grat., de praedestin. Sanctorum, de dono persever., & potissimum ex eius epistolis ad Xystum, & ad Vitalem ad huiusmodi difficultates solvendas apposite conscriptis. II haec eadem in ipsos adversarios regeri posse inde liquet, quod si desit Gratia congrua; nemo actum salu-

salutarem eliciet; qui peccat, poterit etiam eiusdem Gratiae defectui lapsum suum adscribere; Deum ut personarum acceptorem traducere, qui Gratiam congruam Titio conferat, Paulo neget. Directe

Resp. ad I negando assumtum cum sanctis Augustino, & Thoma. Istorum enim sententia est, nemini in hoc rerum statu Gratiam ab intrinsecis suis efficacem denegari, nisi in poenam praecedentis peccati vel actualis, vel originalis: unde hominem semper in caussa esse, cur huiusmodi beneficio careat, nec locum ullum eidem superesse excusationi, quando peccat. *Quaerimus*, inquit Augustinus epistola 105, *meritum obdurationis, & invenimus. Merito namque peccati universa massa damnata est, nec obdurat Deus impertiendo malitiam, sed non impertiendo misericordiam. Quibus autem non impertitur, nec digni sunt, nec merentur, imo ut non impertiatur, aut digni sunt, aut merentur*; tum lib. 2 de peccat. meritis, & remiss. cap. 14: *Nolunt homines facere, quod bonum est, sive quia latet, an bonum sit, sive quia non delectat: ut autem innotescat, quod latebat, & suave sit, quod non delectat, Gratiae Dei est, quae hominum adjuvat voluntates: qua ut non adjuventur, itidem in ipsis est caussa, & non in Deo.* Quod totum suum fecit s. Thomas hic, nempe 1 2 quaest. 2 art. 5 ad 1, ubi ait: *Quod quidem auxilium, quibuscumque datur, misericorditer datur: quibus autem non datur, ex justitia non datur, in poenam praecedentis peccati, vel saltem originalis, ut ait Augustinus* (*quod quidem originale in renatis; & justificatis, quantumcumque sit sanatum quantum ad mentem; manet tamen ex infirmitate quantum ad carnem*; ut ait idem s. Doctor in 2 sentent. dist. 31). Scio doctrinam hanc inde aliquibus videri difficilem, quod primi Parentes, ac Angeli lapsi huiusmodi Gratia caruerunt, quin ullum in eis praecederet peccati demeritum: ast, qui doctrinam non probant, facile convinci possunt exemplo Thomistis familiari, occlusionis fenestrae contra solem. Huiusmodi enim occlusio, esto, tempore non praecedat privationem lucis in cubiculo; praecedit tamen in genere caussae materialis; sic, aiunt ipsi, quamvis in malis Angelis, & Proto-parentibus mala ipsorum voluntas denegationem Gratiae per se efficacis tempore non praecesserit; praecessit tamen in linea caussae materialis, & ad Gratiae efficacis carentiam disposuit: quatenus eodem instanti, quo collata non fuit Gratia perse-

perseverantiae Angelis, & primis Parentibus, sese ipsi voluntarie a summo bono avertentes obicem Gratiae posuerunt. Quod si id minus Theologice dictum hominibus delicatioribus videatur, excipiant hoc aliud responsum aequis omnibus probandum. *Quamvis voluntate Dei stet* (ita scribit August. cap. 8 de dono persever.) *qui stat*; *voluntate tamen sua cadit*, *qui cadit*; juxta illud Oseae 13: *Perditio tua ex te*, *Israël*; *tantummodo in me auxilium tuum.* Corrupta igitur, vel saltem defectibilis natura in caussa est peccati, non Gratiae negatio, & potissimum pro Angelis malis, & Adamo defectibilitas, qua saltem *digni non erant*, *nec merebantur* (ut idem supra relatus inquit), *ut Gratia victrix conferretur*; tum cap. 3 lib. de corrept. & Gratia: *Apostolus praecipit*, *ut habeatur caritas*: *orat Apostolus*, *ut habeatur caritas*: *o homo*, *in praeceptione cognosce*, *quid debeas habere*; *in correctione cognosce*, *tuo te vitio non habere*; *in oratione cognosce*, *unde accipias*, *quod vis habere.* Si autem nec ista Molinistarum scrupulos depellat Augustini responsio, adeant s. Doctorem lib. 2 de Genesi ad literam cap. 10, ubi inquit: *Potuisset Deus etiam malorum Angelorum voluntatem in bonum convertere*; *quia omnipotens est*: *potuisset plane*; *cur ergo non fecit*? *Quia noluit*: *cur noluerit*, *penes ipsum est. Gratia est indebita*; *propterea homo non redditur inexcusabilis.*

Ad II dico, praeoccupatum idipsum jam fuisse ab Apostolo Rom. 9, uti in *tract.* de praedest. pluribus ostendimus. Diximus enim ibidem, sibi ab Apostolo hanc eamdem adversariorum difficultatem opponi iis verbis: *Dicis itaque mihi*, *quid adhuc queritur*? idest, si, prout vult, miseretur, aut indurat; si voluntati eius non est, qui resistat, cur conqueritur Deus, dum homo peccat? Cui difficultati respondet: *quid ergo dicemus*, *numquid iniquitas apud Deum*? seu numquid Deus dicendus est personarum acceptor? *Absit. O homo*, *tu quis es*, *qui respondeas Deo*? Directe negatur assumtum; quia, ut docet Augustinus cap. 8 de dono persever., ibi nulla est personarum acceptio, ubi donum est indebitum, ac mere gratuitum. Verba s. Doctoris haec sunt: *Qui liberatur*, *Gratiam diligat*; *qui non liberatur*, *debitum agnoscat. Si in remittendo debitum bonitas*, *in exigendo justitia intelligitur*, *nusquam esse apud Deum iniquitas invenitur. Hinc ei*, *qui liberatur*, *dicere recte potest Deus*: *quia volo*; *ei vero*, *qui damnatur*: *tolle*, *quod tuum est*, *& vade.*

Ad

Ad III resp. cum D. Augustino *lib.* 2 de peccatorum meritis, & remiss. *cap.* 17; necnon cum D. Thoma 3 contra gentes *cap.* 59, & *lect.* 1 in *cap.* 2 1 ad Timoth. resp., inquam, disting. anteced. Caret voluntarie huiusmodi requisito. Conc. antec. Involuntarie. Nego antec., & conseq. Cuius falsitatem pluribus probant rigidiores Thomistae, potissimum auctor congregationum de auxiliis in additionibus. Vel sic eius consequens distingue: ergo tenetur ad *impossibile* voluntarium; ac proinde non excusans a peccato. Conc. Involuntarium. Nego conseq. Verba Augustini ista sunt: *Cum, Gratia adjuvante divina, sine peccato in hac vita possit homo esse; cur non sit, possem facillime respondere: quia homines nolunt; sed si ex me quaeritur, quare nolint, imus in longum . . . ut non adjuventur Gratia, in ipsis caussa est, non in Deo.* Gratia sufficiens in sensu Thomistarum non dat ipsam actionem salutarem; sed petit conjungi cum Gratia efficaci trahente huiusmodi actionem, cum qua si non conjungitur, in culpa est homo obicem ponens; qui proinde peccat non implens praeceptum; etiamsi careat Gratia efficaci; ut docet s. Thomas 3 contra gentes loco mox citato, inquiens: *Licet aliquis per motum liberi arbitrii promereri non possit Gratiam; potest tamen se impedire, ne illam recipiat . . . . . . hinc non immerito imputatur ei, qui impedimentum praestat Gratiae receptioni. Deus enim, quantum in se est, paratus est omnibus Gratiam dare: vult enim omnes homines salvos fieri.*

Ad IV patet responsio ex iis, quae hucusque diximus ad superiorum difficultatum solutionem. Sed jam gravioris, quae in universa Theologia occurrat, quaestionis finis esto. In ea autem explicanda si nimius fortasse fuerim, quam lectorum studia optarent; id non mihi tribuatur, sed gravitati materiae, eiusque amplitudini. Praecipua capita, quibus impeti solet Thomistarum, imo Augustini, & Apostoli doctrina, toto argumentorum genere ad liquidum deducenda curavi, ut inde leviores difficultates facilius possent expediri. Quotquot in hac re explicanda clariores desudarunt tum veteres, tum recentiores e Thomistis scriptores consului: ad rem perficiendam omnia congessi fundamenta e sacris dogmatis petita, nec non validiora rationum Theologicarum momenta. Si quid captu difficile occurret, id mysterii profunditatem

tem ostendet; quam & agnovit eximius Gratiae vindex Augustinus: ipsa enim facilitas, quae in adversa sententia deprehenditur, non levem ingerit falsitatis suae suspicionem.

ARTICULUS II.

An Gratiae per se efficacis necessitas extendi debeat ad statum innocentiae Angelorum; & Proto-parentum.

201 Diximus in *tractatu* de praedestinatione, *quaest.* de praedestinatione gratuita, Jansenium, eique adhaerentes, tum etiam plures ex scholae Augustinianae magistris eadem loqui ratione de Gratia in statu innocentiae requisita, ac sentiant Molinistae de statu naturae corruptae. Admittunt isti, ut saepe dixi, in statu naturae vitiatae Gratiam versatilem, ad omnem liberi arbitrii usum flexibilem, a solo consensu efficacem: eamdem potiori jure ad statum innocentiae spectasse adfirmant iidem Doctores. Hoc autem placitum reiiciunt pro statu naturae corruptae praefati scholae Augustinianae magistri; sed probant, & admittunt pro statu naturae innocentis: sentiunt enim, hominem lapsum, & corruptum Gratia per se efficaci indigere, quae languidam, & effoetam naturam ad actus supernaturales promoveat; sed hominem, ac Angelos innocentes sola indiguisse Gratia versatili, atque indifferenter oblata acriter propugnant. Contra Thomistae cum Angelico praeceptore hic *quaest.* 109 *art.* 9 in corpore eamdem Gratiam efficacem pro utroque statu admittunt: a quibus discedere mihi in religionem veniret. Idcirco sit

PRO-

PROPOSITIO.

Gratiae per se efficacis necessitas ad statum innocentiae extendi etiam debet.

202 Evincitur 1 iis omnibus scripturae testimoniis, quibus generatim ostendimus Gratiae per se efficacis necessitatem; quia quidquid boni nobis inest, a Deo est; quia bonus usus liberi arbitrii a summo Numine derivatur; quia si Gratia non sit per se victrix, homo posset sese discernere, atque ob id gloriari; atqui haec omnia probant etiam Gratiam per se efficacem in statu innocentiae, cum eadem ratio a scripturis insinuata pro utroque statu subsistat: ergo, &c.

Confirmatur, quia Joannis 8 Christus Dominus de se inquit: *Si glorifico me ipsum, gloria mea nihil est. Deo autem gratias non agimus*; inquit Augustinus ad Vitalem, *si unde illi gratias agimus, eum facere non putamus.* Si igitur Christus gloriabatur relate ad actus proprios voluntatis humanae in solo Deo: ergo Deus faciebat, ut voluntas eius humana bonum vellet: ergo cum humana Christi voluntas perfectior fuerit voluntate Adae innocentis, & Angelorum, si voluntas humana Christi agebat vi Gratiae trahentis per sese consensum, *facientis velle id, propter quod gratias agebat Deo*: a fortiori hac Gratia indiguissent primi Parentes, & Angeli viatores; quapropter isti Apocal. 7 leguntur dicentes: *Salus Deo nostro . . . . . amen*; idest ita est, quod soli Deo debetur, quod voluntas bonum actu salutari dilexerit.

203 Evincitur 2 ex Augustino, quem male ab adversariis intelligi, & in partes suas traduci eruditi recentiores Thomistae merito adfirmant. Plurium vice unum, vel alterum s. Doctoris testimonium recitabo, ne rem in longum ducam. *Si non potuerunt* (ita scribit s. Doctor de Angelis adhuc viatoribus lib. 12 de civit. Dei cap. 9) *se ipsos facere meliores, quam Deus eos fecerit; profecto & bonam voluntatem, qua meliores essent, nonnisi operante adjutorio creatoris, habere potuerunt.* Enarrat in psal. 7: *Angeli non habuerunt aliquid ex se tamquam supplementum, quod non a Domino perceperint: spiritu enim oris eius, non pars; sed omnis virtus eorum*; atqui si Gratia Angelis viatoribus conveniens non fuisset per se efficax, jam bona

bona ipsorum voluntas a se ipsis fuisset, non a Deo illam operante, aliquid habuissent non a Deo perceptum; unde non tota, sed pars solum virtutis eorum a Deo fuisset: ergo. Epist. demum 186: *Natura humana, etiamsi in illa integritate, in qua condita est, permaneret; nullo tamen modo se ipsam, creatore suo non adjuvante, servaret: unde, cum sine Gratia Dei salutem non posset custodire, quam accepit, quomodo sine Gratia Dei poterit reparare, quod perdidit?* Ergo cum probatum jam sit, in statu naturae corruptae doceri ab Augustino necessitatem Gratiae per se efficacis, haec ad perseverandum juxta eius sententiam in statu innocentiae fuisset necessaria.

Confirmatur 1, quia si aliter sensisset Augustinus, maxime quia a sola naturae lapsae corruptione, ac infirmitate Gratiae per se efficacis necessitatem deduxisset; atqui id est falsum: ergo, &c. Min. prob. I, quia Augustinus *lib.* de praedest. Sanct. *cap.* 3. Gratiae nativa virtute victricis necessitatem deducit ex hoc, quod nemo gloriari potest, nisi in Deo; quod nemo se potest ab alio discernere: in Enchiridio *cap.* 96 eam infert ex Dei potentia; atqui si ita est, eam non deducit ex sola naturae corruptae infirmitate: ergo, &c. II D. Augustinus *lib.* de praedest. Sanctorum *cap.* 15 docet, eodem spiritu in nobis fieri peccatorum remissionem, quo in Christo factum est, ut nullum esset peccatum; Gratiam in nobis derivatam in Christo jam fuisse: ergo cum Gratia, qua fit, ut nobis remittantur peccata, efficax sit ab intrinseco ex saepe dictis, Gratia per se efficax in Christo fuit; atqui in Christo nulla erat naturae corruptio: ergo aliunde, quam a naturae corruptione probavit Augustinus Gratiae ab intrinseco efficacis necessitatem.

Confirmatur 2 ex praestantioribus s. Augustini discipulis, Patribus nempe concilii Arausicani II, Fulgentio, Gregorio magno, ac D. Thoma. Patres Arausicani *can.* 19 definiunt, defuisse Angelis malis, & primis Parentibus Gratiam, de qua dici poterat, quod sine ipsa salutem acceptam non possent custodire; atqui Gratia huiusmodi non fuit mere sufficiens: hanc enim habuerunt, teste Augustino *lib.* 12 de civit. Dei *cap.* 9, & lib. de corrept., & Grat. *cap.* 11: ergo fuit per se efficax. S. Fulgentius lib. 2 ad Trasimundum regem cap. 3 inquit: *Cognoscitur, cunctos Angelos uniformi ruinae consortio opprimi*

po-

potuisse, nisi quos vellet, & casu pravitatis virtus illa defenderet, quae sola depravari non potest . . . . . Non alia Gratia stantem Angelum a ruina potuit custodire, nisi illa, quae lapsum hominem post ruinam potuit reparare; una est in utroque operata Gratia: in hoc ut surgeret; in illo ne caderet: ergo Angeli, qui non cecidere, & habuerunt auxilium distinctum ab illo, quod Angelis lapsis fuit commune, cuiusmodi fuit auxilium sufficiens, & aliud, cujusmodi est Gratia nos *sanans*, nos *praeservans*, praestans, *ut surgamus.* Verba Gregorii magni haec sunt hom. 4 in Ezechielem: *Unigenitus Patris, qui sursum est firmitas Angelorum, ipse deorsum factus est redemtio hominum: illis fortitudo, ne cadant; nobis adjutorium, ut surgamus.* In hanc etiam ivisse sententiam D. Thomam tam certum est, quam quod maxime: 1 enim 2 quaest. 109 art. 2 inquit: *Homo in statu naturae integrae indiguit virtute supernaturali ad volendum bonum supernaturale, quantum ad unum; sed in statu naturae corruptae quantum ad duo, scilicet, ut sanetur; & ulterius, ut bonum supernaturalis virtutis operetur;* & art. 9: *Indiget auxilio Gratiae propter duo: I ratione generali, quia non potest creatura prodire in actum, nisi motione virtutis divinae; II ratione speciali propter conditionem status humanae naturae,* intellige corruptae, ut jam dixerat in eadem *quaest. art.* 3.

204 Evincitur 3 ratione Theologica. I si Angeli viatores, & primi Parentes habuerunt duntaxat in statu innocentiae Gratiam versatilem, habuerunt solum Gratiam *possibilitatis*, seu *adjutorium, sine quo non*; non vero Gratiam actionis, seu *adjutorium quo*: ergo bona eorumdem voluntas ab ipsis fuisset, non a Deo: ergo non fuisset Deus, quoad illos, primum bonorum omnium principium: ergo falleret regula illa Augustini *lib.* 12 de civit. Dei *cap.* 9, quod bona voluntas Angelorum non fuit ab ipsis, sed a Dei adjutorio. II non fuisset Deus, quoad illos, primus motor; quia tunc non Deus creaturam, sed ista Deum movisset, vel saltem ista nusplam a Deo praemota subordinationem debitam primo motori non habuisset. III divinae praescientiae certitudo, ac infallibilitas quoad illum statum nutasset; vel enim futuros Angelorum, & Adae eventus cognovisset in propria omnipotentia per decretum determinata, vel in illorum voluntate. Primum dici nequit ab adversariis; quia non ideo futurae fuissent Angelorum, & Adae volitiones;

 quia

quia a Deo praescitae, sed potius eas Deus praescivisset; quia futurae fuissent per Angelorum, & Adae determinationem: ergo, ut essent, non pendebant a Dei decreto: ergo, &c. Secundum autem pariter dici nequit, quia voluntas Adae non erat medium certum, & infallibile divinae praescientiae, utpote fluctuans, & versatilis: ergo. Tum quia Deus exiisset extra se ad aliquod cognoscendum contra illud Augustini lib. 83 quaestionum quaest. 46: *Sacrilegum est asserere, quod Deus exeat extra se ad aliquid cognoscendum.* IV potuisset Deus aliquid velle in eo statu, quod potuisset voluntas hominis impedire, contra illud Augustini de corrept., & Grat. *cap.* 7 docentis, certa esse media adhibita ab omnipotentia, *ne creaturae vitio vincatur Deus.*

RESPONSIO

Ad praecipuam difficultatem ex libro de correpť., & Grat. D. Augustini petitam.

Etsi plura congerant adversarii in causae suae patrocinium; quia tamen ex libro laudato praecipuum ducunt praesidium, in eo solo explicando industriam collocabo. Jam vero

205 Opponunt D. Augustinum lib. de correpť., & Grat. capp. 10, 11, & 12, statum naturae innocentis a statu naturae lapsae distinguentem: homini sano contendit, concessum fuisse *auxilium, sine quo perseverare non posset, si vellet; & per quod perseverare posset, si vellet; ut autem vellet, in eius libero relictum esse arbitrio*; quibus verbis ipsa designatur Gratia indifferens; homini autem lapso conferri vult *auxilium, quo fiat, ut velit*, idest Gratiam per se efficacem. Verum id facile solvi posse inde liquet, quod s. Augustinus *lib.* 12 de civit. Dei, edito integro quadriennio post *lib.* de correpť., & Grat., palam docet, Angelis fuisse necessariam Gratiam per se efficacem, ut bene agerent; ait enim cap. 9: *Sine bona voluntate, hoc est, Dei amore, nunquam sanctos Angelos fuisse credendum est. Isti autem, qui, cum boni creati essent; tamen mali sunt mala propria voluntate, aut minorem acceperunt amoris divini Gratiam, quam illi, qui in eadem perstiterunt; aut si utrique boni aequaliter creati*

sunt

sunt, illis mala voluntate cadentibus, isti amplius adjuti ad eam beatitudinis plenitudinem pervenerunt: ergo, ut jam alibi dixi, praeter auxilium sufficiens bonis, & malis Angelis commune, admisit Augustinus aliud auxilium certissimo conferens Angelis bonis aeternam beatitudinem. Scopus igitur s. Doctoris eo loci hic est, quod ibi oppugnat monachos Adrumetinos sentientes, Angelos malos, & Adam fuisse excusabiles, dum peccarunt; ideoque comparat statum hominis innocentis, ac Angelorum viatorum cum statu hominis lapsi, aitque, quod si praecise considerentur vires nunc fractae, & corruptae, & cum viribus integris status innocentiae comparentur, nunc ad sanandam hominis infirmitatem requiritur Gratia per se efficax, ac proinde sanans, ac medicinalis, quae requisita non fuisset ex eo praecise titulo in statu naturae integrae; unde infert, quod si homo lapsus, etiam carens *auxilio*, *quo*, non est excusabilis, dum peccat; a fortiori Adam fuit inexcusabilis, quia peccavit, natura nondum infirmata. At non negat, ex alio titulo necessariam fuisse in statu innocentiae Gratiam per se efficacem, ut jam dixi. Quapropter nunc Gratia requiritur, ut tollat indifferentiam, ut homo se non discernat, ut Deus quoties vult hominem, quomodo vult, ad opus salutare praemoveat, tum ut vires fractas confirmet, ac sanet, & appetitum inferiorem rationi subjiciat. In statu vero naturae innocentis ob primas duntaxat rationes; ita ut si illa non substitisset ex capite infirmitatis, nulla fuisset necessaria Gratiae nativa per se efficacia. Quod si aliter sensisset, profecto de dono perseverantiae cap. 8 non dixisset: *Quid valeat liberum arbitrium non adjutum, in ipso Adam demonstratum est. Ad malum sufficit sibi; ad bonum autem non, nisi adjuvetur ab omnipotenti Deo*. Adi s. Thomam hic *quaest*. 109 *art*. 9 in corpore; *art*. 10 ad 3; 2 2 *quaest*. 137 *art*. 4; necnon Hyacinthum Serry in opusculo hac de re edito.

ARTICULUS III.

Unde sit repetenda Gratiae per se efficacis activitas.

Quamvis de re capitali quaestio hic videatur institui: eam tamen paucis absolvemus, tum ut brevitati consulamus, tum maxime, quia, constituta Gratiae per se efficacis necessitate, mea, vestraque non admodum *interesse* arbitror, si huiusmodi activitas in tali indole *qualitatis physice* praedeterminantis, vel in motione *morali* constituatur. Ne tamen in hoc diligentiam meam desiderari conqueri quis merito possit, meosque lectores quoad hoc prorsus jeiunos dimittam, paucis, quae sit adoptanda sententia, significabo.

206 Doctores e schola Moliniana Gratiae efficaciam in consensu arbitrii collocare, vel in Gratiae ad quasdam circumstantias adtemperamento, jam diximus in superioribus, ac pluribus oppugnare contendimus: eo vel maxime, quod ab Augustino epist. 217 ad Vitalem improbatur Pelagianus, sic aiens: *Consentire, vel non consentire ita nostrum est, ut si velimus, fiat; si autem nolimus, nihil in nobis operationem Dei valere faciamus*: Pelagianus, inquam, ita aiens, omni argumentorum genere a s. Doctore refellitur.

207 Thomistae in hoc explicando in duas classes dividuntur. Priores virtutem Gratiae efficacis ponunt *in motione* quadam morali, dulcique delectatione, qua voluntas ab bonum amandum suaviter simul, ac fortiter allicitur. Posteriores Gratiam per se efficacem in motione, seu applicatione humani arbitrii ad bonum salutare, prout a divina omnipotentia descendente, Deique proposito, cuius est instrumentum, vim omnem suam hauriente constituunt. Idem est, inquit Lemos *tom.* 4 Panopliae *lib.* 4 *part.* 2 *tract.* 4 *cap.* 13, quod divina motio ex se, seu ex natura sua efficax sit, & quod, ut venit a Deo, & eius efficaci voluntate, sit efficax. Qui autem ita sentiunt, huiusmodi motioni tamquam comitem adjungunt delectationem quamdam omnem concupiscentiam terrenam superantem. Haec autem delectatio non ea est, quam Jansenii discipuli defendunt, tamquam per se victricem concupiscentiae terrenae, si istius gradus relative mino-

minores sint gradibus caelestis delectationis: huius enim delectationis efficacia non est illi nativa, & intrinseca; sed oritur a minori activitate graduum concupiscentiae terrestris.

Propositio I.

Gratia per se efficax constitui non debet in sola morali motione.

208 Evincitur propositio, quia motio moralis consistit in consiliis, suasionibus, & quadam boni repraesentatione; atqui in his solum constitui nequit Gratia per se efficax: ergo &c. Prob. min. I quia scripturae passim Gratiam efficacem indigitant nomine vocationis specialis, qua quicumque vocati sunt, ad Christum certissime veniunt; atqui consilia, suasiones, boni supernaturalis repraesentationes esse possunt in aliquibus ad Christum non venientibus: ergo non erunt Gratia illa homines ad Christum certissimo trahens. II homo cum huiusmodi morali motione adhuc indiget Gratia per se efficaci: ergo, &c. Prob. anteced. Cum huiusmodi motione morali intelligitur homo in actu primo ad agendum: est igitur adhuc in potentia ad agendum: igitur, ut exeat in actum salutarem, vel debet determinari a se, vel a Deo; non a se, ex dictis in superioribus: ergo a Deo: ergo ab ipso physice praemovente, quae physica praemotio est ipsa Gratia per se efficax, ubi agitur de actibus supernaturalibus.

Gratia per se efficax talis non redditur a gradu superiori delectationis caelestis victricis comparate ad gradum inferiorem concupiscentiae, seu delectationis terrestris. Sed talis est nativa virtute, prout est applicatio voluntatis creatae a summa Dei potestate in hominum voluntates descendens, ac proposito Dei per se efficaci; unde spiritualem quamdam conjunctam habet delectationem, concupiscentiam terrenam vincentem.

209 Evincitur propositio, quae veram etiam in hac re Augustini mentem involvit, & demonstrat. I Augustinus integro libro de praedest. Sanctorum totus est, ut probet cum Apostolo, Gratiam Christi medicinalem *esse* vocationem secundum propositum, & consilium voluntatis divinae, eiusque omnipotentis dominii; atqui eadem Gratia, quae in uno fit efficax, in alio non; imo Gratia sex habens gradus delectationis, ac proinde maioris intensionis, quae fit efficax in uno habente gradum unum concupiscentiae, & inefficax in alio septem habente eiusdem concupiscentiae gradus, non potest esse vocatio secundum propositum: eadem enim Gratia in uno efficax, in altero non, est vocatio indifferens non secundum propositum, eademque Gratia non est consilium omnipotentis *Dei*, & instrumentum dominii divini: eius enim efficacia ab illo dominio non derivatur; sed a gradu minori concupiscentiae: ergo. II ex dictis passim in *art.* 1 huiusce quaest., Deus vim habet corda humana semper, & quovis modo voluerit e malo in bonum transferendi: igitur non debent gradus Gratiae gradibus concupiscentiae accommodare, cum id dedeceat supremum Dei in corda humana dominium. III systema scientiae mediae in hac sententia reiici amplius nequit, tamquam minus aequum infallibilitati divinae praescientiae, ut innuimus *num.* 196. IV facit contra huiusmodi placitum auctoritas D. Prosperi carm. de ingratis capp. 12, & 15; ubi inquit: *Si credi tam fit lta cupis, quod bonus, omnipotensque Deus non omnia sibi subdit corda* (intellige per Gratiam) *ob varios animorum motus* (seu ob varios gradus concupiscentiae) *omnipotens Gratia ipsa suum consummat opus virtute creandi*: ergo ex propria virtute Gratia habet efficaciam, non ex pro-

portione

portione cum gradibus concupiscentiae. V aperte contrarium docet s. Thomas 3 part. quaest. 62 art. 6 in resp. ad 3; ubi ait: *Minima Gratia potest resistere cuilibet concupiscentiae, & mereri vitam aeternam*; tum quaest. 70 art. 4 in corp.: *Minima enim caritas plus diligit Deum, quam cupiditas millia auri, & argenti.* Quod certe didicerat ab Augustino cap. 118 Enchiridii num. 31; sic aiente: *Si homo agi coeperit spiritu Dei, concupiscitur adversus carnem fortiore robore caritatis; ut, quamvis adhuc sit, quod homini repugnet ex homine, nondum tota infirmitate sanata; ex fide tamen justus vivat, justeque vivat, in quantum non cedit malae concupiscentiae, vincente delectatione justitiae.* Alia vide num. 187, & seqq.

210 Etsi vero huiusmodi gradus delectationis caelestis relative superiores ad gradus concupiscentiae reiiciamus, nec in ipsis Gratiam victricem constituamus; omnem tamen delectationem a Gratia operis non excludimus, imo efficacem Gratiam iunctam semper habere huiusmodi delectationem contendimus, edocti ab Augustino, qui in explanatione epistolae ad Galatas ita scribit: *Humana voluntas secundum id operetur, necesse est, quod eam amplius delectat, trahitur namque humanus animus voluptate*; Lib. 1 de nuptiis, & concupisc. cap. 30: *Delectatio legis Dei secundum interiorem hominem de magna nobis venit Gratia Dei.* Lib. de spirit., & liter. cap. 3: *Nos dicimus, humanam voluntatem sic divinitus adjuvari ad faciendam justitiam, ut accipiat Spiritum sanctum, quo fiat in animo eius delectatio.* Lib. 1 ad Bonifacium cap. 10: *Veniet Gratia Dei, ut delectet te justitia.* Denique lib. de peccat. meritis, & remiss. cap. 19: *Ipsa delectatio boni nonnisi Gratiae deputanda est.* Nihil igitur est Augustini doctrinae magis conforme, quam delectationem caelestem effectum Gratiae propugnare: non vero ipsam Gratiam in huiusmodi delectatione constituere.

QUAESTIO II

De Gratia sufficienti.

ARTICULUS UNICUS.

Gratiae sufficientis notiones exhibentur, eiusque natura juxta principia D. Thomae explicatur.

Ut omnia breviter complectamur, quae hic essent fuse disputanda, nonnullis quaesitis rem omnem absolvemus; ita tamen brevitati consulentes, ut nihil in hac re scitu necessarium omittamus.

Quaeres I, sitne admittenda Gratia sufficiens.

211 Resp. affirmative. Constat hoc ex dictis contra Jansenium, ubi ostendimus, admittendam esse Gratiam interiorem, cui aliquando resistimus; atqui Gratia, cui resistimus, non est efficax: ergo admittenda est Gratia distincta ab efficaci: ergo sufficiens.

Quaeres II, quotuplex sit Gratiae sufficientis acceptio.

212 Resp., multiplicem eam esse, prout variae sunt in Gratiae efficacis natura explicanda Theologorum sententiae. Qui enim docent cum Molinistis, Gratiam esse efficacem ex creaturae consensu, ii nomine Gratiae sufficientis intelligunt Gratiam, cui nihil deest, ad hoc ut opus ponatur, eamque proinde definiunt: *Auxilium, praeter quod ex parte Dei, non alio opus est homini, ut actu operetur.* Thomistae vero, qui Gratiam efficacem non versatilem, & ab arbitrii consensu dependentem; sed talem ex nativa virtute esse docent, Gratiam sufficientem intelligunt illam, quae licet ex se sola proxime non sufficiat ad actum salutarem; sed Gratiam exigat efficacem, seu operis huiusmodi actum inferentem: tamen sufficiens est, ut in actu primo constituatur homo potens actum huiusmodi salutarem elicere: Gratia enim huiusmodi per ipsos solam tribuit potentiam ad agendum, elevando facultates naturales ad ordinem supernaturalem. Quia tamen ob huiusmodi explicationem Gratiae sufficientis male audiunt apud Molinistas discipuli s. Thomae; monere eos juvat, sufficiens illud esse, praeter quod aliud non requiritur. Ipsum autem duplicis est generis: aliud enim est

sufficiens in aliquo tantum genere, aliud sufficiens absolute. I est, praeter quod in eo genere nihil aliud requiritur, ut habeatur id, ad quod dicitur sufficiens: eo modo lux dicitur sufficiens in genere lucis ad videndum, etsi alia ad visionem requirantur. II est, praeter quod nihil aliud requiritur in quovis genere; sic in sententia Thomistarum sola requiritur visio beatifica ad hoc, ut justi vita functi sint beati; quod totum infra uberius etiam explicabimus. Hoc autem sensu acceptam Gratiam sufficientem sic definiunt Thomistae: *Auxilium, quod ita tribuit posse agere supernaturale, ut tamen homini opus sit alio auxilio ex parte Dei ad actionem supernaturalem.* Gratia haec illa est, quam Augustinus, aliique Patres ipsum secuti vocant auxilium, *sine quo* non fit opus; non tamen *quo fit*, quo datur posse, quod velimus, non velle, quod possimus; auxilium possibilitatis, non actionis; illustrationem, & excitationem, qua pietatis opera suadentur, non persuadentur, nos invitantem, non vero trahentem, inspirantem velle, ipsum non dantem. Quas quidem Gratiae sufficientis notiones, qui reiicit, ut scholae suae placita defendat, fruatur, per nos licet, arbitrio suo; sed a notis adversus Thomistarum explicationes abstineat.

Quaeres III, quo sensu admittenda sit Gratia sufficiens.

213 Resp. 1, Gratiam inefficacem esse sufficientem in hoc sensu, quod praeter illam alia non requiratur ad effectus quosdam, atque, ut aiunt, ad voluntatem parvam, & invalidam. Nam ex dictis in parte I contra Jansenium Gratia inefficax, seu excitans praestat in nobis actus indeliberatos intellectus, & voluntatis; excitat, & promovet consultationem mediorum circa finem, vel circa objectum amandum, vel reiiciendum, considerationem turpitudinis peccati, & poenarum inferni, aliosque similes actus imperfectos; atqui ad ea omnia praestanda ipsa sufficit, nec aliud auxilium requiritur: ergo eo sensu est sufficiens, idest relate ad actus imperfectos; ac proinde eo sensu efficax suo modo, ut saepe diximus in *tract.* de voluntate Dei; ubi de voluntate Dei circa omnium salutem disputavimus; & in hoc *tract.* contra Jansenium.

214 Resp. 2, Gratiam inefficacem a nobis non dici sufficientem in hoc sensu, quasi praeter ipsam alia Gratia ex parte Dei non requiratur ad agendum, idest ad habendam voluntatem plenam, atque, ut aiunt, robu-

stam,

stam, & ad actus perfectos eliciendos. Prob., quia si Gratia sufficiens ea esset, qua sola actio salutaris perfecta elici posset, quin aliud Dei adjutorium requireretur, jam qui Gratiam illam sufficientem redderet efficacem proprio consensu, sese discerneret ab illo, qui proprio dissensu eam effectu frustraret; atqui id asserere prohibent verba illa D Pauli 1 Cor. 4: *Quis enim te discernit?* ut fuse ostendimus *quaest.* superiori de Gratia efficaci: ergo. Ulterius: si Gratia excitans esset sufficiens in sensu adversariorum, jam inutilis esset Gratia efficax ab intrinseco; quam tamen esse necessariam satis evincunt argumenta superius a nobis adducta. Hac de re Bellarminus *Lib.* de Gratia, & libero arbitrio *cap.* 12 sententiam hujusmodi, qua novum sufficientis Gratiae genus a Molinianis in scholas invectum est, aperte contrarium vocat doctrinae Augustini.

215 Resp. 3, Gratiam sufficientem eam esse, quae ita dat posse operari, ut praeter illud requiratur aliud adjutorium ex parte Dei ad actum salutarem. Prob., quia hoc modo salvatur discrimen Gratiae sufficientis ab efficaci: cum enim passim scripturae nos doceant, admittendam esse Gratiam, qua fiant pietatis opera; ut Philipp. 2: *Deus est, qui operatur in nobis velle, & perficere pro bona voluntate*; Ezechielis 36: *Faciam, ut in praeceptis meis ambuletis*; & aliunde, eaedem scripturae Gratiam aliam designent, qua collata fuit potestas ad bene agendum; quin tamen actio salutaris secuta sit, ut constat ex illo Actor. 7: *Dura cervice, & incircumcisis cordibus, vos semper Spiritui sancto resistitis*; Proverb. 8: *Audite disciplinam, & nolite abjicere eam.* Ex his, inquam, clara consecutione deducitur, admittendam esse Gratiam, quae det posse agere distinctam a Gratia tribuente actu agere; ea autem Gratia, quae a Patribus vocatur *Possibilitatis*, ea est, quae nunc dicitur sufficiens, & a nobis ut talis propugnatur sensu ab universa schola D. Thomae adoprato. Huc faciunt omnia D. Augustini testimonia a nobis laudata, cum adversus Jansenium Gratiae inefficacis, seu sufficientis exsistentiam defenderemus *num.* 148, & *seqq.* Ne autem quis fingat, ad libitum Gratiam sufficientem hoc sensu usurpatam scholae Thomisticae adtribui, consulat ejusdem scholae principem lect. 2 in cap. 3 ad Ephes.; ibi enim s. Doctor explicans verba D. Pauli: *Cujus factus sum minister secundum donum Gratiae Dei, quae*

data

data est mihi secundum operationem virtutis eius; docet, aliud fuisse auxilium, quo ipsum agere eidem datum est; scribit enim: *Huiusmodi auxilium duplex fuit; unum ipsa facultas exsequendi, aliud ipsa operatio actualis. Facultatem autem dat Deus, infundendo virtutem, & Gratiam, per quas efficitur homo potens, & aptus ad operandum; sed ipsam operationem confert, in quantum operatur in nobis, interius movendo, & instigando ad bonum. Et ideo hoc accipiens Apostolus a Deo, dicit quantum ad primum: dico, quod factus sum minister; sed certe non meis meritis, sed secundum donum Gratiae, quae data est mihi, qua scilicet idoneus efficior ad exsecutionem divinorum mysteriorum. Quantum ad secundum dicit, secundum operationem, qua Deus efficit, in quantum virtus eius operatur in nobis velle, & perficere.* Tum 1 2 *quaest.* 109 *art.* 1 istud tamquam certum, atque indubitatum constituit, in omnibus substantiis spiritualibus, & corporeis duo ad agendum requiri: I formam, seu principium motus; II motionem primi moventis; deinde istud ad operationes supernaturales extendit, ibidem docens, quoad ipsas infundi virtutem, ut habeatur potentia ad illas eliciendas, quae est ipsa Gratia sufficiens, dans posse, & motionem divinam *dans agere*, quae est Gratia efficax. Idem s. Doctor passim in summa Theologica triplex genus Gratiae, sufficientis nempe, efficacis, & habitualis explicat hoc modo, quo, quemadmodum anima vivit, potentias habet ad agendum vitaliter, & actu vitaliter operatur; ita Gratia sufficiens est potestas ad agendum supernaturaliter, Gratia efficax ad ipsam operationem supernaturalem confertur, Gratia habitualis est ipsa vita supernaturalis. Demum laudatus Doctor veram Gratiae sufficientis notionem, ac necessitatem in eadem 1 2 *quaest.* 112 *art.* 2 diserte explicat doctrina quidem sublimi, sed plana, atque obvia, qua optime intellecta, universum systema de Gratia juxta ipsius principia intelligetur: Loco igitur laudato tamquam certum principium ponit, *nullam formam esse posse, nisi in materia disposita*; ideoque *dispositionem requiri ad Gratiam*, intellige sanctificantem; tum sibi objicit exemplum D. Pauli extemplo, ac brevissime e Christianorum persecutore in vas electionis conversi, quin proinde ulla praecesserit dispositio; ad quod respondet: *Quod cum homo ad Gratiam se praeparare non possit, nisi Deo eum praeveniente, & moven-*

vente ad bonum, non refert, utrum subito, vel paullatim aliquis ad perfectam praeparationem perveniat . . . . . . contingit autem quandoque, quod Deus movet hominem ad aliquod bonum, non tamen perfectum (en tibi Gratia sufficiens) *& talis praeparatio praecedit Gratiam; sed quandoque statim perfecte ad bonum ipsum movet* (en Gratia efficax) *& subito homo Gratiam accipit . . . . & ita contigit D. Paulo,* &c. Docet itaque juxta communes divinae providentiae leges, hominem praeparari a Deo per Gratiam excitantem, & praevenientem, moventem ad bonum non tamen perfectum, quae est ipsa Gratia sufficiens, antequam moveat perfecte ad ipsum bonum (intellige per Gratiam efficacem), & aliquando per miraculum sine praevia Gratia sufficienti, moveri hominem per Gratiam efficacem, uti contigit in conversione D. Pauli. Gratia itaque sufficiens datur, ut homo praeparetur ad Gratiam efficacem, & inde habitualem, ut eius potentia evadat proportionata ad actus supernaturales eliciendos, ut in ordine supernaturali constituatur; ideoque cum ipsa possit elicere actus supernaturales cum praevia motione efficaci, idque secundum legem ordinariam, quam unice hic debemus adtendere.

Hoc ipsum jam docuerant in 4 sententiarum quaest. 1 art. 1; ubi ait: *Gratia interior quandoque non pertingit ad finem suum ex vocati defectu; & haec vocatio nihil aliud est, quam aliquis instinctus, vel motus ad bonum a Deo immissus; & haec vocatio non est justificatio, sed via ad illam.* Munus igitur Gratiae sufficientis ex s. Thoma est praeparare hominem ad perfectam conversionem, ad actum perfectum salutarem, cum iste nuspiam citra miraculum habeatur, sine praemissa huiusmodi dispositione elevante potentiam naturalem ad statum supernaturalem, quo capax fiat, & proportionata ad eliciendos actus supernaturales.

Unde illud inferunt Thomistae, quod etiam nos in *tract.* de voluntate Dei *num.* 115 in *resp.* ad 2 innuebamus, nullam dari Gratiam sufficientem, quae omni careat effectu: esto enim, ipsam semper non sequatur Gratia ab intrinseco efficax, trahens actum perfectum, seu *voluntatem magnam, & robustam*, ad quam ultimo ordinatur Gratia sufficiens; tamen cum eius munus sit intellectum illustrare, cor ad bonum excitare actibus imperfectis spei, timoris, &c; huiusmodi effectus semper

ab

ab eadem praestantur; eo vel maxime, quod juxta Bellarminum *lib.* 2 de Gratia, & libero arbitrio *cap.* 6, illustrationes huiusmodi, pia desideria, bonae cogitationes sunt actus indeliberati a Deo in nobis excitati: imo, juxta Alvarez *disp.* 76 *num.* 6, interdum etiam deliberati: quoties igitur habentur illustrationes huiusmodi, actus isti indeliberati. Revera in intellectu, & voluntate habentur, intellectus illustratur, voluntas movetur, ac proinde semper cum effectu proximo suo, sed imperfecto conjuncta est Gratia sufficiens. Quod si ulteriorem effectum non obtinet, quia non conjungitur cum Gratia efficaci inferente opus, hoc tribuendum non est Gratiae sufficienti, nec Deo, sed pravae dispositioni voluntatis, quae ponit obicem Gratiae ulteriori, quod centies repetit s. Thomas. *Deus enim*, inquit 3 contra gentes cap. 159, *paratus est, omnibus Gratiam dare: vult enim omnes homines salvos fieri; sed soli illi Gratia privantur, qui se ipsis Gratiae impedimentum praestant.* Quod etiam docet *lect.* 5 in *cap.* 6 Joannis. Quod si quis Gratiae efficaci obicem non ponit, id non habet a se, sed a Gratia, ut docet idem s. Doctor in epistolam ad Hebraeos cap. 12 lect. 3: *Hoc ipsum, quod aliquis non ponit obstaculum, ex Gratia Dei est.* Cuius ratio haec est, quam idem s. Praeceptor indigitat hic (nempe 1 2) quaest. 112 art. 3 ad 2: *Quod defectus Gratiae* prima caussa est a nobis; sed collationis Gratiae prima causa est a Deo, juxta illud: *Perditio tua ex te Israël, in me tantum auxilium tuum.* En universum systema de Gratia juxta principia s. Thomae explicatum, distinguens naturam, & indolem Gratiae sufficientis ab efficaci, quod quidem jam olim ante D. Thomam in Ecclesia commune fuisse, ac vulgatum, mox ostendam. Quapropter

216 Resp. 4, Gratiam sufficientem essentialiter distingui ab efficaci, ac proinde non a sola externa arbitrii cooperatione. Prob., quia ex duobus Gratia interiori adjutis unus consentiens, alter dissentiens habent Gratias diversas: ergo Gratia trahens consensum, seu efficax diversa est a sufficienti, quae ex se sola, & seiuncta ab efficaci non trahit consensum. Antec. prob. ex illo Cor. 4: *Quis enim te discernit*, &c.; quem textum *quaest.* 1 *art.* 1 huius *dissert.* saepe memoravimus: si autem eadem sit Gratia consentientis, & dissentientis, jam primus a secundo sese discerneret contra illud Augustini cap. 5 de

de praedest. Sanctorum: *Gratia, quae communis est bonis, & malis, non potest discernere bonos a malis*, consentientes scilicet a dissentientibus. Sed clarius est ad rem nostram, quod scribit s. Doctor lib. de corrept., & Grat. cap. 12: *Si in tanta infirmitate vitae huius relinqueretur voluntas sua, ut in adjutorio Dei, sine quo perseverare non possent*, (hic innuitur Gratia sufficiens) *si vellent* (en adversariorum systema reiectum) *nec in eis Deus operaretur, ut vellent* (quod docent Thomistae admittentes Gratiam efficacem ab intrinseco) *inter tot tentationes voluntas ipsa succumberet, & ideo perseverare non possent* (loquitur hic de potentia cum actu conjuncta) *quia deficientes infirmitate, nec vellent, aut non ita vellent, ut possent. Subventum est igitur infirmitati voluntatis humanae, ut divina Gratia indeclinabiliter, ac insuperabiliter ageretur*. Jam vero sic arguo. Adjutorium *sine quo non*, seu sine quo homo non posset perseverare, est Gratia sufficiens elevans facultates naturales ad ordinem supernaturalem; atqui ex s. Augustino voluntas cum huiusmodi solo adjutorio nunquam de facto perseverat: ergo ut perseveret, actu indiget Gratia validiori *indeclinabiliter*, ac *insuperabiliter* trahente consensum: ergo ex eodem s. Doctore essentialiter differunt Gratia sufficiens, & efficax. Prius vero, quam adversariorum argumenta diluam, illud tirones Theologiae latere nolo, quod *Le Moyne*, & *Tournely* novum de hac re placitum in scholas invexere: nempe Gratiam orationis ab operis Gratia esse secernendam, atque *istam* esse per sese efficacem: illam vero hominis arbitrio subjectam, ut si velit homo, eam efficacem reddat orando sine ullo Gratiae ulterioris subsidio. Hanc sententiam pluribus refellere supervacaneum duco; quippe quam Apostolus falsam omnino ostendit Rom. 8, aiens: *Deus est, qui operatur in nobis velle, & perficere*; tum ad Philipp. 2, ita loquens: *Spiritus adjuvat infirmitatem nostram; nam quid oremus, sicut oportet, nescimus; sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*. Quae verba interpretans D. Augustinus epist. ad Xystum cap. 4, haec addit: *Quid est autem interpellat, nisi interpellare nos facit?* Et paullo post *ita dictum est interpellat, quia interpellare nos facit, nobisque interpellandi, & gemendi inspirat affectum*. Cui etiam concinit D. Thomas 2 2 quaest. 83 art. 1; ubi ait: *Efficaciam impetrandi habet oratio ex Gratia Dei, quem oramus, qui etiam nos inducit ad orandum*.

217 Objiciunt I; Gratia sufficiens juxta principia Thomistarum admissa inutilis est: ergo. Prob. antec. Gratia sufficiens nec uspiam habuit, nec imposterum habebit effectum suum: ergo. II nuspiam oravit Ecclesia pro obtinenda Gratia sufficienti: ergo id argumento est, ipsam esse reiiciendam. III docet s. Thomas, voluntatem Dei semper esse efficacem: ergo motio ab huiusmodi voluntate procedens debet esse efficax; atqui Gratia sufficiens est Dei motio: ergo erit efficax. IV Gratia huiusmodi indigens Gratia ulteriori, ut actus perfectus habeatur, est nomine tenus sufficiens, non vere talis; uti nemo dicet, oculum esse sufficientem ad videndum, cum luce indigeat: ergo. V Gratia sufficienti confertur voluntas parva, & imperfecta, desiderium inchoatum conversionis, &c.; atqui cum huiusmodi auxiliis imperfectis nemo potens est actum salutarem, ac meritorium elicere: ergo. Min. prob. ex August. lib. de Grat., & libero arbitr. cap. 17, sic aiente: *Qui ergo vult facere Dei mandatum, & non potest, jam quidem habet voluntatem bonam; sed adhuc parvam, & invalidam: poterit antem, cum magnam habuerit, & robustam* (idest quando habebit Gratiam efficacem). Tum addit Petri exemplum, qui credens, cum Gratia parva a se mortem oppeti posse pro Christo, juxta eumdem s. Doctorem erravit.

Resp. 1 negando antec.; quia, ut mox diximus in tota *resp.* 3, inutilis non est Gratia juxta communes Providentiae leges requisita ad hominis conversionem, tamquam dispositio constituens hominem in ordine supernaturali, vires minuens concupiscentiae, *aliquas fidei inchoationes* infundens, ut loquitur Augustinus lib. 1 de diversis quaest. ad Simplicianum quaest. 2, *conceptionibus similes*; unde humana voluntas fit, ut ita dicam, divino quodam semine foecundata. Ad probationem antecedentis disting. antec. Non habuit, nec habebit effectum principalem, ad quem ultimo ordinatur. Conc. antec. In hoc sensu, quod ipsa solitarie consideretur, atque ut seiuncta a Gratia operis, seu efficaci non habet effectum imperfectum, ad quem proxime ordinatur. Neg. antec., & conseq., juxta ea, quae diximus in *tract* de voluntate Dei *num.* 115, & hic in *resp.* 3. Gratia sufficiens habet semper effectum illum, motionem nempe voluntatis, illustrationem intellectus, ad quam proxime a Deo ordinatur; non autem habet se sola effectum, ad quem ulterius

rius dirigitur a divina voluntate, nimirum actum salutarem perfectum; quia relate ad hunc confertur, ut veram habeat ipsius efformandi potentiam: quam non haberet, si non praepararetur voluntas a Domino, nec in ordine supernaturali constitueretur. Quod si quis quaerat, cur huiusmodi potentia instructus homo non eliciat actum salutarem, facilis responsio est: quia ponit obicem Gratiae efficaci, qua eliceret huiusmodi actum: ideo autem ponit obicem, quia eius voluntas est iniqua. Ad II disting. antec. Non orat Ecclesia determinate Deum, ut speciatim *gratias sufficientes* conferat. Transeat antec. Non orat pro gratiarum omnium collectione, quae ad salutem promovendam requiruntur, inter quas occurrunt etiam auxilia sufficientia. Neg. antec., & conseq. Uti Ecclesia Deum orat, non ut arbores vere floribus induantur; sed ut fructus adferant: & tamen non orat Deum, ut per miraculum fructus sine floribus impertiatur: & intelligitur orare pro istis, dum pro illis, quod est primario intentum ab eadem, Deum orat; ita cum Gratia efficax, & donum perseverantiae sint illud, quod potissimum intendit Ecclesia, pro illis solis determinate orat; non orans tamen, ut per miraculum sine gratiis sufficientibus praeviis ea dona primaria largiatur. Quare dum pro huiusmodi donis praecipuis orat, orare pariter censenda est pro gratiarum collatione, quae ad dona primaria tamquam dispositiones praerequiruntur. Ecclesia enim Deum orans pro omnium salute, orat pariter pro eorum omnium collatione, quae in universo auxiliorum apparatu continentur, & ad salutem promovendam conducunt. Ad III valet eadem responsio, quae ad probationem antec. primae difficultatis allata est. Quo autem sensu dicenda sit Dei voluntas semper efficax, vide *tractatum nostrum* de voluntate Dei. Ad IV neg. antec. iuxta explicationem a nobis superius allatam in *respons.* ad quaesitum *num.* 213, & *seqq.*; ubi hoc vocabulum sufficiens cum s. Thoma, eiusque discipulis explicavimus. Et sane Christi passio est sufficiens caussa salutis; & tamen requiruntur etiam sacramenta, ut Christi passio adplicetur: ut exemplum adhibeam D. Thomae 3 *parte quaest.* 61 *art.* 1. Ex eodem s. Doctore 1 2 *quaest.* 109 art. 1, 2, 3, & 4 Gratia sanctificans est sufficiens ad salutem; sed ibidem ab ipso docetur, requiri etiam gratias excitantes, gratias efficaces, ac alios habitus supernaturales

rales. Exemplum autem in objectione adductum de luce ad rem non est. Vel enim lux complet potentiam, & tunc oculus merito dicetur non sufficiens ad videndum; vel non complet potentiam: & tunc, quia requiritur duntaxat, ut objectum oculis repraesentet, oculus erit potentia sufficiens ad videndum; quamvis in alio genere luce indigeat ad visionem actualem. Ast, inquies, quomodo Gratia sufficiens complet potentiam, cum ulteriori indigeat auxilio, ut in actum perfectum exeat? Respondeo, a Gratia sufficienti compleri potentiam in ratione potentiae, non in ratione actus, cum ad Gratiam efficacem spectet conjungere potentiam cum actu; complet autem, quia facultas naturalis per Gratiam sufficientem constituitur in ordine supernaturali, & fit proportionata ad eliciendos actus supernaturales. Quamvis autem non habeat ad nutum suum Gratiam efficacem, ab optimo Numine, eam debet sperare, cum ex dictis in superioribus Deus paratus sit, Gratiam efficacem conferre homini jam disposito per auxilia sufficientia, nisi obex ex parte hominis occurrat, juxta doctrinam D. Thomae passim a nobis adductam. Ad V, conc. mai., neg. minor., ad cujus probationem ductam ex Augustino, dico, sensum illius esse, non posse aliquem cum Gratia parva perfectum opus elicere, *potentia*, inquam, quae nullo alio adjutorio indigeat, ut conjungatur cum actu; non vero *potentia*, quae huiusmodi adjutorium exigat. Uberior huiusmodi testimonii interpretatio a nobis allata est in *controversia* contra Jansenium instituta de possibilitate observantiae divinorum mandatorum quoad justos, urgente praecepto.

DISSERTATIO III.

De extensione Gratiae.

QUAESTIO UNICA.

Num omnibus hominibus conferantur Gratiae sufficientes ad aeternam salutem comparandam.

218 Quatuor sunt hominum classes, de quibus a Theologis disputatur in re praesenti. *De justis* nempe, de infidelibus, de peccatoribus obduratis, & obcaecatis, necnon de infantibus ante susceptum Baptisma morientibus. De justis non est, ut hic denuo controversiam instituamus, cum abunde acta res sit in *dissert.* contra Jansenium. De pueris satis diximus, quantum ad institutum in *tract.* de voluntate Dei. De solis itaque infidelibus, & obduratis quaestionem hic instituemus, & tamquam corollarium adnectemus sententiam nostram de collatione Gratiae sufficientis omnibus fidelibus, ne immensum abeat haec nostra tractatio.

ARTICULUS I.

Utrum infidelibus conferat Deus Gratias sufficientes.

219 Infideles duplicis sunt generis; alii *negative*, alii *positive* tales. Primi sunt, qui nihil uspiam de Christiana fide, ac religione audierunt. De his loquitur Apostolus Rom. 10 v. 4; ubi ait: *Quomodo credent, quem non audierunt?* Alteri sunt, quibus annunciatum fuit Evangelium; & tamen credere noluerunt. De istis nullam hic litem movent scholae magistri: nemo enim prudens negaverit, quod, insonante auribus mysteriorum fidei praedica-

dicatione, vox interior caelestis non respondeat, cor excitans ad pium credulitatis affectum. De solis itaque infidelibus negativis hic quaeritur, an habeant Gratiam sufficientem vel immediate ad credendum, vel ad aliquos actus supernaturales, quibus ad fidem promoveantur, ac praeparentur. Cum enim ex Apostolo 2 Thessalonic. 3: *Non omnium sit fides*, statui nequit, Gratiam fidei omnibus immediate conferri; sed solum quaeritur, an Gratia sufficiens ad fidem suscipiendam vel mediate, vel immediate conferatur: & hoc quidem non singulis momentis, sed pro loco, & tempore: soli enim indocti dixerint, infidelibus negativis jugiter praesto esse Gratiam internam, quae ipsos ad conversionem exciret, ac impellat. Dixi *Gratiam internam*: nam hic non agitur de praedicatione, aliisque gratiis externis, quas male confundunt nonnulli Theologi cum auxiliis sufficientibus, de quibus in scholis solet hic disputari.

Jam vero plures Theologi etiam inter Thomistas facile adsurgentes negant conferri omnibus infidelibus negativis aliquando gratias sufficientes; censentes tamen, paratas illas esse, imo oblatas a supremo Numine; ac proinde, quantum est ex se, conferendas, si obex non adesset. Alii autem ex eadem schola praestantissimi Doctores opinantur, infidelibus omnibus negativis conferri aliquod auxilium internum mediate, vel immediate ad fidem comparandam, ac consequenter ad salutem conducens. Cum istis sentire libet sine ulla adversae partis injuria: hinc enim facilius conciliabimus, quae diximus de voluntate Dei vera, ac sincera salvandi omnes, atque in quaestione eidem adnexa de natura huiusmodi volutatis *num.* 122, 123, & 124, quos videris.

PROPOSITIO.

Infidelibus negativis Gratia sufficiens vel remota, vel proxima confertur, qua fidem, & salutem consequi possint.

220 Evincitur propositio ex dictis in *tract.* de voluntate Dei. Ita vult Deus vere, ac sincere omnium salutem, ut voluntas illa otiosa non sit, nec mera complacentia de huiusmodi salute; atqui otiosa esset huiusmodi

voluntas, si, nullo supposito defectu ex parte hominis, obice nullo, nulloque impedimento naturali, singulis infidelibus negativis Deus non conferret auxilia sufficientia, vel remota, vel proxima ad salutem, quae quidem auxilia nullum supponere possunt obicem ex parte creaturae: pia enim cogitatio, devota cordis motio in homine jam in usu rationis constituto, utpote independentes a caussarum secundarum libero consensu, obices istos pati nequeunt: ergo &c. II certum est ex dictis contra Jansenium, nulla esse Dei praecepta observatu impossibilia; atqui ex dictis contra Pelagium lex universa naturalis impleri nequit sine Gratia peccata, urgente gravi tentatione, sine interno Numinis adjutorio vitari nequeunt: ergo ut mandata Dei potissimum difficiliora, urgente maxime praecepto, serventur, requiritur Gratia: ergo ut infideles negative immunes sint a peccatis, requiritur *in ipsis* Gratia: ergo si careant omni Gratia, vel nuspiam *peccabunt*, quod nemo dixerit; vel si peccabunt, in eo peccabunt, quod cavere non potuerunt: ergo &c. Rationem aliam Theologicam leges apud cardin. Gotti *tom.* 3 *pag.* 210 *num.* 38; quae tamen ad infideles negativos trahi nequit, ut constat legenti s. Thomam 2 2 *quaest.* 10 *art.* 1, & *lect.* 3 in *cap.* 10 *epist.* ad Rom.; tum demum *quaest.* 14 de veritate *art.* 11 ad 1.

221 Nova autem non est haec sententia, nec a Molinianis primum invecta, ut perperam criminantur *Jansenii* vindices, aliique etiam Theologi magni apud *Catholicos* nominis. Ita enim senserunt Patres antiquiores, non aliunde certe, quam a sacris literis edocti, in quibus passim legitur: *Deum expandere tota die manus suas ad populum non credentem*, ut Isaiae 65: *Illuminare omnem hominem venientem in hunc mundum; inexcusabiles esse Gentiles, quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt*, ut Rom. 1. Nequit autem Deus glorificari actibus pietatis sine Gratia; & similia. Quapropter merito aiebat Augustinus epist. 2 ad Simplicianum: *Infidelibus etiam vocationem impertitur Deus*; & concion. 1 in psal. 18: *Cum verbum caro factum est . . . . . non permisit, ullum mortalium excusare se de umbra mortis: ipsam enim penetravit Dei calor.* Et s. Prosper, vel quivis alius sit auctor libri de vocatione gentium cap. 5: *Adhibita semper est universis hominibus quaedam supernae mensura doctrinae, quae, licet parcioris Gratiae fuit; sufficit tamen, sicut Dominus judicavit*

qui-

quibusdam ad remedium, omnibus ad testimonium; & cap. 29: *Universitati hominum ita multiplex bonitas Dei consuluit semper, & consulit, ut neque ulli pereuntium excusatio suppetat de abnegato sibi lumine veritatis, neque cuiquam sit liberum de justitia sua glroiari, cum & illos propria nequitia demergat ad poenam, & istos Dei Gratia perducat ad gloriam.* Demum Paulus Orosius Augustini discipulus in Apologetico de arbitrii libertate ita scribit: *Evidentissime declaratum est, nemini hominum deesse Dei adjutorium, praesertim cum & seductor instet, & insit infirmitas.* Tot sanctorum Patrum testimoniis sententia nostra suffulta, mirum non est, si fuerit etiam ab Angelico Doctore adoptata; unde palam adfirmavit quaest. 14 de veritate art. 11 ad 1: *Quod si aliquis in silvis enutritus ductum rationis sequeretur; certissime tenendum est, quod ei Deus vel per internam inspirationem revelaret ea, quae sunt ad credendum necessaria, vel aliquem fidei praedicatorem ad eum dirigeret* (cui praedicationi externae respondere debet Gratia interna, secus prima esset inutilis) *sicut misit Petrum ad Cornelium.*

Responsiones ad objecta.

222 Opponitur nexus difficultatum. I D. Augustinus *lib.* de corrept., & Grat. *cap.* 6 solam hanc adsignat caussam, cur infideles merito a Deo sint corripiendi, quia in Adam peccaverunt. Porro si Gratiam sufficientem illis conferri credidisset, hanc veram correptionis caussam adduxisset, nempe neglectam ab illis huiusmodi Gratiam; atqui rationem istam non adduxit: ergo. II ex eodem lib. de gestis Pelagii cap. 14, & alibi passim: *Fides est prima Gratia*; atqui haec infidelibus non confertur: ergo. III est contra Augustinum adserere, quod si Gratia infidelibus deesset, essent excusabiles, dum peccant: ergo. Antec. probant verba illa Augustini epistola nunc 194, alias 105 ad Xystum cap. 6 num. 29: *Si excusatio justa esset, non inde jam Gratia, sed justitia liberaret*; & num 27: *Inexcusabilis est omnis peccator vel reatu originis, vel additamento propriae voluntatis, sive qui novit, sive qui ignorat . . . . . quia & ipsa ignorantia in eis, qui intelligere noluerunt, sine dubitatione peccatum est; in eis autem, qui non potuerunt, poena peccati.* IV idem Augustinus serm. nunc 26 docet: *Communem esse omnibus naturam, non Gratiam.*

tiam. V idem s. Doctor *lib.* de corrept., & Grat. *cap.* 11 sentit, Gratiam collatam Adae nunc pluribus deesse; illa erat sufficiens: ergo. VI ex eodem *serm.* nunc 154 de verbis Apostoli Gratia per Jesum Christum Paganis non datur. VII sequeretur, quod si infidelibus negativis conferretur Gratia sufficiens ad fidem comparandam, nullus ex ipsis ignoraret invincibiliter fidem Christianam; atqui hoc est falsum: ergo.

Resp. ad I, Augustinum intelligendum esse hoc sensu, quod infideles merito sint objurgandi, quia a jure hereditatis aeternae ob peccatum originale exclusi nova addiderint huiusmodi nativae praevaricationi peccata; unde Gratia, quae ad fidem immediate excitasset, ultra progressa non fuit. Hoc autem sensu intelligendum esse s. Doctorem, inde liquet, quod ipse passim docet: *in eo hominem non peccare, quod vitare non potest*; atqui si sint a Deo objurgandi homines infideles ob peccata admissa, ea vitare potuerunt; aliunde sine Gratia ea non potuissent vitare: ergo, &c. Et sane s. Doctor huiusmodi infideles non omni Gratia destitutos agnoscit: ait enim ibidem: *Corripiatur ergo origo damnabilis, ut ex dolore correptionis voluntas regenerationis oriatur . . . ut, strepitu correptionis forinsecus insonante, Deus in illo intrinsecus occulta inspiratione operetur & velle.* Censet itaque, corripiendos esse, ac monendos infideles: tunc enim interius movebuntur per Gratiam sufficientem ad bonum, cui si non resistant ponendo obicem prava voluntate, succedet Gratia efficax operans *velle.*

Ad II dist. mai. Fides explicita, & perfecta est prima Gratia. Neg. mai. Secus D. Fulgentius de fide ad Petrum cap. 17 non dixisset: *Gentibus praedicanda est poenitentia ante fidem, quia Deus interius illos illuminat*: fides inchoata. Conc. mai., & dist. min. Non confertur secunda. Neg. min. Prima subdist. Quoad actum. Conc. min. Quoad posse. Iterum subdist. Quoad posse proximum. Conc. min. Quoad remotum. Neg. min., & conseq. Responsio patet ex se post distinctionem a nobis adductam in ipso aditu quaestionis gratiarum proxime, & remote sufficientium ad salutem. Esto enim infidelibus non detur Gratia fidei quoad actum; datur tamen Gratia sufficiens saltem remote ad fidem comparandam, quae proinde dat posse remotum, eaque est, quam vocamus fidem inchoatam: Gratia enim fidei perfecta utplurimum non

datur,

datur, nisi adjuncta exterius praedicatione. Porro, dum ait Augustinus, fidem esse primam Gratiam, loquitur de fide inchoata, idest de gratiis illis excitantibus, disponentibus ad fidem perfectam, quas lib. 1 ad Simplicianum quaest. 2 num. 2 vocat *inchoationes quasdam fidei conceptionibus similes*. Quod si quis urgeat, ab Augustino hic intelligi fidem perfectam, dico, quod si Augustinus revera id intelligat, vult tantum fidem, *qua juste vivitur*, idest fidem, quae sit immediata dispositio ad Gratiam sanctificantem, esse primam, ac proximam Gratiam in hominis interiori sanctificatione, ac perfecta mutatione; quin tamen neget, in oeconomia praeparationis hominis ad salutem fidem inchoatam esse primam Gratiam.

Ad III negatur antec., ad cuius probationem dico, hoc unum velle Augustinum, quod si quis aliquam adhiberet excusationem; unde sequeretur, Deum teneri ex justitia hominem liberare, falleretur. Ast non negat, conferri Gratiam ex mera liberalitate Dei, qua fiant mandata divina observatu possibilia: Deus enim non ex justitia, sed ex Gratia voluit hominem liberare, & ita liberato, voluit conferre Gratiam, qua posset implere mandata, cum potuisset hominem in massa perditionis relinquere. Excipe insuper hoc aliud responsum, quod nempe si quis se excusaret aiendo, non habuisse Gratiam efficacem, ineptam adduceret excusationem: inde enim sequeretur ex justitia illam debere conferri, quod falsum est. Libuit hoc secundum responsum addere, quia primum a me ex Tournely haustum implexum mihi visum est, licet in meliori, qua potui, luce constituerim. Quod additur loco secundo, potest hic exponi, quod nempe ii, qui habuerunt Gratiam proxime sufficientem ad fidem, ii peccaverunt additamento propriae voluntatis: ii autem, qui non potuerunt proxime cognoscere; ipsorum utique ignorantia fuit poena peccati originalis; sed cum hac ignorantia, qua non potuerunt proxime, optime stat, quod habuerint auxilium remote sufficiens, cui si obicem non posuissent aliquo ipsorum peccato, habuissent auxilium proxime sufficiens, quo potuissent ignorantiam illam deponere, quae quidem, quia est poena peccati originalis, non potuit deponi auxilio duntaxat remote sufficienti. Ita intelligendus Augustinus, quem alibi infidelibus Gratiam sufficientem concedi, aperte docere diximus inter probationes, & hoc modo debuisset illum

explicare Tournely minus accuratus in huiusmodi auctoritatum explicatione.

Ad IV duplex adhibetur responsum. I quod ibi loquitur Augustinus de Gratia habituali, ut liquet ex contextu, quae certe non est omnibus communis. II quod natura quoad essentialia communis est omnibus: nec enim unus est magis homo, quam alter; at Gratia uni datur frequentius, alii minus frequenter; illi proxime sufficiens, isti remote; illi actualis, isti possibilitatis.

Ad V dico, Angelis, & Adae innocenti collatum fuisse auxilium proxime sufficiens ad fidei articulos credendos, ad implenda praecepta supernaturalia, &c. Quod auxilium certe non omnibus confertur. Cum hoc tamen optime sociatur, quod omnibus detur auxilium aliquod remote sufficiens ad salutem.

Ad VI agit ibi Augustinus de Gratia resurrectionis in vitam aeternam, quae quidem erit per Christi merita, & hanc optime dicit, paganis non contingere.

Ad VII neg. mai., vel eam sic dist. Si detur Gratia proxime sufficiens ad fidem. Conc. mai. Si remote sufficiens. Neg. mai., & conc. min., neg. conseq. Ignorantia enim huiusmodi non potest moraliter vinci cum auxilio remote sufficienti, cum medium huiusmodi implicite, ac obscure intellectum ad veritatum supernaturalium, ac mysteriorum fidei notitiam disponat; & hoc sensu ait s. Thomas 2 2 quaest. 10 art. 1: *Quod ignorantia fidei in his, qui nihil audierunt de fide, non habent rationem peccati, sed poenae, quia talis ignorantia ex peccato primi parentis consecuta est.* Gratiae autem remote sufficienti si homo infidelis obicem non poneret, succederet Gratia proxime sufficiens; & huic Gratia fidei, & iustificationis, si pariter obex Gratiae proxime sufficienti non opponeretur.

ARTICULUS II.

Utrum obduratis, & excaecatis conferatur aliquod auxilium sufficiens ad conversionem.

223 Peccatores excaecati ii sunt, qui ex longa peccandi consuetudine ita sunt in malo obfirmati, ut neque de Deo offenso quidpiam cogitent, neque de peccatorum, quae admittunt, turpitudine. Num istis auxilium aliquod sufficiens ad conversionem Deus impertiatur, breviter dicam: fortassis enim in *tract.* de poenitentia de hoc uberius agetur; ubi controvertitur, num detur aliquod peccatum, quod nequeat poenitentia exspiari.

PROPOSITIO.

Excaecatis, & obduratis non omne penitus negat Deus auxilium Gratiae sufficientis.

224 Evincitur propositio Actor. 7 habemus: *Dura cervice, & incircumcisis cordibus vos semper Spiritui sancto resistitis*: ergo obdurati Gratiam habent sufficientem, secus in hoc obdurationis statu non dicerentur Spiritui sancto resistentes. II interius excitari peccatores ad cordis duritiam deponendam probant verba illa psal. 94: *Nolite obdurare corda vestra.* III de omnibus peccatoribus, nemine excepto, legimus in sacris literis: *Nolo mortem impii, sed ut convertatur* 2; Petri 3: *Patienter agit* (intellige Deus) *propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad poenitentiam reverti*; Rom. 2: *Ignoras, quoniam benignitas Dei ad poenitentiam te adducit? Secundum autem duritiam tuam, & impoenitens cor thesaurizas tibi iram.* Ad haec adtendentes Ecclesiae Patres palam adfirmare non dubitarunt, nemini in hac vita ita deesse Numinis Gratiam, ut pravis suis omnino relictus sit arbitriis. *Ea est* (inquit Augustinus in psal. 6 ad comma illud epist. ad Rom. 1: *Dedit illos in reprobum sensum*) *caecitas mentis; in eam quisquis datus fuerit, ab interiori Dei luce secluditur; sed nondum penitus, cum in hac vita est: sunt enim tenebrae exteriores, quae magis ad diem judicii pertinere intelliguntur, ut penitus extra Deum sit quisquis, dum tem-*

tempus est, corrigi noluerit. Penitus autem esse extra Deum, quid est, nisi esse in summa caecitate? Huius irae inchoatio est, quam in hac vita patitur quisque peccator; tum tract. 53 in Joannem num. 6 verba illa scripturae: *Propterea non poterant credere, quia hoc Isaias propheta praedixit,* ita interpretatur: *Hoc autem praedixit, quia Deus hoc futurum esse praescivit; quare autem non poterant credere, si a me quaeratur; cito respondeo, quia nolebant: malam quippe voluntatem praevidit Deus, & per prophetam praenuntiavit.* Credere igitur non poterant, quia nolebant: si enim non noluissent, potuissent: habebant igitur aliquam Gratiam sufficientem. Concinit D. Prosper, ita inquiens in resp. 15 ad objectiones Vincentianas: *Nullum boni possibilitate dispoliat Deus*; & auctor libri de vocatione gentium: (quem male credunt nonnulli D. Prosperum) *Quae beneficia, licet obduratis nihil remedii attulerint, probant aversionem illorum non divinae fuisse constitutionis; sed propriae fuisse voluntatis.* Hinc optime pro more aiebat s. Thomas quaest. 24 de verit. art. 1: *Induratum esse eum, qui non de facili possit cooperari ad hoc, quod exeat de peccato; & haec est obstinatio imperfecta, quia aliquis potest esse obstinatus in statu viae; dum scilicet habet ita firmatam voluntatem in peccata, quod non surgunt motus ad bonum, nisi debiles.* His ad cumulum addi potest, de nullius salute in hac vita desperari posse; tum etiam obduratos, & excaecatos adhuc esse in statu viae: progredi igitur adhuc possunt, antequam ad terminum perveniant, secus jam essent in termino.

Responsiones ad objecta.

225 Opponitur multiplex difficultas. I de Esau legitur Hebraeor. 12: *Non invenit poenitentiae locum, quamquam cum lacrymis inquisisset eam.* De Antiocho 2 Machab. 9: *Orabat scelestus Dominum, a quo non erat misericordiam consecuturus.* Ecclesiastis 7 habemus: *Considera opera Dei, quod nemo potest corrigere, quem ille despexerit.* 1 Joannis 5: *Est peccatum ad mortem, non pro illo dico, ut roget quis.* De Pharaone ita scribit Augustinus in expositione quarumdam propositionum ex epist. ad Rom.: *Quod ergo tunc Pharao non obtemperabat praeceptis Dei, jam de supplicio veniebat. Non ergo hoc illi imputatur, quod tunc non obtemperaret, quandoquidem obdurato corde obtemperare non poterat;*

trat; *sed quia dignum se praebuit, cui cor obduraretur, priore infidelitate*. Et sane Exodi 9, & Rom. 9 dicitur, Deus in Pharaone ostendisse virtutem suam, illum per auxilii subtractionem indurando, & excaecando. Idem s. Doctor innuit epist. 194, Deum indurare, & obcaecare *non impertiendo malitiam*; *sed non impertiendo misericordiam*: ergo inter justos, quibus aliquando Deus negat juste uberius auxilium, & obduratos hoc inest discrimen, quod illi uberiori, isti omni Gratia destituuntur. Ulterius: nemo negaverit, completam esse peccatorum mensuram, qua expleta; ut alia non dimittuntur peccata, ita nec Gratia confertur, qua quis possit ea cavere. Demum, etsi negetur obduratis haec Gratia, adhuc peccant; quia ex ipsorum culpa provenit ipsorum impotentia, quae consequens est, non antecedens.

Resp. ad I, Esau nuspiam flevisse ob admissum peccatum, sed ob vendita primogenita; ita respondet s. Thomas in eum ipsum locum epistolae Paulinae ad Hebraeos. Ad II, si quando orabat Antiochus Dominum, orabat animo scelesto, profecto orabat ex pravo fine; inde mirum esse non debet, quod misericordiam non esset consecuturus, qui eam pravo animo postulabat; hinc tamen nescio, quomodo possit evinci, defuisse Antiocho auxilium omne sufficiens. Ad III dico, ibidem innui admodum esse difficile, atque arduum, ut excaecatus convertatur; at non adseri id esse impossibile, cum in eodem lib. Ecclesiastis cap. 1 haec legantur: *Perversi difficile corriguntur*. Ad IV respondet D. Thomas, ibidem innui impoenitentiam finalem; pro hac autem nemo cum fructu oraverit; alii sentiunt cum D. Augustino *lib.* de corrept. & Grat. *cap.* 12 per huiusmodi peccatum designari apostasiam a fide, in qua quis velit ad mortem usque perseverare; quod peccatum, quia gravissimum ordinariis Gratiae auxiliis facile non remittitur. Hinc verba illa *non pro illo dico, ut roget quis*, non significant, inutilem esse pro ipso orationem, sed requiri hominis egregie sancti fervidas preces ad Gratiam extraordinariam impetrandam; ita s. Ambrosius *lib.* 1 de poenit. *cap.* 10. Ex his responsis illud eligatis, cui magis sitis accommodi. Ad V, dum ea scriberet Augustinus, errori Semipelagianorum adhuc erat addictus, ut constat ex ipsius *lib.* retractationum *cap.* 23. Hinc erronee sensit, Pharaonem, quia obduratum, vinculum sibi imposuisse, impediens voluntatem, ne bonum

nativis

nativis viribus inchoaret, & praecepta impleret; in eo autem statu carebat Gratia, juxta Semipelagianorum commentum: bonus enim motus voluntatis in Pharaone non praecesserat: ergo peccata posteriora inobedientiae debebant imputari primae eius infidelitati. At saniori consilio restitutus s. Doctor aliter sensit serm. 88 de tempore, ubi inquit: *Pharao potuit miraculis credens Deum tantae virtutis agnoscere.* Quod autem additur de eodem Pharaone ex *epist.* ad Rom.; & *cap.* 9 Exodi desumtum, probat, Deum ostendisse virtutem suam in impio rege, quatenus occasione voluntariae ipsius obdurationis ostendit virtutem suam prodigia operando, quibus illius voluntas salutari timore percelli poterat, & ad bonam frugem converti; quibus spretis, nova obdurationis suae incrementa prodierunt. At inde inferri nequit, Gratiam omnem fuisse Pharaoni subtractam, cum impius rex, interdum, *visis* prodigiis, statim aliquos actus imperfectos eliceret, *puta*, vocando Mosem, &c.. Istis interim novum obdurationis obicem statim opponens, priorem inobedientiam instaurabat. Ad VI dico, Deum obduratis non *impertiri misericordiam*, quatenus justo judicio negat auxilia uberiora, & proxime sufficientia; non tamen auxilia etiam remota subtrahendo; hoc autem sufficit, ut discrimen aliquod inter obduratum, & justum speciali auxilio destitutum, non tamen proxime sufficienti privatum adsignetur. Ad VII vel Deus, completa illa peccatorum mensura, vult illico morte perimere peccatorem, vel non. Si primum; concedo in eo instanti, in quo statim post peccatum quis moritur, negari ipsi Gratiam sufficientem ad salutem; at tunc, quia eidem deest physica potentia ad conversionem, mirum non est, si pariter subtrahatur potentia supernaturalis; vel completa illa mensura peccatorum Deus vult adhuc peccatorem servare; tunc autem non omni ipsum destitui Gratiae auxilio adfirmo. Nam ex Genes. 15 *vers.* 16 Chananaei peccatorum suorum mensuram jam impleverant, quando sub Josue praefectura Hebraei terram Chanaam ingressi sunt; & tamen ex cap. 12 lib. sapientiae v. 8: *Deus judicavit dare ipsis locum poenitentiae.* Genes. 6 ver. 12: *Caro omnis corruperat viam suam*; *hinc finis ipsius venerat coram Domino*, & tamen adeo homines etiam increduli monitis Noë destituti non fuerunt omnibus gratiis, ut imo plures ex ipsis Gratiam efficacem conversionis obtinuerint, ut liquet legenti epist. 1 D. Pe-

tri

tri cap. 3, ubi de Christo sanctos Patres, qui in Domino obierant in inferis visitante, haec scribit: *In quo, & his, qui in carcere erant, spiritibus veniens praedicavit, qui increduli fuerant aliquando, quando exspectabant Dei patientiam in diebus Noë, cum fabricaretur arca.* Et sane in eo statu tenentur peccatores actus fidei, spei, & poenitentiae elicere; hos autem sine Gratia nequeunt elicere: ergo. Quod quidem non infirmatur iis, quae loco ultimo ponunt hic adversae partis actores. Ad VIII enim sic respondeo cum cardinali Bellarmino *lib.* 2 de Grat. & libero arbitrio *cap.* 7, quod voluntas destituta Gratiae auxilio impotens est, nedum consequenter, sed etiam antecedenter ad implenda praecepta: nequit enim non violare praeceptum: hinc antecedenter non est libera: quod enim illa Gratiae subtractio dicitur *volita* in caussa, non est ad rem: id enim, quod non est liberum in se; sed tantum in caussa, nec fuit ante praevisum, non habet malitiam distinctam a malitia suae caussae. Quocirca docet Augustinus *lib.* 22 contra Faustum *cap* 44, incestum Loth cum filiabus, quia non praevisum, sed *volitum* in caussa, idest in ebrietate, puniendum non fuisse ut incestum, sed ut meram ebrietatem; hoc autem contingit in re nostra: ergo, &c.

Corollaria.

226 Ex his omnibus illud commode inferri potest, fidelibus omnibus, imo singulis hominibus conferri auxilia sufficientia ad salutem. Primi enim vel justi sunt, vel peccatores. Si justi satis ostendimus contra Jansenium, illis non deesse Gratiam, qua praecepta implenda fiant observatu possibilia. Si peccatores; vel obdurati sunt, vel non. Si primum constat ex iis, quae nuper diximus, remotum illis auxilium ad salutem sufficiens non deesse pro loco, & tempore; si nondum obdurati, deterioris esse nequeunt conditionis, quam obdurati. Hinc si istis confert misericors Deus auxilia Gratiae, quidni illa etiam conferat nondum obduratis, cum omnium velit Deus salutem, pro omnibus mortuus sit Christus? Hinc merito infero, singulis hominibus (intellige adultis: nam pueris paratum est remedium, etsi non omnibus conferatur, quia morte praereptis) conferri auxilia ad salutem sufficientia: reliqui enim extra fideles, vel sunt positive infideles, vel negative. Si primum,

mum, Gratiae praedicationis adjunctam habuerunt Gratiam interiorem, ut diximus in superioribus; si secundum, jam fuse ostendimus suo loco, nec ipsis deesse interius Gratiae auxilium. Omnibus itaque conferri Gratiam interiorem dicendum est, non tantum parari: cum enim voluntas Dei circa omnium salutem vera sit, ac sincera, eaque omnes ad salutem ordinaverit, in omnes aliquid debuit derivari, quo capacitas ad huiusmodi ordinationem hominibus obveniret; hoc autem aliud non est, nisi aliquod supernaturale auxilium internum. Huc porro spectant verba illa scripturarum: *Sapientia foris praedicat . . . . usquequo parvuli diligitis infantiam? convertimini ad correptionem meam, &c.* Proverb. 1: *Misereris omnium.* Sapientiae 11: *Nolo mortem impii, sed ut convertatur, & vivat. Convertimini a viis vestris pessimis, & quare moriemini?* Ezechiel. 30: *Erat lux vera, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Joann. 1. Vide alia, quae recitavimus *in tract.* de voluntate Dei, ubi de Numinis voluntate circa omnium salutem. Mitto testimonia Innocentii I *epist.* ad concilium Carthaginiense; s. Leonis *serm* 16 de passione Domini, aliorumque veritatem hanc passim confirmantium.

227 Illud II inferri potest, auxilia sufficientia ex suppositione redemtionis, omnibus deberi titulo duplici, justitiae, & fidelitatis. Primae quidem, quia pretium a Christo solutum in ara crucis pro universi humani generis reparatione, utpote superabundans, juxta sententiam D. *Thomae*, debitum quodam justitiae, ita dicam, fundavit, ut omnibus auxilia sufficientia ad salutem conferrentur, & parvulis praematur e morientibus, quantum est ex Deo paratum esset. II autem, quia, ut inquit D. Thomas lect. 1 in 1 ad Corinth. 1 ver. 9 ad verba illa: *Fidelis Deus, per quem vocati estis in societatem Filii eius: non esset fidelis Deus, si non vocaret ad societatem filii, & nobis denegaret, quantum in ipso est, ea, per quae pervenire ad eum possemus.*

DISSER-

DISSERTATIO ULTIMA

In qua summatim, ac per capita praecipua expediuntur, quae ad Gratiam sanctificantem, ad justificationem, ac meritum spectant.

Semel, iterumque monui in hoc *tract.* ob rerum dicendarum amplitudinem, ac gravitatem in *tract.* de virtutibus Theologicis, in *dissert.* de caritate remittenda a me fore, quae in scholis disputari a Theologis solent de Gratiae sanctificantis natura, effectibus, &c. Sed mutandum censui consilium, quia incertus omnino, an propter aetatem provectam, viresque labentes tractatum illum praelo mandare licuerit, mihi religio est eorum ignaros Theologiae candidatos dimittere, quae de Gratia habituali scitu necessaria videntur, quando reliqua omnia quae ad Gratiam spectant, sedem hic, & quidem amplam habuerunt; meis ideo, vestrisque studiis consulens, ea omnia, quae hac in re ignorare Theologum dedecet, intra fines brevissimae disputationis concludam.

Quaeres I, quomodo definiatur Gratia habitualis, seu sanctificans.

228 Resp., definitionem repetendam esse ex prolegomenis huius tract., ubi divisiones Gratiae significavimus.

Quaere II, utrum Gratia sanctificans sit aliquid in animam infusum.

229 Resp., Gratiam habitualem esse donum supernaturale in hominis animam ex speciali Dei dilectione descendens, ac eidem inhaerens; hinc ponit aliquid in anima, nec merus est Dei favor extrinsecus, ut Luthero, Calvino, aliisque Novatoribus visum est.

Probatur responsio ad fidem pertinens ex Tridentini definitione lata sess. 6 can. 11 his verbis: *Si quis dixerit homines justificari vel sola imputatione Christi, vel sola peccatorum remissione, exclusa Gratia, & caritate, quae in cordibus eorum per Spiritum sanctum diffundatur, atque illis inhaereat, aut etiam Gratiam qua justificamur, esse tantum favorem Dei, anathema sit.* Haec autem Tridentini definitio hausta est ex iis scripturae locis, ubi modo describi-

tur

tur David petens cordis mundi creationem, ac spiritus recti innovationem, ut *psalm.* 50 modo dicitur, nobis conferri Gratiam, qua potestatem accipimus filios Dei fieri, ut Joannis 1 modo innuitur, ut semen Dei in nobis manens, quo filii Dei nominamur, & sumus, ut 1 eiusdem Joannis 3; modo donum nos reddens divinae naturae participes, 2 Petri 1, &c., atqui haec omnia aliquid animae inhaerens Spiritus sancti operatione designant: ergo. Accedit Patrum traditio, cuius vades sunt Augustinus passim, sed potissimum *epist.* 85, & in Enchiridio *cap.* 52; auctor libri Eccelsiasticae Hierarchiae, olim D. Dionysio adtributi; Chrysostomus *hom.* 1 in *epist.* ad Ephesios, qui omnes Gratiam, de qua loquimur, vocant modo ornatum interiorem, modo interioris hominis pulcritudinem, divinam nativitatem, donum internum, &c., sed omnibus disertius loquitur Cyrillus Alexandrinus lib. 4 in Isaiam, ubi ad illa Apostoli verba *Filioli, quos ego iterum parturio, donec formetur Christus in vobis*, ita scribit: *Formatur Christus in nobis Spiritu sancto, nobis divinam quamdam formam per sanctificationem, & justitiam inducente; sic enim in animis nostris eluat character substantiae Dei, ac Patris, reformante Spiritu sancto nos per sanctificationem in ipsum.* Et sane Gratia sanctificans nos reddit ex Dei inimicis ipsi gratos, acceptosque; hoc autem non a sola oriri debet extrinseca bonitatis Christi imputatione, vel denominatione: cum enim huiusmodi dilectio Dei erga nos, ex dictis in *tract.* de voluntate Dei, faciat in nobis bonum illud, quo nos amat, ubi nos ex adverso amamus bonum, quod supponimus; Deus autem amando facit bonum in nobis, clara consecutione deducitur, in nobis aliquid esse debere, quo dicatur Deus nos amans, bonum nobis volens; hoc autem est ipsa Gratia sanctificans: ergo &c. Ulterius: per Novatores sola fides justificat; justificat autem, quia per ipsos fidei actibus applicatur justo Christi justitia; unde denominantur justi; atqui fidei sunt parvuli incapaces; ergo parvuli baptizati salvi fient non justificati, quo nihil absurdum magis.

Quaeres III, num Gratia inhaereat animae permanenter ad modum habitus.

230 Resp. affirmative. Constat autem responsio tum ex illo Joannis 14: *Apud vos manebit Spiritus sanctus, in vobis erit*; cap. 4: *Qui manet in caritate, in Deo manet,*

&

& Deus in eo; 1 Cor. 6: *Membra vestra templum sunt Spiritus sancti, qui in vobis est: quem habetis a Deo, & non estis vestri*. Quae quidem verba palam indigitant, Gratiam habitualem quid permanens esse: quod quidem eo facilius intelliges, si laudata testimonia cum iis conferas, quae ad probandam Gratiam efficacem, vel etiam sufficientem adduximus. Agnosces enim ista posteriora Gratiam actualem semper designare, tamquam aliquid fluens, ac transiens: priora vero tamquam aliquid permanenter inhaerens, modo culpa lethalis, non occurrat, quae huiusmodi Gratiam expellat. Suadent hoc etiam tum Innocentius cap. *Maiores extra* de Baptismo, tum concilium Viennense in Clementina unica de summa Trinitate, & fide Catholica, tum demum Tridentinum *sess.* 5 in *decreto* de peccato originali, ubi haec decretorie pronunciat, I in parvulis regeneratione mundari, quod generatione contraxerunt. II in ipsis nedum non imputari peccatum originis, vel tegi; sed ipsum penitus tolli. III ab ipsis indui novum hominem, puros, & immaculatos reddi, effici Deo dilectos, &c.; atqui ex una parte haec omnia sine Gratia habituali praestari nequeunt, ex alia parvuli omnis actus rationalis sunt incapaces, atque ut tales Gratia pariter actualis, quae vel intellectum illuminat, vel voluntatem excitat: ergo reliquum est, ut ea omnia per Gratiam permanentem obtineant.

Quaeres IV, num Gratia habitualis distinguatur ab habitu caritatis.

231 Resp. quoad hoc, nihil in praesentia posse pronunciari, cum id, tamquam in propria statione, in *dissert.* de caritate, quae pars est *tractatus* de virtutibus Theologicis, ad crysim a Theologis exigatur. Certe Gratiam huiusmodi ab habitu caritatis distinguit s. Thomas, ac cum ipso Thomistae universi, quos videris.

Quaeres V, num Gratia sanctificans sit accidens aliquod absolutum in sensu Peripatetico, vel quidpiam aliud.

232 Resp., quaesitum esse resolvendum juxta peculiare ciusvis placitum in re philosophica. Qui negant accidentia absoluta, ex eorum albo excludunt Gratiam habitualem: qui ea propugnant, religioni ducunt Gratiam sanctificantem inter ea non collocare. Fruantur omnes, per nos licet, arbitrio suo; sed omnes interim suos tueantur fines: nobis tantum non est otii, ut tricam philosophicam huc in scenam adducamus. Monemus tantum, quod

si cui legere contigerit opuscula Joannis Saguens Ordinis Minimorum *tom.* 1 Josepho Roma eiusdem Ordinis in Universitate Taurinensi Regio Professori nuncupata, is notiones hauriet aptissimas ad recentiorum placita cum Ecclesiae definitionibus in hac re concilianda.

Quaeres VI, num Gratia sanctificans sit participatio divinae essentiae.

233 Resp. affirmative: id enim aperte declarant verba illa D. Petri epist. 2 cap. 1; *Per quem pretiosa nobis promissa donavit, ut per haec efficiamini divinae consortes naturae*: & 1 Joannis 3: *Omnis, qui natus est ex Deo, peccatum non facit; quoniam semen ipsius in eo manet .... quoniam ex Deo natus est.* Alia mitto in re certa.

Quaeres VII, an huiusmodi participatio divinae essentiae sit tantum metaphorica, & moralis, an potius formalis, & in aliquo vero sensu physica.

Respondet D. Thomas hic *art.* 3 in corp., quem plures secuti sunt magni nominis Theologi contra nonnullos ex antiquis censentes, hominem per Gratiam participem esse divinae essentiae hoc sensu duntaxat, quod per Gratiam imitetur divinam sanctitatem, justitiam, &c., ut qui Abrahae fidem sectabantur, eius filii vocabantur. Docet autem s. Doctor, per Gratiam habitualem formaliter, & aliquo vero sensu physico fieri justum divinae naturae participem, non quasi habeat in se, atque, ut aiunt, subjective modum illum infinitae perfectionis, qui proprius est divinae naturae; sed tantum objective, quatenus similitudinem quamdam habet, lucem aliquam divinae naturae in se descendentem; unde elevatur ad eliciendas operationes, quas elicit Deus. Probatur autem responsio, quia verba scripturae in responsione ad quaesitum II, & ad quaesitum VI adducta participationem divinae naturae diserte exprimunt, qua proinde *possumus filios Dei fieri, qua filii Dei nominamur, & sumus heredes gloriae, &c.*; atqui nullum absurdum est, inconveniens nullum, si huiusmodi testimonia non in sensu morali, sed physico adsumantur: ergo. Min. facile probatur, quia usque adhuc absurdum nullum adductum est, quod proprio sensu verba illa scripturae interpretari prohibeat. Tum quia justo physice connaturales fiunt Dei operationes, ipsius vita, beatitudo, &c.: ergo Gratia, per quam isthaec omnia connaturalia fiunt, & quidem physice, debet esse divina natura physice, ac proprie participata.

Cum

cum operationes communes supponant participationem eiusdem naturae. Antec. probatur, quia per Gratiam homo diligitur a Deo, filius Dei est, jus habet ad Deum videndum intuitive, ad aeternam fruitionem divinae bonitatis, ad ipsum nedum intelligendum, sed amandum, &c; atqui istae sunt Dei operationes in se ipso, seu, ut vocant, *ad intra*: ergo. Hinc optime Cyrillus Alexandrinus lib. 2 thesauri cap. 22 inquit: *Eamdem operationem cum Deo habentes, necesse est, eiusdem esse naturae.* Haec porro participatio esto physica, esto sublimis, & excelsa; creaturam tamen non reddit infinitam; quia est tantum objective, & ex parte termini divina, & infinita, non in se, atque, ut aiunt, *entitative.* Quare elevat quidem creaturam rationalem ad modum vivendi, & operandi, proprium entis infiniti, & actus puri; hinc creatura operatur, & vivit, ut vivit, & operatur Deus infinitus, & actus purus, specificative sumtus, non vero reduplicative. Detur venia verbis aspere sonantibus.

Quaeres VIII, quid sit justificatio.

235 Resp., eam esse sanctitatis, & justitiae acquisitionem, qua homo formaliter sanctificatur, seu mutationem hominis a statu peccati, & inimicitiae cum Deo ad statum Gratiae, atque amicitiae cum ipso. Hoc innuit Augustinus inquiens *cap.* 26 *lib.* de spir. & liter.: quid est aliud justificati, quam justi facti? Ab illo scilicet, qui justificat impium, ut ex impio fiat justus?

Quaeres IX, utrum ad justificationem impii adulti requirantur motus aliqui liberi arbitrii, tamquam praeviae dispositiones.

236 Resp. affirmative, in sensu tamen Catholico, ut mox explicabimus. Hoc autem diserte constat ex Tridentino *sess.* 6 *cap.* 5, ubi docet, initium justificationis desumi a divina vocatione, qua homines a Deo aversi per eius excitantem, & adjuvantem Gratiam ad convertendum se ad suam ipsorum justificationem, eidem Gratiae libere assentiendo, & cooperando disponuntur. Synodus autem doctrinam suam hauserat ex sacris literis, nimirum ex 1 Regum 7, ubi haec leguntur: *In toto corde vestro revertimini ad Dominum; auferte deos alienos de medio vestri, & praeparate corda vestra Domino;* Proverb. 16: *Hominis est praeparare animam;* Isaiae 45: *Convertimini ad me, & salvi eritis, &c.* Qui autem sint actus illi necessarii in adulto ad justificationem, intelliges

ex Tridentino *sess.* 6 *cap.* 6, ubi septem numerantur actus, nempe fidei, timoris, spei, dilectionis Dei, poenitentiae, odii peccati, propositi suscipiendi sacramenta, servandi mandata, ac melioris vitae instituendae. Dum autem dixi, motus liberi arbitrii requiri tamquam dispositiones ad justificationem, id intelligendum est cum Gratiae beneficio: solae enim arbitrii vires ad justificationem non disponunt, ut definitum habemus in concilio Milevitano, aliisque contra Pelagianos, in Arausicano II *can.* 7 contra Semipelagianos; necnon in Tridentino *sess.* 6 *cap.* 5, & *can.* 3. Notaverim hic; controversiam institui Catholicos inter, & Novatores de fidei qualitate ad justificationem requisita; tum etiam, num sola fides justificet. Quod attinet ad II, certum est, ex concilio Tridentino sess. 6 can. 9, *fidem solam non justificare*, aiente Apostolo 1 Cor. 13: *Si habuero omnem fidem . . . . . caritatem autem non habuero, nihil sum.* Quod spectat ad I dico, non requiri fidem dogmaticam, fidem scilicet, qua credantur omnia a Deo revelata, sive miracula sint, sive promissiones, sive historiae. Constat hoc etiam ex Tridentino sess. 6 cap. 9, quae quidem doctrina aperta est in sacris literis, ubi legimus: *Hoc est verbum fidei, quod praedicamus; quia, si confitearis Dominum Jesum Christum, & in corde credideris, quod Deus illum suscitavit a mortuis, salvus eris*; Rom. 10: *Verba vitae aeternae habes, & nos credimus, & cognoscimus, quia tu es Christus filius Dei vivi*; Joannis 6, &c. Cave tamen, ne putes, solum hic indigitari fidei necessitatem de Verbi divini incarnatione, & humani generis redemtione per ipsum. Nam & eadem scriptura aperte docet: *Oportere accedentem ad Deum credere, quia est, & diligentibus se remunerator est*; tum etiam instruendos esse baptizandos de Trinitatis mysterio, in cujus invocatione abluuntur.

Quaeres X, num in impii justificatione vere deleantur peccata, an solum tegantur.

237 Resp., vere ipsa deleri. Constat responsio ad fidem pertinens ex dictis ad quaesita superiora; tum etiam ex Psal. 50, ubi legitur: *Amplius lava me ab iniquitate mea . . . omnes iniquitates meas dele.* Isaiae 1: *Sicut nix dealbabuntur*; cap. 7: *Iste est fructus, ut deleatur peccatum.* Rom. 8: *Nihil damnationis est iis, qui sunt in Christo Jesu*; 1 Cor. 6: *Abluti estis, sanctificati estis.* Idem aperte docent Cyprianus *epist.* 1; Chrysostomus in *psal.* 50; & Augu-

Augustinus Iulii lib. 1 contra duas epistolas Pelagianorum, unde merito contra sentientes diris devoti sunt a Tridentino *sess. 9 can. 9.*

Quaeres XI, an sit possibilis iustificatio, quae alio modo fiat, quam per Gratiae infusionem; seu an via extraordinaria fieri possit deletio peccati per solam extrinsecam condonationem, sine ulla intrinseca hominis immutatione, & Gratiae interioris infusione.

238 Resp., quoad hoc summum esse dissidium inter scholae magistros: alii enim id fieri posse adfirmant cum Scoto, contra sentientibus Thomistis. Primi ita ratiocinantur: illud possibile dicendum est, in quo nulla involvitur contradictio; atqui quod remittatur peccatum per solam condonationem extrinsecam nihil occurrit absurdi; potest enim forma aliqua moralis, ut macula peccati recedere, quin alia forma in eiusdem locum subeat: ergo. Secundi vero his nituntur rationum momentis: ut remittatur peccatum, debent deleri ipsius deformitates, nimirum privatio conformitatis ad legem aeternam in persona peccatoris, qui factus est huiusmodi legi contrarius, & iniustus; privatio conversionis in Deum ut ultimum finem, conversio ad bonum creatum, privatio voluntaria Gratiae, & amcitiae divinae, ira, & inimicitia Dei adversus peccatorem, & obligatio ad poenam a Deo decernendam; atqui istae deformitates per solam condonationem extrinsecam tolli nequeunt: ergo. Nos brevitatis causa a lite hac finienda temperamus: libera igitur sunto sentiendi arbitria.

Quaeres XII, an ultima dispositio ad Gratiam, quae est actus caritatis, seu perfectae contritionis, quem illico subsequitur iustificatio, cuius proinde ipse est meritorius; an inquam, huiusmodi actus sit a Gratia sanctificante per caritatem operantem huiusmodi actum, an potius a Gratia actuali, tamquam a solo principio effectivo.

239 Respondent gravissimi Theologi, etiam e schola Thomistarum, ultimam dispositionem ad iustificationem esse a solo auxilio actuali, Gratia habituali per modum principii effectivi non concurrente; sed solum in ratione termini acquisiti: ita tamen ut Gratia habitualis det postmodum huiusmodi actui ius ad vitam aeternam. Probant, quia si ultima dispositio est a Gratia habituali: ergo peccator iam istam habet: ergo non potest se disponere ad illam habendam. II dispositio ad terminum istum omni-

no

no praecedit: ergo nequit esse ab ipso. III Gratia habitualis deberet ipsa destruere peccatum: ergo prius natura conciperetur in peccatore, quam peccatum supponeretur destructum, ut deducitur ex s. Thoma *quaest.* 28 de verit. *art.* 8: ergo simul concipi possent Gratia sanctificans, & peccatum: quod repugnat. A Gratia autem sanctificante dari postmodum actui illi jus ad vitam aeternam, constat, quia per eam solam confertur jus ad gloriam.

Quaeres XIII, quid sit meritum, & quotuplex.

240 Resp., meritum juxta locutionem Theologicam esse opus bonum, cui debetur merces, vel praemium: duplex autem est, unum de condigno, aliud de congruo. Primum est, cui praemium debetur ex justitia: secundum, cui debetur ex quadam decentia, & congruitate.

Quaeres ultimo, num homo mereri possit apud Deum; quid possit mereri; & quae exigantur conditiones ad merendum.

241 Resp., hominem mereri apud Deum, si per Gratiam operetur. Responsio est de fide contra Lutheranos, & Calvinianos definita in concilio Tridentino *sess.* 6 *cap.* 16. Probatur autem tum ex scripturis, tum ex traditione. Eminent inter scripturae loca verba illa Ecclesiast. 16: *Misericordia facit unicuique locum secundum meritum operum suorum.* Psal. 61: *Reddes unicuique secundum opera ejus.* Rom. 4: *Ei, qui operatur, merces imputatur secundum justitiam.* Traditionis vero testem profero Bellarminum hic, quem videris. Mereri autem nequit homo primam Gratiam actualem nec de condigno, nec de congruo: potest tamen mereri sibi jam in Gratia constituto augmentum Gratiae habitualis, ac proinde gloriam aeternam de condigno; aliis vero de congruo. Hac porro requiruntur conditiones, ut possit homo mereri, & quidem ex parte ipsius, ut sit viator; ut sit in Gratia sanctificante constitutus; ut sit liber; ut operetur ex Gratia ac proinde ut opus sit bonum. Ex parte Dei requiritur promissio de praemio conferendo.

FINIS.

Quum tractatum *de Divina voluntate, de Praedestinatione, & Gratia* attente perlegerim, nihil catholico dogmati, bonisque moribus dissonum percepi.

Th. Contiuus C. & R. s. Officii.

Attenta supradicta attestatione

Imprimatur. Fr. Joannes Dominicus Pisélli Ord. Praed. S. T. M. Vicarius Gen. s. Officii Taurini.

V. Petrus Joachimus Caissotti S. F. Prior, ac R.

V. Se ne permette la stampa.

Galli per S. E. il sig. Conte Caissotti di s. Vittoria Gran Cancelliere.

ERRATA | CORRIGE

Menda, quae in titulos quaestionum irrepserunt, emendata jam habentur, atque asterisco notata in earundem quaestionum elencho.

Pag.	lin.	Errata	Corrige
6.	14.	scilitate negavimus	facilitate negavimus
50.	41.	quamvis	quamdiu
54.	27.	hac enim	haec enim
59.	24.	Gothscalcum	Gothescalcum
63.	16.	non omnes	nos omnes
78.	6.	vebum	verbum
83.	28.	aeternem	aeternam
91.	18.	reprobo	reprobos
ead.	23.	u innui	ut innui
93.	19.	impedit	impendit
104.	18.	pater noster	pater vester
107.	11.	admitti	admittit
124.	37.	vendunt	vendicant
128.	33.	Gothescalum	Gothescalcum
157.	25.	imperitu	imperitus
195.	8.	hominum	hominem
200.	4.	praedestinatio	praedestinatis
210.	9.	fecesti	fecisti
245.	30.	naturali	naturalia
ead.	31.	naturalis	naturalia
373.	2.	salutare	salutares
372.	26.	consequentiam	consequentia
413.	41.	discernat	discernatur
437.	25.	neg. mai.	neg. min.
460.	23.	docuerant	docuerat
466.	11.	immensum	in immensum
468.	12.	siue gratia peccata,	sine gratia, peccant
469.	5.	glroiari	gloriari
472.	27.	habent	habet

